UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdex Magistratvs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

Visual Library

Th. 1532a.

Th. 497 m.

M. IV
3.

IVDEX MAGISTRATVS SENATOR

LIBRIS IV. EXHIBITVS.

I. Virtutes. II. Iuris-dictionem. III. Politiam.
IV. Autocratiam ſpectat.

AVTHORE
FRANCISCO ZYPÆO
I. C. PROTONOT. APOST.
Canonico, Officiali, & Archidiacono
Antuerpienſi.

Ex legato Collegio Coenaculi Ferdinandi Epi Cadoc & Archid. Antuerp.



I. L. B. 670
Collegij Societatis Jesu Cadoc.

ANTVERPIÆ,
Apud HIERONYMVM VERDVSSIVM.
M. DC. XXXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVDEX

MAGISTRATVS

SENATOR

LIBRIS IV. EXHIBITVS

I. Virtutes. II. Iuris dictionem. III. Politiam.

IV. Autoritatem peculiar

AVTHORE

FRANCISCO VVRO

I.C. PROTONOT. APOST.

Curionico, Officiali, & Archidiacono

Anagrypeni.

ILLVSTRISSIMIS

BELGII

ORDINIBVS.

ILl.mi Domini, Vt à natura comparatum, ita ab omnium gentium vsu receptum est, vt de rebus, vnde salus, & fortunæ publicæ priuatæque dependent, in commune consulatur: creditumque est semper regna ac ciuitates vsque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Inde professus est Ottho *æternitatem rerum, suam populiq; salutem in incolumitate Senatus firmari:* Theodosius & Valentinianus bene se cognoscere, quod cum Senatus consilio fuerit ordinatum, ad beatitudinem sui imperij, & ad suam gloriam redundare. In sacris Machabæorum historiis laudantur Romani, quòd quotidie trecentos viginti consulebant, quòd consilio & patientiâ suâ obtinuissent gentes vicinas, atque longinquas, quòd inter illos non esset inuidia, neque zelus. Quin & inter barbaras gentes de Assuero sacræ itidem literæ recitant, super contumacia reginæ Vasthi eum interrogasse *Sapientes, qui ex more regio semper ei adhærebant, scientes leges, ac iura Maiorum, & eorum fecisse cuncta consilio.* Sic & apud Athenienses fuit Ariopagiticus consessus, apud Lacedæmones Gerusia, apud Iudæos Synedria: in Amphictyonicum conuentum veniebant Iones, Dores, Perrhæbi, Bæoti, Magnetes,

Achæi, Phthij, Molienſes, Dolopes, Æneanes, Delphi, Phocenſes: in Omarij Iouis delubrum Sybaritæ, Caulonitæ, Crotoniatæ: Semnones, in Syluam Patrum auguriis, & priſca formidine ſacram: ad Lugdunum, vbi Arar Rhodano commiſcetur, conuenire ſolebant Populi ſexaginta: in monte Albano Latini Populi etiam plures: Hiſpani in ſeptem congretationes partiti erant: Gallorum conuentus etiam ſub Cæſare pluries acti: nulli vnquã frequentiùs quàm Germanorũ, tum antiquitus, tum medio æuo, atque imprimis Caroli Magni, aliorumque Impp. Germanorum, Francorumque temporibus, tum generales, tum Ditionum ſingulares: vt non rari nuperis adhuc ſeculis Cortenbergici, aliique apud Brabantos, alioſquè Belgas. Sed & poſtquam ſub Philippo Bono ditiones pleræque Belgicæ coaluerant, frequenter generalia omnium prouinciarum comitia ſub illo, atq; inſecutis Principibus habita fuerunt. quin & ſupra reliquos per quam ſæpiſſimè ea habuit Carolus V. Imperator, Belgarum Princeps, Belgico ipſe ortu, ac genio: ex eorumque conſilio de ſalute Reip. plura Edicta, Placita, Ordinationes promulgauit. ſi quidem & ſacro teſtimonio aſſeritur ibi ſalutem eſſe, vbi multa conſilia. nec aliud Tacitus aſſerit ipſis Romanis aduerſus validiſſimas gentes, (Britannos) vtilius fuiſſe, quàm quod in commune non conſulerent: rarus paucis ciuitatibus ad propulſandum commune periculum eſſet conuentus. Quibus de cauſis ſapientiſſimo etiam conſilio Rex Catholicus Vos, Illuſtriſſimi Belgij Ordines, conuenire nunc voluit, vt vobiſcum de

Rep.

Rep. quà bello quà pace ſalubriter curanda conſultaret, bonumque à Vobis conſilium acciperet. *Bonum conſilium*, inquit diuinus Plato, *hoc vocatur, quod ad meliorem ciuitatum inſtitutionem, ſalutemq;, ad conſenſionem populi, & tranquillitatem pertinet.* Huiuſmodi conſilium, Illuſtriſſimi Ordines, vt daretis, è Republica fuit omnino Vos conuenire. Dediſtis non modò, ſcientes ipſi leges ac jura maiorum; ſed & pro aris & focis veſtris rem agi ſcientes. nec dediſtis modò conſilium, ſed & digniſſimos ex Vobis delegaſtis ex nutu Regio, qui apud auulſos de corpore veſtro Ordines fœderatos bonum idem Platonis conſilium, quod ad conſenſionem populi, ad tranquillitatem pertinet, proponerent, promouerentque. Cuiuſmodi in re ſi meritò Romani *Carthaginenſium Legatorum ætatibus dignitatibuſq; conſpectis (nam longè primi ciuitatis erant) tum pro ſe quiſque dixere, verè de pace agi*; quid ni de hac legatione idem Ordines fœderati ſentiant? in qua vident Illuſtriſſ.mum D. Iacobum Boonen, Primum è clero Belgico, Archiepiſcopum Mechlinienſem, vt vernaculo nomine Fabios illos, qui Rem Romanam ſæpiùs reſtituerunt, referentem; ita virtutibus ipſis comparandũ: Illuſtriſſ.mum D. Philippum Ducem Arſchotanum, primos è Nobilitate titulos gerentem, magnorum heroum progeniem, Regum etiam ſanguinem Hungarorum: Per-illuſtrem D. Philippum de Cauerel Abbatem Vedaſtinum, vt monaſterij, atque Ordinis Benedictini per occidentem antiquiſſimi Antiſtitem venerandiſſimum; ita Prælatorum omnium Belgij ſenio primum: alios inſuper ex Nobilitate, Ciuitatibuſque Proceres, perquam lectiſſi-

mos. *AEtatibus* igitur *dignitatibusq; conſpectis* dicant Ordines fœderati oportet verè de pace, de induciis agi. Eam porro legationis fidē exinde conſequatur conſideratio vocis Illius; *Annibal peto pacem.* non tantùm Ordines conſanguinei, quæ ad Populi conſenſionem, & tranquillitatem pertinent, deſiderant; ſed & Rex potentiſſimus votis Ordinum accedit, pacem tranquillitatemque offert: vt omnes ſciant ipſum & ſuſcipere iuſtè bella, & finire. Quòd ſi, Ill.mi Ordines, diſſoluti Corporis membra compaginaueritis, ſalutem, conſenſionem populi, ac tranquillitatem reduxeritis, profectò tuleritis omne punctum; numquam ſalutariùs conuentus Veſter fuerit indictus; nunquam maiori Reip. bono habitus: ſemper honor veſter manebit, laus veſtra ſe æquabit Olympo. Quòd ſi alij ſalutem communem, atque tranquillitatem aſpernati fuerint; (quod Deus melius vertat!) Regi vt maximo, ita optimo, benigniſſimoque, poſtquam omnia boni patris munia expleuerit, dabitis conſtanter more maiorum libera, fortia, ſalutaria conſilia. Laborat, inquiunt, Reſp. grauibus morbis, & non vnis: Sed neque tamen immedicabilibus. magna medicinæ pars eſt morbum noſcere: boni medici officium, non cutem curare, ſed morbi cauſas tollere, morbum indicare, idonea remedia præſcribere, veritatem aperire. ægri multi in mortem pelluntur, quia periculum ſuum neſciunt; illius rationi non obtemperant, quia nec medicū habent, nec amicū qui moneat. Quòd ſi quando antehâc bellum hîc ita adminiſtratum fuit, vt in commune conſultum non fuerit, vt neruus belli neglectus,

miles

miles non ex disciplina habitus, non ab inedia vindicatus, hostis contemptus, annona, apparatus bellicus non curatus, si quando non defendendo, non offendendo ex belli legibus (ne quid de fide dicamus) fuerit pugnatum: non vnus Princeps, non vnus exercitus Imperator fuit, cui politici militaresque morbi obtigerint, atque breue tamen intra tempus remedium dederit. fuit Scipio, Metellus, Cotta, Corbulo, aliique: plenæ sunt omnium temporum historiæ. Sed & auorum memoria Carolus VII. ad fines vsque Galliæ profligatus, vt iam per despectum Rex Burgi tantùm vocitaretur, ab Hira liberè monitus, ad se & Remp. versus, eam breui restituit, bellum feliciter confecit, Anglum regno depulit. Et potuit conclamatis Caroli rebus vnius vox militis mederi. Regi nostro tot tantaque sunt regna intacta, atque prouinciæ: nec vnum nos ad rectè consulendum militem habemus. Habemus Ill.mos Belgicarum ditionum Ordines, sapientissimas DD. VV. scientes leges ac jura maiorum; scientes vitia quibus Resp. res militaris vrgetur; scientes remedia & herbas salutares, quibus restitui, & stare Numine propitio æternùm possit. Ecquis iam non speret in hoc Vos conuenisse, vt ita Regi bene consulatis, vt æquis conditionibus Belgici omnes Populi in consensionem conduci possint? Quòd si porrò Deo steterit nondum eâ felicitate ditiones beare, quòd si aliorum fuerit ea contumacia, quæ ad æquitatem traduci non possit, quæ non induci, vt *suscipiant Montes pacem populo & Colles iustitiam*; ea Vos daturos consilia, quibus quod pace oblatâ obtineri non possit, ob-

tingat bello necessario? sed gerendo ex disciplina: cui & dabit Deus Scipiones, Metellos, Cottas, Corbulones: quos forsã & incipiunt terris ostendere fata. Ea omnium de Vobis, Ill.mi Ordines, est sententia, omnium expectatio, omnium votum. In quo & ipse finieram, nisi me memoria mei monuisset, cur ad Vos accessissem. Id ergo tribus dicam verbis, ne in commoda publica peccem, si longo sermone morer Vestra tempora, adeo Reipub. deuota. Pridem à R.mo Antuerpiensium Antistite *Ioanne Maldero*, nostri temporis Augustino, impositum mihi onus causis personisque sacris juris dicundi dum obeo, spartam meam adorno, dolium voluo, reuoluo, circumspicio; longâ parturitione agnatus est mihi hic Liber: lucem is publicam aspecturus, patrinos patronosque postulat. Prælo igitur dum ille premitur, inaudiit solemnibus Comitiis conuenisse Patres Patriæ: negat posse se ad meliores postes adrepere: ad eos ergo euntem suâ sponte nolui retardare, potiùs dare malui bene adrogandum: eundemque eapropter Vobis, Ill.mi Ordines, totum *do*, *dico*, *consecro*. Id tantum precatus, vt tanquam Vestri nunc juris factum benignè suscipiatis, paternè defendatis. Ita vt audiat, secundetque Deus vota publica, & Vestra, illum oro, obsecro, obtestor

Illustriss.rum DD. VV.

Obseruantissimus cliens

FRANCISCVS VANDEN ZYPE.

Antuerpiæ Cal. Aug.
CIↃ. IↃC. XXXIII.

BENEVOLE LECTOR

NOn immeritò Aristoteles suæ ætatis Iurisprudentes reprehendit, quòd de formulis, quæ actiones priuatas respiciunt, ad nauseam vsque disputarent; Iura verò quæ administrationem Reip. penè haberent pro derelictis. multi hodie ab eo vitio non procul absunt; ætatem in stillicidiis & seruitutibus terunt; publicas res, publica Iura, quibus ciuitates suæ, & prouinciæ consistunt, ita nec attingunt ipsi, vt & in aliis contemnant. malè de Repub. merentur. Nulla, *inquit Plin. Iun. in epist.* laudabilior Philosophiæ pars est, quàm agere negocium publicum: cognoscere, iudicare, promere, & exercere iustitiam, quæque Philosophi doceant, in vsu habere. Habent, *inquit idem, l. 3. ep. 20.* nostra quoque studia aliquid non humile, nec sordidum, nec priuatis rebus inclusum. *nam* disputare, *inquit Cic. ad Att. l. 4. ep. 16.* de Republica, est tractare rem magnam, & grauem, & plurimi otij. *Quæ ratio etsi me ad dolium meum Cynici instar circumuoluendum restringeret, memorem illius Lyrici,*

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus;

adeoque versantem, humeri quid ferre recusent, *ac gnarum rem tam grauem aliis deferendam;*

—— quibus arte benigna,
Vel meliore luto finxit præcordia Titan:

tamen si Aristoteli, Scyllam vitare monenti, obtemperaturus, Iudicemq; exhibiturus incidi in Charybdin; dabit veniam quisquis aliquid rectius istis candidus impertietur. nam desidiosos, & nihil præstantes Zoilos iam pridem nihil moror. Tibi, Lector, tantùm scripsi, qui beneuolus es. tibi si placuerim, satis mihi fecerim: sin minùs; affectum tamen si boni consulueris, numquam piguerit laboris.

Iudicem, inquam ergo, sum exhibiturus. Neque illum duntaxat Pedaneum, chartisque solùm litigantium obuolutum, sed & Potestate præditum, Magistratuiq; impositum. qualem leges nostræ intelligunt, dum Iudicem nominant: & Iustinianus in Auth. de Iudicib. & Codicis lib. 1. tit. 29. & seq. vsque ad 56. Dedi tamen aliquid vsui vocis hodierno, & adiunxi Magistratus nomina, & Senatoris. dum sub illius ferè vocabulo politiam hodie videmus administrari; ad hunc de negociis, autocratiæ, & arcanis Imperij deferri consultationes. vt dum præsentibus etiam vtor verbis, eum in ipso frontispicio Iudicem, quem intendo, designem.

IN-

INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

Cap. I. Varij passim Iudices. fol.1
Cap. II. Iudicum, Iudiciorumque maiestas. fol.2
Cap. III. Necessitas. fol.4
Cap. IV. Qui Iudices esse prohibeantur. fol.4
Cap. V. Qualis requiratur? fol.5
Cap. VI. Fidei rectæ. fol.10
Cap. VII. Timens Deum. fol.11
Cap. VIII. Religiosus erga Ecclesiam. fol.12.
Cap. IX. Iustus. fol.14
Cap. X. Æquus. fol.18
Cap. XI. Fortis. fol.19
Cap. XII. Constans. fol.21
Cap XIII. Patiens. fol.25
Cap. XIV. Vacuus ab affectibus. 27
Cap. XV. Muneribus abstinens. 29
Cap. XVI. Ab auaritia alienus. fol.33
Cap. XVII. Non iracundus. fol.36
Cap. XVIII. Prudens. fol.38
Cap. XIX. Sobrius. fol.42
Cap. XX. Clemens. fol.43
Cap. XXI. Benignus, Seuerus. 46
Cap. XXII. Peritus. fol.49
Cap. XXIII. Diligens. fol.54
Cap. XXIV. Per gradus promotus. fol.57
Cap. XXV. Secretus. fol.58
Cap. XXVI. Cõcordiæ studiosus. 60
Cap. XXVII. Facilis. fol.65
Cap. XXVIII. Veritatis amans. 67
Cap. XXIX. Auersus à detractoribus. fol.69
Cap. XXX. Adulatoribus inimicus. fol.71.
Cap. XXXI. Verax & Candidus. 72
Cap. XXXII. Nobilis. fol.75
Cap. XXXIII. Diues. fol.79
Cap. XXXIV. Pulcher. fol.80
Cap. XXXV. Legitimus. fol.80
Cap. XXXVI. Ciuis an Exterus? 81
Cap. XXXVII. An Ecclesiasticus? 83
Cap. XXXVIII. Senex. fol.84
Cap. XXXIX. Sine ambitu promotus. fol.87
Cap. XL. Non rixosus. fol.90
Cap. XLI. Vestitu cõgruo vtens. 92
Cap. XLII. Ritè electus. fol.94
Cap. XLIII. An perpetuus? fol.96

LIBRI SECVNDI.

Cap. I. De Potestate Iudicis. fol.97
Cap. II. De honore. fol.103
Cap. III. De iure iurando per Iudicem præstando. fol.107
Cap. IV. De Iudicis residentia. 108
Cap. V. De Causis litium. fol.110
Cap. VI. De Litium remediis. 117
Cap. VII. De breuitate & ordine Iudiciorum. fol.131
Cap. VIII. De sententia dicenda, & ordine votorum. fol.144
Cap. IX. De appellatione, eiusque instantia. fol.147
Cap. X. De Executione rei iudicatæ. fol.150
Cap. XI. Recidiua monita de seruando ordine iudiciario, præsertim in litibus criminalibus, & quæ ex officio Iudici incumbunt. fol.151
Cap. XII. De Stipendiis. fol.153
Cap. XIII. De animaduersione in Iudices. fol.154

LIBRI TERTII.

Cap. I. De Legislatiua. fol.161
Cap. II. De variis hominum generibus. fol.172
Cap. III. De Institutione Iuuentutis. fol.182
Cap. IV. De Castitate. fol.186
Cap. V. De Reformatione. fol.192
Cap. VI. De Quiete publica. fol.206
Cap. VII. De Criminũ vindicta. 210
Cap. VIII. De Ostracismo. fol.216
Cap. IX. De seditionibus. fol.219
Cap. X. De Mendicantibus. fol.238

Cap. XI.

Cap. XI. De Relationibus. fol. 240
Cap. XII. De Pœnis & Præmiis. fol. 242
Cap. XIII. De cogendis Nominatis. fol. 247
Cap. XIV. De dignitate non imminuenda. fol. 250
Cap. XV. De Ministris. fol. 252
Cap. XVI. De fide obseruanda. f. 256
Cap. XVII. De Dissimulatione. f. 257
Cap. XVIII. De Legatis. fol. 261
Cap. XIX. De Cursu publico. f. 264
Cap. XX. De Potentia. fol. 265
Cap. XXI. De Annona. fol. 272
Cap. XXII. De Ædificiis. fol. 280
Cap. XXIII. Monita Miscellanea. fol. 289

LIBRI QVARTI

Cap. I. De Iure Maiestatis,
§. I. De Principe legibus soluto. f. 308
§. II. De Legum vinculo. fol. 308
§. III. De Legum-latione. fol. 308
§. IV. De iure sacrorum. fol. 309
§. V. De Magistratuum creatione. fol. 309
§. VI. De Extrema prouocatione. fol. 310
§. VII. De pacis ac belli arbitrio. f. 311
§. VIII. De Legatis. fol. 312
§. IX. De iure vitæ ac necis. fol. 313
§. X. De Pecunia imperanda. fol. 313
§. XI. De Moneta. fol. 313
§. XII. De reliquis iuribus Maiestatis. fol. 314
Cap. II. Ratio dicendorum, atque in primis de supremarum Legum iure ac vinculo. fol. 323
Cap. III. De Legum-latione. fol. 329
Cap. IV. De Religione. fol. 331
Cap. V. De Magistratuum designatione. fol. 336
Cap. VI. De Supremo Iudicio seu vltimo Resorto. fol. 339
Cap. VII. De bello, eiusque causa iusta. fol. 340
Cap. VIII. De bello iustè gerendo respectu Principis. fol. 340
Cap. IX. Miles vt iustè bellet. fol. 366
Cap. X. Vt respectu hostium iustè belletur. fol. 363.
Cap. XI. Vt respectu mediorum iustè belletur. fal. 365
Cap. XII. Dolum an belli iustitia permittat? fol. 368
Cap. XIII. An vt festis diebus pugnetur? fol. 369
Cap. XIV. An stratagemata? fol. 370
Cap. XV. An venenum? fol. 372
Cap. XVI. Iniustè bellatur respectu modi. fol. 372
Cap. XVII. Iniustè bellatur ex nimia sæuitia. fol. 373
Cap. XVIII. Ex verborum contumelia. fol. 373
Cap. XIX. Iniustè bellatur respectu finis. fol. 374
Cap. XX. De Fœderibus. fol. 381
Cap. XXI. De Iudiciis. fol. 388
Cap. XXII. De Lytro. fol. 392
Cap. XXIII. De Commeatu. fol. 393
Cap. XXIV. De Neutralitate. f. 394
Cap. XXV. De Pace. fol. 395
Cap. XXVI. De Pacis violatoribus. fol. 398.
Cap. XXVII. De Repræsaliis. f. 400
Cap. XXVIII. De Legatis. fol. 403
Cap. XXIX. De iure vitæ ac necis. fol. 408.
Cap. XXX. De pecunia imperanda, tributis, Ærario. fol. 410
Cap. XXXI. De Moneta. fol. 417
Cap. XXXII. De statu Reipublicæ. fol. 421
Cap. XXXIII. De statu Monarchico asserendo. fol. 425
Cap. XXXIV. De statu Optimatum asserendo. fol. 433
Cap. XXXV. De statu Democratico asserendo. fol. 436
Cap. XXXVI. De mixto statu asserendo. fol. 438
Cap. XXXVII. De Consultatione. fol. 438
Cap. XXXVIII. Monita Miscellanea. fol. 446
Cap. vltimum. Parenesis ad Iudicem, Magistratum, Senatorem. fol. 455

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

TRactatus hic de Iudicibus, doctiſsimè eorum qualitates, actiones, nec non Reipub. adminiſtrationem per Reges & Principes exprimens, operâ Eruditiſsimi Viri ac Reuerendi admodum Domini Franciſci Zypæi I. C. Protonotarij, Canonici, Officialis & Archidiaconi Antuerpienſis conſcriptus, ſacræ paginæ ſatis conformis, meritò typis euulgari poterit. Datum Antuerpiæ 25. Nouembris 1632.

ZEGERVS VAN HONTSVM
Canonicus & Pœnitentiarius
Antuerp. Librorum Cenſor.

Summa Priuilegij Philippi IV. Regis.

PHilippus Dei gratiâ, Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, nequis citra Hieronymi Verduſſij Typographi Antuerpienſis voluntatem librum, cui titulus: *Iudex, Magiſtratus, Senator, Auctore Franciſco Zypæo I. C. Protonot. Apoſt. Canonico, Officiali, & Archidiacono Antuerpienſi.* intra ſexennium in Belgio imprimat, aut alibi terrarum ac locorum impreſſum, in Belgium inferat, venalemuè exponat; qui ſecus faxit confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latiùs patet in literis datis Bruxellæ 4. Iunij 1633.

Signat

Loyens.

IVDEX MAGISTRATVS SENATOR

LIBRIS IV. EXHIBITVS.

I. VIRTVTES. II. IVRIS-DICTIONEM.
III. POLITIAM. IV. AVTOCRATIAM SPECTAT.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Varij passim Iudices.

IVDICES varij apud omnes gentes, pro more earum, & pro temporum ratione fuerunt. Apud populum à Deo electum à Moysi tempore, vsque ad Saulem summâ auctoritate & moderatione. Apud Romanos, pro tempestatum occasione, quàm diuersissimi, præsertim in Vrbe ipsa. nam in Prouinciis Proconsul, Prætor, Præses, & quocumque nomine Rector omnium Romæ Magistratuum vice, & officio fungebatur. omnium partes, qui Romæ vel quasi Magistratus, vel extra ordinem ius dicebant, ad eum pertinebant. Vnaquæque gens, & Prouincia, in suo sensu abundat, sed in aliis Imperiis, & regnis, pleraque pro libitu Regum. Nihil alibi tam augustum quàm dignitas & diuersitas Romanorũ Magistratuum. Testis *Notitia Imperij*. vt neq; vllæ gentes ad æquitatem & Maiestatem legum Romanarum accesserunt. Sed & hodie nationes omnes in nomine, & auctoritate Iudicum quàm maximè sunt discrepantes. quod nihil attinet pluribus exequi. Id generatim considerare lubuit, qui qualésve Iudices esse, quídve facere debeant; quæ vniuersim functiones eis conueniant, deceant, dedeceant; quibus virtutibus, naturæ & industriæ dotibus claresceré eos oporteat. 1.

2. *Partitio operis.* Qualibus in hoc ſtadium vacandis inſumetur primus hic liber. reliqui ad actionem Iudicis pertinebunt; ſecundus quidem ad Iudicia: tertius ad regimen, adminiſtrationemque Reip. quartus ad ea quæ ſpectant ſupremæ poteſtatis negotia.

CAPVT II.

Iudicum, Iudiciorumque Maieſtas.

DIgnitatem Iudicum, judiciorumque Maieſtatem commonſtrat ipſe Deus, qui primus ea exercuit, & exercebit vltimus. nam quod attinet Reip. gubernationem & bellorum adminiſtrationem, nihil opus hîc dicere, ea ſponte in omnium oculos incurrit. Deus ergo tranſgreſſum iuſſa ſua Adamum vocauit, audiuit, damnauit. denique omnes à mundi origine nati homines & vſque ad eius interitum orituri expectamus terribilium illorum præconum tubas, & vltimum diuini Numinis iudicium. *Reges*, inquit Cic. *l.* 1. *de Off. iuſtitiæ reddendæ cauſa primùm conſtituit.* Adeoque apud omnes orbe diuinitus creato gentes tyranni, Reges, Imperatores, iudicia exercuerunt, per ſeſe, & in vicem ſuam ſubſtitutos. Vnde Populus Iſraël ad Samuelem *lib.* 1. *Reg. c.* 8. *Conſtitue nobis regem, qui iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.* & *lib.* 2. *Reg. c.* 15. Abſolon regnum paternum affectans, *Quis me*, inquit, *conſtituat Iudicem ſuper terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuſtè iudicem?* ſed & Regem inſimulans malè adminiſtrati regni, *omni viro qui habebat negotium vt veniret ad Regis iudicium*, dicebat; *Videntur mihi ſermones tui boni & iuſti; ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege.*

Apud Ægyptios quidem eidem erant Sacerdotes, & Iudices; neque apud Gallos procul ab his aberant Druides. & Auguſtus ſtatuit vt in loco Senatus thure, & mero ſacrificaretur. Athenienſes res graues apud Aras præſtito iuramento iudicabant. & in Iure noſtro ſacræ leges, *l.* 1. *D. de leg. l. leges Sacratiſſimæ. C. eod.* & Iudices Sacerdotes. *l.* 1. *de iuſt. & iur.* & Antiſtites *l.* 1. *C. de decret. curial. l.* 11. dicuntur. Iuſtitia ſi quidem ſancta, & iura in quibus elucet ſancta, & Iudices igitur, qui eam colunt, & ius dicunt, ſancti. qui enim ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt. *c. Maximinian. d.* 81. & rectè Virg.

Iura Magiſtratumque legunt, ſanctumque Senatum.

Quin & in populo Dei nondum admiſſis regibus, apud quos rei

rei ſumma erat, Iudices dicebantur. Iudicia teſtimonio Ioſaphat, 2. *Paral.* 19. Dei ſunt: qui igitur ea exercent Iudices, Dei miniſtri. *Rom.* 13. 4. & Valent. *l.* 1. *de offic. vic. Iudicationis noſtræ ſolet repræſentare reuerentiam.* & Caſſiod. *in form. Rect. prouinc. A Principe*, inquit, *frater vocaris.* vt magnificè Dauid Pſal. 81. *ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Filij ergo cùm ſint Dei, habere ita ſe debent, vt ne perſonam, nec actionem, quam repræſentant, ignominiâ ſuâ dehoneſtent. *Neque famoſis*, igitur, *& notatis, & quos ſcelus aut turpitudo vitæ inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt. l.* 2. *C. de dignit.* vt nec criminis quidem poſtulatos tantùm, donec ſe purgauerint, honores appetere permittit Alex. Imp. *l. reos C. de reis poſt. l.* 10. *Turpi autem iudicio damnatus*, inquit Cicero pro Cluentio, *in perpetuum omni honore & dignitate priuatur.* Sed quid ergo ſibi vult Epiſtola D. Pauli 1. *ad Corinthios* 6. *Secularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum?* Non agit ibi D. Paulus, aut differit, quis eſſe, vel qualis Iudex debeat: ſed ne fideles in ius vocent fideles coram Iudice infideli. *non eſt*, inquit, *inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? ſed frater cum fratre, iudicio contendit: & hoc apud infideles? Ad verecundiam veſtram dico. ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam?* Vult ergo vt potiùs, quàm id permittatur, contemptiſſimus quilibet, modò fidelis, iudicet, quàm infidelis adeatur. (ad quam rationem & Concil. Carthag. 4. *c.* 87. eum excommunicat, qui ad alterius fidei Iudicem prouocat.) neque enim D. Paulus judicia à maioribus & dignioribus reiicit. *An neſcitis*, inquit, *quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia?* Ita D. Chryſoſt. & Auguſt. *ad Procul. ep.* 47. imò D. Auguſtinus *in l. de opere monachorum*, ait, ſeſe ex hoc loco Pauli cogi ad ſuſcipienda iudicia cauſarum, cùm eſſet Epiſcopus. & continuus Eccleſiæ Chriſtianæ vſus habuit, vt Epiſcopi, Metropolitæ, Papæ, Imperatores, Reges, Principes, & Præſides ſub variis nominibus, Iudices Chriſtiani, & è populo ſelectiores, iudicia tractarent.

CAPVT III.

Necessitas.

PORRÒ Iudiciorum necessitatem attulit societas humana, rerum negotiorumque communio, discordiarum seminarium. Ideo *Magistratus*, inquit Quintil. *declam.* 15. *legesque à maioribus accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit.* & Honorius & Theodosius *in l.* 14. *C. de Iudæis, Iudiciorum*, inquiunt, *vigor, iurisque publici tutela in medio est constituta, vt nemo sibi ipsi valeat permittere vltionem: nec quis id quod deberi sibi putat, aliter quàm per Iudicem reposcat. l.* 13. *D. quod metu. l.* 17. *C. vnde vi. Iudicia quasi vectes vrbium, Prou.* 18. iis concluditur securitas humanæ societatis. Enimuerò leges quidem vrbis animam à Cicerone, anchoram à Solone dictam scimus: tamen *parum est*, inquit Pomp. *in l.* 2. *§. post originē D. de orig. jur. ius in ciuitate esse, nisi sint qui jura reddere possunt; per eos enim, qui juridicundo præsunt, effectus rei accipitur.* vt verè Arist. *l.* 6. *Polit. c.* 8. & Cicero *l.* 3. asseruerit *opus esse Magistratibus, quòd sine illis ciuitas rectè constitui nō possit.* Iustitia quippe sine persona subministra non agit. & ideo sine Magistratu Iustitia sepulta esse appositè dicitur à Bald. *cons.* 118. *col.* 2. *in fine l.* 3. & pulchrè ille: *Fortis est lex si Principem habet.* vbi enim Iustitia, eaq; ritè exercita non est, societas humana consistere nequit. vt rectè disputat apud Ciceronem Scipio. *Quocirca*, inquit, *vbi non est vera Iustitia, juris consensu societas hominum cœtus esse non potest, & ideo nec populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quæ populi nomine digna non est.*

Non defenduntur muris, nec mœnibus vrbes,
Si leges tollas mœnia cuncta ruunt.

Regna sine Iustitia magna latrocinia. Ideoque laus Pop. Rom.

Iustitiaq; dedit gentes frænare superbas.

CAPVT IV.

Qui iudices esse prohibeantur?

OMnes igitur

Procul profani sint, procul improbi.

Sanctitas Iustitiæ, sanctitas mysterij eos respuit, singulatimque aliquibus regno suo Astræa interdixit. Si quidem Iudices dari possunt qui lege, naturâ, aut moribus non prohibentur. Naturâ, vt surdus, mutus, & perpetuò furiosus, & impubes; quia iudicio carent. Lege impeditur,

tur, qui senatu motus est: moribus, fœminæ, & serui: non quia non habent iudicium, sed quia receptum est, vt ciuilibus officiis non fungantur. *l. cùm propter. D. de Iud. l. fœminæ D. de reg. Iur.* Nisi fœmina meritis excellat. *Iudic. c.4.* vt Delbora. *c. Menam. 2. q. 5. c. cùm deuotissi. 12. q. 2. c. si quos 23. q. 4.* aut moribus contrariis, & consuetudine obtentũ sit. *c. dilect. de Arbitr.* Lege etiam prohibetur Hæreticus *1. Cor. c. 6* Imò *in Conc. Lat. c. 3.* excommunicatus *c. decernimus de excommunicat. in 6.* illiteratus *c. ex litter. de consang.* laicus respectu clerici. *11. q. 1. per tot.* Dominus aduersarij. *c. causam de off. deleg.* consanguineus, vel affinis *c. accedens. el. 2. vt lite non contest.* quacumque iusta de causa suspectus. *c. quod suspecti 2. q. 5.* infames *c. Infam. 3. q. 8.* adeoq; deportati, relegati, damnati ex publico delicto, ipso facto, ipso jure, vel ex genere pœnæ infames. Quod infamiæ impedimentũ obtinendi, vel retinendi Magistratus præ cæteris exactè discutit Loiseau *des off. l. 1. c. 13.* Magistratũ gerere honoris est, nõ muneris. *l. Imperat. D. ad municipal. Proœm. Inst. in verb. dignitat. honor.* Infamibus autem dignitatum, & honorũ portæ non patent. *l. vnica. C. de Infam. l. neque famosis. C. de dignit. l. 12.* Damnati etiam criminaliter, aut banniti per contumaciam etiam à dignitatibus obtinendis arcentur. cùm vel solùm delatus, vel inquisitus reus, donec se purgauerit, repellatur. *l. vn. C. de reis postulat. l. 10.* Iure Canonico Iudices à Sede Apostolica vel illius Nuntiis delegari non possunt, qui non sunt in dignitate, *c. statut. de rescrip. in 6.* & Iure Concil. Trid. *sess. 25. c. 10.* præter Episcopos, eorumue vicarios, seu Officiales requiritur, vt designati sint in Synodo, pro vnaquaque dioceſi. & nisi Iuris periti fuerint, requisiti tenentur assessorem assumere, & iuxta illius sententiam iudicare. Leo. X. *in const. incip. Regimini.* Plura sunt apud Alciat. *in prax. tit. de recusat. Iud.*

CAPVT V.

Qualis requiratur?

ENimuerò vt hęc quæ diximus proximè quem vetant Magistratum adipisci, honore atque dignitate fungi; ita neque suffecerit aliquo eiusmodi nodo deuinctum non esse, si non insuper, naturæ, industriæ, virtutum, aliisque dotibus claruerit.

Itaque Iudicem, qui in Astrææ arcana ingressurus, eiúque ritè litaturus sit, iis præditum esse qualitatibus conuenit, quas & Diuæ sanctitas, & actionis religio depoſcit. Atque in primis virum bonum esse necesse est adeo, quàm conuenit medicum non esse latronẽ. Ne scientia, & auctoritas vergat in publicam perniciem, vti ne ille venenum pro medicina porrigat. Quare optimè Arist. *l. 5. Ethi. c.* 1. docet Iustitiam legalem non esse partem virtutis, id est, speciem aliquam, sed vniuersam virtutem: *Sicut Iniustitia*, inquit, *legalis non est species malitiæ: sed vniuersa malitia.* Ideo Iurè-consultus, Iudex, & Magistratus, quorum est profiteri, explicare, atque exequi iustitiam, boni esse & iusti debent, id est, vniuersim virtute præditi.

Vir bonus vniuersim virtute præditus.

Eo modo Iethro *Exod. c.* 8. *Viros virtutis* requirit. Apud Ciceronem *l.* 3. *de leg.* Ordo senatorius omni vitio carere iubetur. Lex XII. Tab. *Is Ordo*, inquit, *vitio vacato, cæteris specimen esto.* Nã *integritas præsidentium salus est subditorum. c. miramur. d.* 61. quomodo sacræ litteræ Oniam describunt, *Machab. l.* 2. *c.* 15. *Virum bonum, & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & à puero in virtutibus exercitatum.* Quod Imp. Iulianus magistros studiorum ait, *in l.* 7. *C. de professor.* oportet excellere moribus, multo iustiùs in Magistratibus, & Iudicibus requires. Illorum enim est, rectè dicere, & docere: his capita ciuium, & fortunæ committuntur, & vrbium gubernacula, atque prouinciarum. Si orator est vir bonus, dicendi peritus, vt Cicero *in Rhetor.* definit; & perfectus orator esse non possit, nisi vir bonus, vt asserit Quintil. *in Proœm. orat. Inst.* quanto magis Iudex is esse debet? Leges ideò Iudicem per antonomasiam atque excellentiam virum bonum appellant. ita Venuleus *in l. continuus. §. cùm ita D. verb. obl. l. vir bonus. D. Iud. sol.* Ea enim phrasis in iure nostro emphasim habet; nam is bonus vir dicitur, qui nullius fraudis conscius, verum honestatis Iudicium, in qualibet re sequitur. Vnde Iudex breuiùs definiri non potest, quàm vt bonum virum esse dicas; vt Celsus definit ius, esse artem boni, & æqui. cuius, inquit, ex Vlpia. Iustinianus meritò eos sacerdotes appellat, *Iustitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Veram (nisi fallor) Philosophiam, non simulatam affectantes, l.* 1. *D. de Iust. & Iur.*

Igitur Astrææ mystam eâ desideramus instructum Philosophiâ, eâ Iustitiâ decoratum

Quæ

Quæ sola in sese virtutes continet omnes.

Quæ deinde in eas partes se diuidat, quibus *prudenter* sapiat, *fortiter* dolores animi cohibeat, *temperanter* voluptates refræ-net, *iustè* res externas moderetur: arithmeticè in commerciis, geometricè in pœnis & honoribus. Chorumque omnium virtutum ducendo singulas colat; sanctitatem erga Deum, pietatem erga parentes, gratitudinem erga bene merentes, liberalitatem erga egenos, obedientiam erga maiores, comitatem erga minores, amicitiam erga æquales, humilitatem erga omnes, veritatem in dictis, constantiam in factis, fidem in vtrisque. Excludat à consortio iustitiæ vindictam, & crudelitatem, pariter ac negligentiam: à Societate veritatis, mendaciũ, simulationem, hypocrisim: ab amicitiæ contubernio adulationem, detractionem, os bilingue; à liberalitatis vexillo prodigalitatem atque auaritiam: à fortitudinis signis timorem, audaciam, temeritatem: à magnanimitatis militia præsumptionem, & pusillanimitatem, mollitiem & pertinaciam: à patientiæ foribus inconstantiam & iracundiam, iram, odium, inuidiam, ferocitatem, crudelitatem: à prudentiæ adytis præcipitationem, astutiam, dolum, fraudem: à choro temperantiæ crapulam, ac ebrietatem, luxum atque libidinem: à modestiæ necessitudine superbiam, bomolchiam, rusticitatem, leuitatem, singularitatem, arrogantiam. Colat inquam virtutes singulas aduersariis suppressis, non timore tantùm pœnæ, sed ipsarũ virtutũ amore, desiderio ipsius veri & recti, dilectione iusti, amore pulchri, eudociâ boni. Qui his gressibus ad Sacra Iustitiæ contendunt, næ illi veram Philosophiam affectant. De his certè Vates *Psal.* 121. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* & Leuit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.* & Vlp. in *l.* 17. *D. de adult.* Iudicem Religiosum vocat. Religionem iudicantis Papin. *in l. quæsitum de rest.* ita *in l.* 3. *C. vbi senatores.* sacer cognitor. *l.* 5. *C. quorum appellat. non recip.* Sacrum auditorium, Iudex sacrarum cognitionum, & sacrarum constitutionum legitur. Sacra sunt non aræ tantùm, & templa; sed religio in primis, & iustitia, & per eam leges; vnde & sacerdotes iuris, quòd sanctissima res sit ea sapientia. *Initium,* inquit Sapiens, *Prouerb.* 16. *bonæ vitæ facere iustitiam.* Optimè Budæus *in l. Iustitia D. de Iustitia & Iure. Iustitiæ Antistitem,* inquit, *oportet esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos, nocentesque immisericordem, atque inexorabilem, erectumque & arduum, & potentem vi & Maiestate æquitatis, veritatisque terrificum.* Quare perbellè

Chryſip. apud A. Gellium *l.* 14. *c.* 4. mores Iudicis à iuſtitia inſtruens inquit, *formâ virginali, aſpectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis: ſed reuerendæ cuiuſdam iuſtitiæ dignitate.* Huic ſe aſymbolum Iudex formet, non precibus, pretióue corrumpatur, non minis, metu aut importunitate expugnetur, malorum infringat audaciam, fiduciam bonis inſpiret, lumina acriter intendat in examen veri, atque æqui. Virgo etiam ſit ipſe, intactus ſcilicet à vitiis, & priuatim etiam bonus, non in publica tantùm officij executione. *Iudicet*, inquit Ambroſ. *c. Iudicet. 3. q. 7. ille qui non agit eadem, quæ in alio putauerit eſſe punienda. ne, cùm de alio iudicat, in ſe ferat ipſe ſententiam.* quando *inexcuſabilis eſt omnis, qui iudicat; in quo enim iudicat alterum, ſe ipſum condemnat. Rom.* 2. Qui de colore iudicat, ab omni alienus debet eſſe colore. *Ariſtot. l. 2. de anima*, qui de peccato, ab eo immunis. Non permiſit Chriſtus in adulterio deprehenſam iudicari, niſi ab eo, qui ſine peccato eſſet. *Ioan. c.* 8. *& Matth.* 7. volens feſtucam ex oculo fratris eiicere, priùs iubetur trabem ex ſuo tollĕre. & *Ier. c.* 2. *Iudicate*, inquit, *manè iudicium*, id eſt, ſobrij à vino, & vitiis. & ita Dauid *Pſalm.* 110. *in matutino interficiebat peccatores.* Optimè Ambroſ. *Off. l.* 3. *c.* 5. *neque quicquam*, inquit, *facit in quo ſe crimine quoquam obliget, etiamſi latere poſſit. ſibi enim eſt reus prius quàm cæteris, nec tam pudenda apud eum publicatio flagitij, quàm conſcientia eſt. non enim latebræ ſapienti ſpes impunitatis eſt, ſed innocentia.*

Porrò palam etiam peccare Iudicem, ſummæ nequitiæ eſt, cùm ſibi non tantùm peccet, ſed & populo, qui re nullâ magis quàm Regum, Magiſtratuumque exemplis in virtutes trahitur, aut vitia. *Tot mortibus digni ſunt*, inquit Nicol. Pap. ad Lothar. Reg. *quot ad ſubditos ſuos, perditionis exempla tranſmittunt, c. præcipuè* 11. *q.* 3. Piè admodum in vitis Patrum *l.* 3. *c.* 52. Abbas Moyſes coactus ad iudicandum fratrem accedere, ſportam arenâ plenam ſuſtulit, quam ſua peccata eſſe dicebat, quæ cùm non noſceret ipſe, iret ad iudicandum alium. quâ ratione iudicium ſoluit, omnibus compunctis, & à iudicando auerſis. Timenda enim comminatio patrisfamiliàs apud Lucam *c.* 19. *Ex tuo ore te iudico, ſerue nequam. In iudicio ſedens*, inquit Chryſoſt. *c. multi diſtinct.* 40. *ſi quidem benè vixeris, & benè docueris, omnium Iudex es; ſi autem benè docueris & malè vixeris, tui ſolius condemnator eris.* Senec. *l.* 2. *de ira c.* 7. inter cætera litium mala *Iudex* inquit *damnaturus, quæ fecit, eligitur.* &

Epiſt.

Epist.97. de iudicio Clodiano, *Minùs*, inquit, *crimine, quàm absolutione, peccatum est. nec antè fuit de salute securus, quàm similes sui iudices suos reddidit.* quod Tacit. *l.12. Annal.* scribit de Nerone *sceleris sibi conscio, & veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset.* vix enim fieri potest, vt ea damnent, quæ faciant; nõ enim in alio possunt odisse quæ in se amant. *Cum ergo*, scribente Fabio, *fauere, & misereri cœperint, agi iam rem suam existimabunt, & sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor; ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, æstu fertur, & veluti rapido flumini obsequitur. Necessarium est*, inquit Cassid. *Reipub. vt cui Iustitia committitur, malis moribus non grauetur; alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere. è contrà verò confidenter quæritur quod inesse sentitur.*

Volo ergo virum bonum cui re ipsâ virtus insit, non imago tantùm, & paries dealbatus. *vt qui conducti plorant in funere.* nam *malus vbi se bonum simulat, tunc est pessimus. & bonitatis verba imitari, maior malitia est.*

Virtutum sanè magna est coniunctio. quam Senec. *ep.67.* vocat indiuiduum comitatum virtutum. vt Stoici existimarint virum non esse perfectum, qui non omnes virtutes haberet: nec actionem perfectam, quæ non fieret secundùm omnes virtutes.

Sed *vitiis nemo sine nascitur: optimus ille, qui minimis vrgetur.* & proprium cuiusque virtutis munus est, vt quamuis in cæteris virtutibus nimium quis non excellat, modò nec vitiis notetur, & à recto iuris iustitiæque tramite non discedat; bonus vir hic & bonus iudex erit. vt hæc non amarè, sed cum quodam temperamento accipiantur. vt à Caio *in l. si quid venditor. 18. §. fur. D. de edil. edict.* quemadmodum *si fortè venditor constantem seruum affirmauerit, non exacta*, ait, *grauitas & constantia quasi à Philosopho desideratur: sed qui optimum coquum esse dixerit, optimum in eo artificium præstare debet: idem & in cæteris generibus artificiorum.* *Non tamen in summo rigore.*

Itaque virtutes in Iudice desideramus non vt in aliquo summi rigoris religioso, sed mediocriter, vt in seruo Caius modicè. quemadmodum Greg. IX. probari non potuit statutum, seu consuetudo Ecclesiæ Argentinensis, ne ad illius præbendas alij, quàm nobiles, & eminentis doctrinæ viri admitti possent. *c. pen. x. de præb.* sic & August. *in c.1. d.81.* in ordinato præsule, D. Paulum interpretans, ait non requiri, vt omnino

omnino sine peccato sit sic enim omnis homo reprobaretur: sed sine crimine, id est, graui peccato, accusatione, & damnatione dignissimo; præsertim in defectu nostrorum temporum, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt. quibus nos oportet condescendere, vt docet Pelag. Papa *c. 7. d. 34.* in qua re Galbam peccasse notat Tacit. *l. 17.* *Constat*, inquit, *potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor, & nimia seueritas, cui iam pares non sumus.*

3. Nisi quoad Iustitiam.

Iustitiam tamen rectitudinemque semper summam requirimus in Iudice, vt in coco optimam coquendi artem Caius: *semper enim boni & innocentis viri officio fungi eum oportet.* Vlp. *in l. 4. D. famil. ercis.* inde & Iudices κρατίστους. id est, optimos, & præstantissimos appellabant. Ita apud Acta Apost. *c. 24.* Claudius Lysias Felicem, & D. Paulus Festum vocant *c. 28.* & Cato describit;

Iustitiæ cultor, rigidi seruator honesti,
In commune bonus.

4. Nisi certa spes melioris frugis suadeat.

Sed tamen fieri aliquando potest, vt eluceat tanta in aliquo spes, vt quamuis vitiosam priuatus vitam egerit, alium Magistratus ostensurus sit virum, & aduersus communes regulas sit promouendus. Vespasianus in melius mutatus est. Nicolaus Rentius Romæ priuatus, demens, & nugator putabatur; Vrbis tribunus cuncta ad se traxit, summâ apud omnes reuerentiâ. Pius IV. omnium expectationem superauit. Sunt alij innumeri, vnde cùm in Senatu actum esset, nequis posthac vitâ probrosus, & opertus infamiâ prouinciam sortiretur, idque Princeps dijudicaret, nõ à legibus delicta puniri, quanto fore mitius in ipsos, melius in socios prouideri ne peccaretur? Aduersus ea disseruit Tiberius *non ex rumore statuendum, multos in prouinciis contra quam spes & metus fuerit egisse: excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios.*

CAPVT VI.

Fidei rectæ.

PRima sanè bonitatis in Iudice species est rectè de Deo sentire, piè credere, ritè venerari. *Constare debet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem.* Augustin. A Deo Iudex, à sincera fide, à proba religione si dissenserit; non aliter munus ad-

administrabit, quàm prouinciam Præses, qui ab Imperatore secessit. nam ita Christus, *Luc.* 11. *Qui non colligit mecum, dispergit.* Seminauit Christus probum semen: insperget Iudex zizania: quomodo hic agricola & dominus conuenient, in seruandis, colendis, purgandis fructibus? Quare rectè Imperatores orthodoxam fidem colendam, hæreses, hæreticosque comprimendos, dignitatibus arcendos, Iudæos, paganos, compescendos, templa horum claudenda, superstitionem tollendam decreuerunt. *tot. tit. C. de Sum. Trinit. & de hæret.* Summa felicitas Rerump. si boni reges, boni Magistratus, probæ fidei, & Religionis fuerint. *Illi* (inquit August. *lib. 5. ciuit. c. 19.*) *qui verâ pietate præditi bene viuunt, si hanc scientiam regendi populos consectati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quàm si Deo miserante habeant potestatem.*

Sed audiamus Diuina ipsa Oracula *Deut. 17. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, excipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram.* & ipsa Sapientia *c. 6. Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.*

CAPVT VII.

Timens Deum.

IEthro consilium exigit Iudices timentes Deum. *Initium* quippe, *sapientiæ timor Domini, Ps. 110. 10.* Non ab alio fonte fluit, non aliâ viâ graditur, quam timor sepserit. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, Sapien. c. 1.* Radix sanè & custos virtutum est timor Domini: ab eo procedunt, sine illius satellitio non sunt securæ. *Anchora cordis*, inquit Greg. *lib. 6. c. 23. est pondus timoris.* ab eo naues

naues nostræ, ne insanis mundi tempestatibus disiiciantur, immergantur que, retinentur, ac sustentantur. *Timor Domini odit malum. Prou. c.* 8. vbi ille hospes est, non admittit vitia, nec cedit malis, quæcumque demum immineant; progenerat fortitudinem, Iudicis iusti scutum inexpugnabile. *In timore Domini fiducia fortitudinis est. Prouerb.* 14. *Super aspidem & basiliscum ambulabit, & conculcabit leonem & draconem. Psal.* 90. *Si consistant aduersus eum castra, non timebit cor eius. Psal.* 26. *Assumet pennas, & sicut aquilæ volabit, & non deficiet. Isaiæ* 40. Rectissimè Lactantius 3. *epist.* primum iustitiæ esse officium scribit, Deum cognoscere vt parentem; metuere vt dominum; diligere vt patrem. non ille est seruilis, is enim *degeneres animos timor arguit.* Filiorum ille est, qui metum simul & amorem vno nodo connectit, vno halitu spirat. Is ille est, qui, quem possidet, beatum facit. *Beatus vir qui timet Dominũ. Psal.* 111. *Beatus homo, qui semper est pauidus. Prou.* 28. quare? *in mandatis eius cupit nimis.* ea illi regula volũtatis, vitæ, actionum. *Qui timet Deum, faciet bona. Eccl.* 15. & quod inde profluit, *qui continens est iustitiæ, apprehendet eam*, & strictè cõplectetur: nõ tepidè, non flaccidè, non in duas partes claudicando, sed feruenti zelo, incenso, intensoq; amore totam amplexabitur. nec ita eo merẽte Iustitia suas partes deseret, sed *obuiabit illi quasi mater honorificata*, sponte se ei offeret, si eam solã totâ animi intentione, nullo affectu alio admisso teneat, *ipsa diriget consilia eius, vias suas demonstrabit illi*: liberabit eum, proteget, eripiet, & glorificabit eum, *& ostendet illi salutare suum. Psal.* 90. præibit illa, æquum iustumque præcinet, audire tantùm, & succinere Iudicem oportet. *Qui timent Dominum, inueniẽt iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent. Prou.* 36. præferet illa facem, quæ tenebras dispellet, quas offundere possunt affectus, metus, amor, dona, & quæcumque alia humana: & cum his pugnantem atque sub illius anciliis mox vincentem solabitur: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Isaiæ.* 3.

CAPVT VIII.

Religiosus erga Ecclesiam.

PIetas in Deum affectum habet Religionis, obseruantiam, & Ecclesiæ venerationem. Valer. Max. *Rubrica* 1. *Omnia post religionẽ ponenda, & semper nostra ciuitas hoc duxit, etiam in quibus summæ Maiestatis conspici decus voluit.* Quapropter non

non dubitauerunt sacris imperia seruire. Varro; *Priùs de diuinis quàm humanis rebus ad senatum referendum est.* & Liu. *l. 6. Consules nulla de re prius quàm de religionibus senatum consuluere.* quin & Niceph. *l.* 10. *c.* 22. ait Iulianum apostatam prohibuisse, ne apparitores præsides antecederent, quando delubrum intergrederentur. Boni Principis est, ac religiosi, Dei sacerdotes honorare atque tueri. *c. boni. d.* 96 *Non licet*, inquit Simmachus, *Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra diuina mandata præsumere, nec quicquam quod Euangelicis, Propheticis, aut Apostolicis regulis obuiet, agere.* & Felix; *Certum est hoc rebus vestris esse salutare, vt cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem sacerdotibus Christi videatis subdere, non præferre, & Sacrosancta per eorum præsules potius discere, quàm docere; Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda iura præfigere: neque eius sanctionibus velle dominari, cuius clementiæ Deus voluit tua pia deuotionis colla submittere, ne dum mensura cælestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. c. certum. dist.* 10. *Cognoscant*, inquit Isidorus, *Principes seculi Deo debere se rationem reddere, propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. c. princ.* 23. *q.* 1. & Ioan. VIII. eos qui Ecclesiarũ tuitionem rogati negligunt, post secundã, & tertiam admonitionem omni cõmunione vsq; ad condignã satisfactionẽ declarat esse priuatos. *c. administ. ibid.* Conciliũ Lateranense, anathemate eos ferit, qui Ecclesiæ iurisdictionẽ & auctoritatẽ Prælatorũ euacuant. *c. non minus. §. iurisdictione. x. de immunit. Ecclesiæ.* Si inter omnes fideles pax & concordia habẽda est, multò magis inter Episcopos & Principes esse debet: qui post imperialis apicis dignitatẽ populũ Dei regunt; ita tamẽ inter se concordare debent, vt alterutri sibi ad Dei seruitiũ peragendũ, & ministeriũ suũ explendũ non solũ non noceant, quin potiùs adminiculo sint. *Cabilonense sub Carolo c.* 20. *Arelat. sub Carolo c.* 12. 13. Cogitent Iudices Deũ zelotypũ esse, & quæ eius præcipua sunt, eiusq; patrocinio tecta, non sine vltionis expectatione temeranda. eam saltem reuerentiã tribuat Christianus Ecclesiæ illiusq; ministris, quam Romani, Græci, Germani, Ægyptij, Cappadoces, Gallisuis olim sacerdotibus, aut Alexander Magnus summo Pontifici obuiã Hierosolymis venienti. *Dis te minorem quod geris, imperas.* Sequatur exempla Constantini, aliorumq; Principũ Christianorũ, quorũ apud homines gloria, apud superos præmia erunt æterna. Plura recenset Ribadin. *in prin. de Princ. l.* 1. *c.* 35. Quicumq; imitabitur Iudex, *in memoria æterna erit Iustus.* hic tamen

2. *Vera religione non hypocrisi.*

veram religionem desidero, non fictam; non Hypocrisim, non specie religionis in ambitionem relabentem, quod execratur *l. 2. D. de extra ord. crim.* non specie religionis fortunas effundentem. Vindicta diuina est, cùm ad tales deferuntur publicæ potestates. *Permittit Deus regnare hypocritam propter peccata populi. Iob. 34.* neque populo benefacere possunt, qui Deo illudunt. *Difficile est* in potestatibus *temperare, qui per ambitionem probos sese simulauêre.* Sallust. *in Iugurt.* Non tamen vitandum est, ne viri Principes conspicui sint, & eluceant virtute, verâ tamen, non fictâ. *Videant opera vestra bona. Matth. 5.* Fuit Scipio non veris tantùm virtutibus mirabilis, sed arte quoque quâdam ab iuuenta in ostentationem earum compositus. Liu. *lib. 26.* Ideò Persis Regibus ignes præferri, & Romanis Imp. ante thronum apponi soliti, vt introspiciantur, & virtute ac vero Dei cultu subditis præluceant. Enimuerò vt Deus auersatur eos, qui virtutes mentiuntur,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt:

ita non æquè vetat, ne defectus suos, qui eminent, celent;

Rara quidem mendâ facies caret, occule mendas.

imò si à vitiis ipsis non abstinent, priuatim tamen, & tantùm clam peccent. tum sui causâ, quia *solutè viuentes despicabiles fiunt, & multas opportunitates præbent insidiantibus.* Arist. *5. Pol. c. 10.* tùm populi. nam *quemadmodum ex erratis, quæ in nauibus inter nauigandum contingunt, si quis præsertim nautarum peccet, leue & paruum adfert damnum; verum si gubernator aberret aut delinquat, omnibus nauigantibus communem fortunam ac periculum struit: ita priuatorum hominum delicta non in plebis, sed in ipsorum incommodum referuntur.* Demost. *orat. 1. contra Aristog.* Magistratus & Principes qui clam peccant, vt priuati peccant; qui palàm, vt potestates: & in sequelam subiectos trahunt, & in omnibus peccant, qui eorum peccant exemplo.

CAPVT IX.

Iustus.

DEus Iudex Iustus, *fortis, & patiens. Psal. 7.* eadem elogia, eoque ordine tribuenda Iudici, pro sui prototypi imitatione. Igitur is esse debet iustitiæ, & æquitatis amans, atque obseruans. non est Iudex, si non est in eo Iustitia. *c. iustum 23. q. 2. Iustus Dominus, & Iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* eâ scilicet dignatione, vt totum vultum inspiciendum porrigere, non frontem tantùm exporrigere velit;

vt

vt tenere id amantium est; epithetum dignissimum Iudice est *Iustus & Æquus*. Hieroglyphicum Iustitiæ dignissimum Lancx & Æquilibrium: quo momenta causarum litigatorumque rationes ponderentur: vt quò inclinat Lancx Iustitiæ, eò descendat religio iudicantis, *c.* 1. *de sent. in* 6. siue suum cuique tribuendum sit, siue scelera vindicanda. Quomodo Diuina manus sententiam Balthasaris in pariete descripsit: *Appensus es in statera, & inuentus minus habens.* quam eâdem nocte Diuinæ damnationis Ministri executi sunt, Rege neci dato.

Neq; enim Iustitiæ trutina sola priuatorũ iura expendit: sed & præmia, atque honores, & supplicia examinat. Semper enim iusta est, siue de publico, siue priuato statuendũ est. In iis autem quæ spectant ad causam Iustitiæ commutatiuæ, rerumq; communicationẽ, seu cõmercia; per formas constituit æqualiter ab omnibus seruandas: nõ distinguit personas. In his quę ad causã distributiuæ spectant, personas distinguit meritas ab immeritis. Est tamen in vtraque æqualitas, in commutatiua ad legem proportionis arithmeticæ; in distributiua ad legem proportionis geometricæ, quam & priuatus & Magistratus vtramque colere debet. Facit id Magistratus, cùm ius dicit super contractibus, & distribuit præmia & pœnas pro ratione & varietate meritorum. Facit id priuatus, dum suum cuique tribuit, quod ex contractu debuit; & distributiuam obseruat, cùm gradus officiorum obseruat, erga Magistrum, parentes, liberos, amicos, hospites, ciues. Pulchrè August. *c. duo* 23. *q.* 4. *Inuigilet disciplina sicut cuique regenti apta & accommodata est; non solùm Episcopo regenti plebem suam, sed etiam parenti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, Iudici regenti prouinciam, regi regenti gentem suam.* De distributiua illud est Tullij *lib. de inuent. Est*, inquit, *habitus animi communi vtilitate conseruatâ suam cuique tribuens dignitatem.* & *ad Heren.* dicitur esse æquitas, vnicuique tribuens, pro dignitate vniuscuiusque. quo disputatio nobilis Triphon. *in l.* 31. *D. depos. Et probo*, inquit, *hanc esse Iustitiam, quæ suum ita cuique tribuit, vt non distrahatur ab vllius personæ iustiore petitione.*

1. *In publicis æquè ac priuatis.*

2. *Commutatiuè & distributiuè.*

Quapropter rectè apud Ægyptios Iustitia per Oculum patentẽ significabatur. Plato *l.* 9. Iustitiam speculatricem, atque vindicem appellat. Chrysippus oculos Iustitiæ virgini acres, rectos, atque immotos facit. Pierius *Hieroglyph. l.* 33. *c.* 1. quòd perspicere omnia, neque etiam conniuere debeat. In sacris etiam litteris Iustitia diuina per oculum vigilantem designa-

3. *Oculo vigilante.*

tur. *Oculum vigilantem ego video.* & *Psalm.* 84. *Iustitia de cælo prospexit.*

4. *Irreflexo, instar aquilæ.* Symbolum etiam Iustitiæ atque Hieroglyphicum traditur Aquila, perspicacissimi scilicet visus. Quod adeò ei proprium naturæ donum est, vt ex vngue pullos suspendat ad obiectum solis: qui irretortis oculis aspexerint, genuini probantur; qui palpitauerint, deiiciuntur, quasi adulterini. Iustorum oculi non ab auri fulgore, donis, muneribus offenduntur, quò minùs infractè rectum videant, & iudicent. Quòd si ad ea palpitauerint, non iusti sunt, adulterini sunt Iustitiæ pulli. Iustorum Imperatorum Hieroglyphicum fuit Aquila fulmini insidens, etiam à Carolo V. vsurpata cum inscriptione: *Suum cuique.* Anonymus *ad Hieroglyphica Pierij lib.* 4. Huc semper oculi Iustitiæ spectant.

5. *Ciconiæ.* Aliud Iustitiæ symbolum est Ciconia, de qua Plin. *l.* 10. *natural. hist. c.* 23. *Genitricum*, ait, *senectam inuicem educant.* Iustitia vices rependit, vnicuique suum reddit. Vnde apud D. Paulum, *nemini quidquam debeatis.*

6. *Vulturis.* Iterum Vultur ab Hercule apud Herodotum pro Iustitiæ symbolo habita fuit, & Hermodorus Ponticus apud Plutarchũ innocentes vultures vocat. Nulli animali mansueto Vultur nocet, aut viuo pascitur, cadaueribus etiam sui generis abstinet, nullis fructibus damnum infert, auxilio est contra serpentes, visu acutissimo valet, cladiumque futurarum prouida, & ex præsagio ad eorum partes se confert, vbi clades futura est, quasi victoriæ Iustitiæ ministra obsequens. Pier. *Hierog. lib.* 18. *c.* 6. 7. 8. Iustitiæ inter prima principia est *alterum non lædere*, & ad alterum *cuique suum tribuere*, pertinet insultum passo se adiungere, vim pellere, à familia, ciue, patria, cladem, quam iusta sententia facit, probare, & exequi.

7. *Palmæ.* Denique iustæ est significationis *Palma.* Inueniuntur binæ palmæ inter se mutuis ramis interplexæ, mas, & fœmina: quasi mutuo obsequij amore ad oscula exporrectæ. Pier. *Hierog. lib.* 50. *c.* 10. Iustitiæ sanè coniugalis Hieroglyphicum. Sed & generatim Palma Iustitiam significat, quòd fructum reddat pari omnino cum foliis pondere; nota æquilibrij Iustitiæ. Incorrupta est Palmæ materia, ac senij nescia: corrumpi non oportet Iustitiæ administros. Folia nisi vi tollantur, numquã amittit: Iustitia est perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi. Ponderibus resistit, & in aduersum incurvatur: Iustitia est constans voluntas. In palma nihil inutile est: Iustũ vsibus humanis totũ atque

publicæ rei proficuum esse oportet. *Iustus vt palma florebit. Psalm.* 91.

Et quia Hieroglyphica Iustitiæ huc nos adduxerunt, addendum vltimo loco est, solere Veteres exhibere Iustitiam in throno sedentem, sinistrâ bilancem libratam, dexterâ tenentem fasces cum alligata securi. pro merito significabant æqua præmia merentibus impendi, & debitas scelerum conuictis pœnas infligi. 8. *Moderata seueritate.*

Erant duæ mulieres captiuæ vtrimque iuxta thronum, à dextris vna fractum ensem prætendebat, altera à sinistris conto innitebatur. illa per fractum ensem nimiam seueritatem retusam cohibitamque significat: hæc per contum lentitudinem, quâ iudicia plus æquo producuntur, correctam.

Lenti sunt, qui nullo scelere, nullis publicis priuatisque iniuriis mouentur ad Iustitiæ vindictam. Iustos zelus Domini comedit. cuius illa æterna vox, *Diligite iustitiam, qui iudicatis orbem. Sap.* 1. *Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Psalm.* 118. *Custodite legitima atque judicia. Leu.* 8. *Non facietis quod iniquum est, nec iniustè iudicabitis. Leu.* 19. *sed iustum iudicium iudicate. Ioan.* 7. *nec in alteram partem declinabitis. Deut.* 16. Tam diu enim quis Iudex dicitur, vt scribit Cassiod. quamdiu iustus putatur; qui enim iuri dicundo datus est, si non ius dicit, non iustus est; si non cuique suum tribuit, non Iudex est, non Iudex rectè dicitur, omnino iam non justitiæ minister, sed fur est, raptor, latro, & si quid peius dici potest. quippe qui sub nomine, & velo sacrosancti ministri, latrocinia, furta exerceat, dum innoxios neci dat, sontes absoluit, reis bona actorum addicit, & his illorum. Æquitas à justo seruatur, cùm neque lucri, neque passionis alicuius causâ ad aliquam partium declinatur. *Auth. de mandat. Princip. cap.* 2. *in fin.* Hanc æquitatem iustus seruat, *ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* qui pro solius justitiæ dictamine tribuit suum cuique, non lædit alterum, ipsi sibi viuit honestè. quem consequitur illud: *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam omni tempore. Psalm.* 105. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur justitiâ thronus eius. Prou.* 20. 9. *Festina lentitudine.*

CAPVT X.

Æquus.

1. *Bono ac æquo nõ callido iure iudicans.*

IVstus Iudex vt semper sit, æquum esse oportet. ad æquitatẽ pertinet ex æquo & bono, non ex callido versutoque jure rem iudicare. scriptum sequi calumniatoris est: boni Iudicis voluntatem scriptoris, auctoritatemque defendere. Cicero pro Cecinna, *Summum ius summa iniuria.* quomodo dicit Eccles. *c. 7. Noli esse iustus multum, neque plus sapias quàm necesse est.* Nimia subtilitas æquitati naturali contraria est. quâ præcisæ actionum, institutionum, legatorum antiquæ formulæ *l.* 14. *D. de diuers. & tempor. præscript.* Neque tamen lenitas nimia sub vmbra æquitatis introducenda est. quomodo Celsus furtum infantis in adolescentiam vsque retenti putauit mulctandum duplo, existimationis non infantis, quod remissius, sed adolescentis, quod Reip. salutarius, ad puniendum crimen perseuerantiâ auctum. *l.* 67. §. 2. *D. de furt.* & Vlp. *l.* 11. *D. de pœn.* intempestiuè misericordiam exercere dolo proximum censet. sic & Marcian. *adulteram dimissam, sed receptam quamuis verbis legis Iuliæ non comprehendatur, tamen dicendum est,* inquit, *l.* 33. §. 1. *D. ad l. Iul. de adult. vt teneatur, ne fraus fiat.* voluntas enim legis præ verbis amplectenda est, eiusque ratio, quæ illius anima est. ita vt in quibus ea non spirat, in iis non viuat lex. quomodo Vlp. in castrato temperat legem, quæ patrono infligit pœnam à liberto iusiurandũ exigente, quo nuptiis renunciet. *l.* 6. §. 2. *de iure iur.*

2. *Non iura tamen scripta æquitatis obtentu subuertens.*

Manifesta tamen ea sit oportet, non quæ aliquid ambigui retineat. quomodo Vlp. *in l.* 1. §. 3. *D. de minorib.* constitutam in minoribus curatelam ob iuuenilem imprudentiam, eis non remitti asserit, quamuis bene rem suam gerentibus. & Imperator ei, qui ad ætatem quâ testamentum condere licet, peruenerat, non ideo à constituto iure recedendum putauit, quod nondum vigoris emersissent vestigia; quia hæ causæ obscuræ sunt, & in singulis disputationem præberent, & litium seminarium. quando *satius est à paucis etiam iustam excusationem non accipi, quàm ab omnibus aliquid tentari.* Seneca *l.* 7. *de beneficiis c.* 16. Cæterum & Papinianus *in l.* 102. *D. de condit.* non tantum interpretando, sed & supplendo subtiliter voluntatem testantis, æquitatem secutus est, excluso substituto, suppletâ conditione, ex naturali aui voto non relictorum liberorum. Vnde li-

quet

quet non omnem etiam ſubtilitatem ab æquitate excludi. vt exemplis exſequitur Thulden. *l. 2. de cauſis corr. Iud. c.* 10. totiq́ue æquitati finium ęquum modum dicit *c. 7. & ſeq. vſque* 19. alioquin iam artem iuriſprudentiæ abſtuleris, ſed acutas tantùm arcet ineptias. etenim ſi arti repudium mittimus, cùm naturaliter homines ad diſſentiendum ſint procliues, nulla erit regula, quâ ęquitas definiatur, ſed pro omni iure vix dum ab intellectu ruſtico remoto erit opinio iudicantis. quantus gratificationi & ſordibus campus aperietur, quantum iudiciorum chaos! videmus id vbi omnia fidei controuerſa ſoli priuato cuiuſque ſpiritui ſubiiciuntur, nullo altero iudice admiſſo; in quot ſectas homines ſunt diſſecti! peius ſanè adhuc cum iure ageretur, vbi minor à materia inerit religio, vel ſcrupus. Non ergo Iudices, non Æquitas ipſa legibus eſt ſoluta, quatenus illis aſſidere dignatur. Quatenus autem aſſidet ſupremis Principibus, eorúmve conciliis, quibus id ſpecialiter illi cõmittunt, quorum partes ſunt, aliquando altiores, publicaſq́ue intueri, & cauſas ſequi. neque numquam, neque tamen ſemper legibus ſolui permittit, earumq́ue ſeueritati clementiam ſubrogat. *qua de re alibi.* Quibus tamen omnibus illud perpetuò commendatum eſſe oportet, vt pro dictamine ſincero conſcientię veram ęquitatem, non palliatam conſiderent. *ne fortè*, inquit Iuſtus Iudex *Ierem. c.* 21. 22. *egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, vt non ſit qui extinguat, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.* ea enim eſt malitia ſtudiorum, quę ab alia cauſa mouetur, quam ſimulat. ab hac cauere debent, qui caſum pro amico formant; qui iram, odium, aliaq́ue animi vitia patiuntur.

CAPVT. XI.

Fortis.

ALterum Dei Iudicis elogium eſt *Fortis.* eſt pro ſuo modo hominis Iudicis. *Noli fieri Iudex, ſi non valeas virtute irrumpere iniquitates. Eccleſ. 7. ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

Fortitudo quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitiæ eſt. c. fort. 23. q. 3. ita coniungit, comparatq́ue ſupremus ille politico-Chriſtianus auctor bellicam fortitudinem, & ciuilem; ob quam plerumque inimicitiæ ſubeundæ ſunt: ſæpè obtrectationes. *Nec*

tamen te pœniteant, inquit idem, *offic. l. 3. c. vlt. eiusmodi offensiones*. neque enim moueri debet Iudex, si eam ob rem ei obganniatur, opprobria, conuitia, libelli etiam famosi de eo spargantur. si enim omnes qui volunt in Christo piè viuere persecutionem patiuntur; tum maximè Iudices, qui officio suo probè fungi volent. solent enim ab eis etiam iure correpti, magnopere eos odisse, & falsa illis crimina obiicere; vt quoquo pacto possint, eis molestiam exhibeant. *c. sunt nonnulli. 2. q. 7. Trid. sess. 13. c. 6.* frangi tamen non debent: neque vexationis timor ad inquirenda & punienda delicta illos segniores reddere, multo minùs officium deserere, & propter malorum opprobrium hominum, quieti se tradere. *c. fugges. 7. q. 1.* infirmi animi sanè id esset: nam *maiore animo tolerari aduersa, quàm relinqui, fortes & strenuos etiam contra naturam insistere spei, timidos & ignauos, ad desperationem, formidine properare*. ex Tacit. *hist. l. 2.* docemur. ideoque Iethro Moysi consulens, vt subsidiarios sibi sumeret, de omni plebe viros potentes exigit, seu virtutis viros, seu fortes, strenuos, ac magnanimos. Alphonsi Arag. Regis illud circumfertur: *Regum esse, non modò benè facere, sed & mala patienter audire. Patientia* enim *lenietur Princeps. Prou. 25. & leuius fit patientiâ quicquid corrigere est nefas.* Aliena sunt ea mala, non nostra: pati ea, non emendare possumus. neque verò vlli patientiùs vituperationes ferunt, quàm qui maximè probro carent. *Quare dices*, inquit Chrysost. *hom. 47. si pauper appellatur rides? quoniam id falsum nouit: itidem si nos iniurias ridebimus, magnum erit argumentum, quòd falsò reprehendamur.*

Calumnia sanè ordinarium est malum, quo litigantes febricitantium more laborant. Quibus si medicus maledicentibus non irascitur, sed condolet: idem facere Iudicem conuenit; misereri morbi, non irasci languenti, non phrenetico. *Non mediocris*, inquit Ambr. *l. 2. off. animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, & Iustitiam custodit, quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, vt auaritiam fugiat tamquam labem quamdam quæ virtutem effeminat.* & Cicero *Rhet. Fortitudo est immobilis inter aduersa glorioſa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec aduersis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo eleuatur.*

CA-

CAPVT XII.

Constans.

COnstantia ad fortitudinem pertinet. Dum ergo se ad Iudicis functionem quis componit, firmare animum expedit constantibus exemplis. Vt Heluidium Trasea monuit apud Tacit. *Ann.* 16. Ita compositum non ferrum, non ignes, non calumniæ, aut rumores populares ab officio deterrent. Animus enim & incitatur maximè, & dirigitur intuitu præuiæ aliorum vitæ, rerumque gestarum; vnde & Tacit. *de morib. German.* refert, quamuis apud eos Historiarum scriptio vsum non haberet, qui benè potius facere & fortiter mallent, quàm scribere: etsi ea res mirè virtutes in posteris excitat, historicique ideo habendi sunt. *Pasquier Recherch. lib.* 1. *c.* 1. tamen & asserit Tac. carminum vsum habuisse Germanos, quibus Herculem, aliosque herõas, viros fortes, in memoriam reuocabant, vt eorum mentione ad vestigia insequenda prouocarentur. Eâdem causâ beatorum Martyrum aliorumq; Sanctorum festos dies Ecclesia celebrat, *quia solemnitates Martyrum*, inquit August. *ser.* 47. *de Sanctis, exhortationes martyriorum sunt.* Ita Ecclesia cùm diaconos ordinat, & officij sui monet, instruit, vt opere & sermone in Euangelij propagationem eant, vestigiisque Discipulorum insistant: *Habete* (inquit) *pedes calceatos Sanctorum exemplis. Pontifical. in Prologo ordin. Diac.* Eodem modo Iudex, cuius inter virtutes constantia in primis sedet subselliis, vt eam vsu totam fructuque suam faciat, proposita sibi semper habere debet illorum Iudicum exempla, quos à recto non abduxit ira Regum, populi furor, preces, & lachrymæ miserorum, thesauri, Cræsi honores, tormenta, ferrum: nec denique mors vltima linea rerum. Quis non firmetur animo, qui Sancti Thomæ Cantuarienſis, Staniſlai, aliorumque sanctam in recti defensione pertinaciam inspexerit? in quibus nullus humanitatis sensus, non dico fidei, sed nec officij constantiam labefactauit?

1. *Obfirmatus magnorum exemplis.*

Iustum, & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ.

In diebus suis, inquit Sapiens, *cap.* 48. *non pertimuit Principem*; *& potentiâ nemo vicit illum. Non consideres personam pauperis, nec honores*

2. *Aduersus potentiã.*

honores vultum potentis. Leuit. c. 19. Galba *apud Tacitum, Hist. l.* 1. *minantibus intrepidus, aduersus blandientes incorruptus.* E contrario, *Prouerb. c.* 11. *Impius facit opus instabile.* Rectè ergo Heluidius, *apud Tacit. lib.* 4. quò firmiùs aduersus fortuita Remp. capesseret, Doctores sapientiæ secutus, quæ sola bona quæ honesta, mala tantùm quæ turpia, potentiâ, nobilitatẽ, cæteraq; extra animũ neque bonis, neque malis annumerat. *Ante iudicium para Iustitiam tibi. Eccles.* 18 illi, iam robur, & triplex circa pectus est, qui hac doctrinâ animum obfirmauerit, vt ab honesto iustoque discedendum sibi non putet, ob opes, paupertatem, honores, exilium, mortem. Iam *contempsit omnes, qui mortem prius,* iam *impauidum ferient ruinæ.* Ita Vates *Psalm.* 118. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Magnæ constantiæ vox Gregor. VII. iam morientis: qui Henricum Imp. deposuit: *Dilexi Iustitiam & odiui iniquitatem: propterea morior in exilio.* Otho Frising. *l.* 6. *c.* 36.

Pro Iustitia agoniza: pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro Iustitia: & Deus pro te expugnabit inimicos tuos. Eccles. c. 4. Appositè Regius Vates *Psal.* 91. *Iustus vt palma florebit.* Palma nec hieme per niues, aut glaciem, seu quamcumque irruentem aëris intemperiem, virorem vigoremque suum amittit. *& folium eius non defluet. Psalm.* 1. Lignum plantatum secus decursus aquarum, lambunt, ambiunt, præterlabuntur aquæ, neque Iustitiam euertunt. Qui res naturales describunt, de Palma referunt ponderibus resistere, & in aduersum incuruari. Iustus ergo Iudex vt palma ibit in contrarium pro Iustitia, si vis contra eam fiat. *Imperatores si in errore essent (quod absit) pro errore suo leges darent: per quas iusti probarentur, & coronarentur: non faciendo quod illi iuberent, quia Deus probiberet.* ita August. *c. Imperat.* 11. *q.* 3. Idemque iterum, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; sed quid si illud iubeat, quod non debeas facere? hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum legum gradus aduertite. Si aliquid iusserit Curator, nonnè faciendum est? tamen si aliud Proconsul iubeat; non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori inseruire. Nec hinc debet minor irasci, si maior prælata est. Rursus si aliquid Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, numquid dubitatur illo contempto illi esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator & aliud Deus; quid judicatis? Solue tributum, esto mihi in obsequium: rectè, sed non in idolio: in idolio prohibet. Quis prohibet? Maior potestas. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur: sic iam tibi assumenda est fides tua tamquam scutum in quo possis omnia ignita iacula inimici extinguere.*

Ex

Ex hoc theatro prodiit constantia Parlamenti Parisiensis sub Ludouico XI. Francisco I. de quo Pasquier Recherches *lib. 5. c. 33.* & Mechlinienſi aliquando non defuit, nec aliis alibi. Et verò quo à Philosophia non tantum instruerentur Iudicus, sed & ab ipsis legibus, ipse Iustin. *Nouell. de Iud. § final. const.* 8. iubet, vt Magistratus, quamuis in medio litis imperatoriam accipiant iussionem, aut sacram formam licet pragmaticam, legem tamen præferre debeant. Quomodo refert Thesaur. *in præfat. decis.* in Senatu Pædemont. extare diploma Emanuelis Philiberti, quo Senatui vetatur à Iuſe discedere, tametsi Princeps iterum atque iterum, litteris etiam manu suâ signatis, quippiam mandet. Qualiter Ægyptij reges iuramentum à Magistratibus exigebant, & consules, senatoresque olim in leges iurasse constat, satius quàm in verba Imperatorum. quod pessumdatâ Repub. frequens deinde memorant Historiæ. Ex hoc fonte profluxit nomen Cancellarij ab officio in rescriptis, responsis, mandatisque Principũ inspiciendis, & malè scriptis cancellandis, & benè scriptis obsigillandis consistente, tametsi alibi *in l. 3. l. nemo C. de assessor.* scribã, notariúmve significet, qui intra cancellos chartas obseruabat, scribebat, cancellabat. In Gallia Cancellariũ aliisq; locis eo celsitudinis ac dignitatis euectũ esse constat, vt Præfecti prætorio instar sit, & Nomophylax censeatur; vt scribit Budæus *in prior. ad Panor. annot.* Oldendorp. *in ep. ad Cancellariũ Italiæ.* vbi & vocẽ eam collaudat. *Id mihi*, inquit, *vicissim omnes dabunt boni viri, hoc tempore nullam reperiri vocem, quâ significantius exprimi possit Magistratus ille salutaris, quàm vt cancellariatus appellatur, ab expungendi functione. Id autem quacumque ratione initio acciderit nihil moror, cùm nunc sit appositissima significatio. Vtpote perquam hac potestate omnes omnium Principum Cancellarij suarum partium admoneantur maximè.* Quas Budæus ita recenset: *Videat*, inquit, *vt nulla Principis constitutio, nulla sanctio, nullum diploma, nullum rescriptum, nulli codicilli regij, non è Repub. atque etiam è dignitate Reip. Principalique exeant, cuius censuræ, aut stylo acta sua eximi numquam voluit Principum Maiestas.* vtpotè quibus notum illud *Isa. c. 9. Væ illis qui condunt leges iniquas.* Sed hæc magna, & ad magnos maximè pertinent. sed nec illis qui eo gradu sunt, quò tanta non perueniant, deesse sua debet constantia, vt nullatenus per compendia vel dispendia à via regia rectiq́ue tramite discedant. quo modo Iustin. non frustrà definiuit Iustitiam constantem, & perpetuam voluntatem ius suum cuique tribuendi. quasi quæ non hodie aliter, aliter

3. *Regũ minas & rescripta.*

4. *(Vide & Cancellariorũ officium, nomen.)*

5. *Casus pro amicis.*

aliter cras sentiat in problematicis nimium multis, vt fingun-
tur, *casibus pro amico*, quasi quæ non actu dumtaxat vno consti-
terit, sed iam habitum induerit, vt perpetuo eadem sentiat,
quasi quæ nullis affectibus, aut causis extra causam inflectatur,
sed perpetuò in omniumque negotiis eadem sit. Et verò ne Iu-
dices tamquam tyrones in hunc Iustitiæ campum ingrediantur,
sed probati iam athletæ, valde expedit, vt qui ad subsellia
assumuntur, aliquid ex vtraque fortuna experti fuerint; ne
Galbæ exemplum iis quadret, *omnium consensu capacis imperij,*
nisi imperasset. Tac. *Hist. l.* 1. Magistratus ostendit virum. non eâ-
dem res est eximiè philosophari, & facere & pati fortia: nu-
meros musicos insigniter callere, & suauiter concinere. bre-
uiter, scire virtutes, & ex earum præscripto agere. In via con-
6. stantium virorum, si non nuper Iudex institerit, *non contristabit*
Prosperam aduersami- q; fortunâ experius. *iustum, quidquid ei acciderit. Prou.* 12. alioquin qui cum fortuna
numquam est luctatus, vires suas, vel infirmitatem nescit. In-
sidiatrix enim illa est hominum, quibuscum, vt dicit Bald. ge-
rit inuisibile bellum, & ipsius ictus priùs sentitur, quàm scia-
tur; & maximè dum blanditur. nam *secundæ res acrioribus stimu-*
lis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.
7. Tacit. *l.* 1. *Hist. Fortuna nimium quem fouet, stultum facit. Sed & in*
Semper idē causis non personis varius. *cognoscendo Iudicem neque excandescere aduersus eos, quos malos putat,*
neque precibus calamitosorum illachrymari oportet. id enim non est con-
stantis, & recti Iudicis, cuius animi motum vultus tetigit. ita Calist.
l. 19. *D. de off. pres.* Sanctissimè è contrario Deum precatur regius
Vates *Psal.* 16. *De vultu tuo Iudicium meum prodeat.* qui semper
idem, semper immutabilis perseverat. ex illo libro lectæ Iudi-
cum sententiæ numquam *quæstiones pro amicis* decident, num-
quam offensioni inimicorum deferent, numquam potentibus
egenorum ius dabunt, *pauperis quoque non miserebuntur in iudicio,*
Exod. 23. semper immoti erunt, qui speculo illi causas omnes
sistent, ab eoque Iudicium suum referent, ibi scripta inuenitur
amicitiæ lex, quam & agnouit Cicero, *vt amantium causa hone-*
sta faciamus, ibi nihil sibi potentior vindicat, nihil vsurpat ditior, gra-
tia abest, causam merita decernunt. Ambros. *l.* 2. *off. c.* 24. non ibi
peruertitur Iudicium aduenæ & pupilli, Deut. 24. ita miseris, pupil-
lis, viduis Iustitia exhibetur, vt aliis iniustitia non fiat. *c. ex te-*
nore. x de for. comp. ibi, *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum,*
abominabilis est vterque Deo. Deut. 17.

C A-

CAPVT XIII.

Patiens.

RElíquum Dei Iudicis elogium *Patiens*. Igitur & Iudex cum manſuetudine audiat opus eſt : memor quòd ipſe *Deus fortis & patiens*, ſuſcipit *manſuetos in Iudicio. Pſ.* 142. illiſque *dat gratiam. Prou.* 3. Iudices quoq; *manſuetos in Iudicio dirigit. Pſal.* 24. viaſque ſuas docet, ac illis præcipit vt ad verbum audiendum ſint manſueti. *Eccl.* 5. 2. *Timoth.* 2. ipſum imitantes, qui mitis eſt & humilis corde. *Matth.* 11. ac tandem in ſalutem manſuetos exaltat. *Pſalm.* 149. Ab hac virtute nonnullis locis ipſi Iudices denominantur, vt Romæ ſumni *Auditores Rotæ, &c.* Patientia ſanè iræ inimica ex virtutibus maximè neceſſaria eſt Iudici; veritatem enim inquirere ſemper debet, quæ temporis filia eſt, iræ furoriſve præcipitiis incognita. *Veritas de terra* lentiſſimo elemento *orta eſt, & Iuſtitia de cælo proſpexit.* Spatio opus eſt, antequam Iudex tam diſiuncta coniungat. tum *doctrina viri per patientiam noſcitur. Prou.* 19. Rectè Plinius *l.* 6. *epiſt.* 2. *Iudicem plurimâ religioni ſuæ patientiam debere*, quòd ea pars magna ſit Iuſtitiæ. id quod monet illud vetulæ; *Si non vis audire, deſine imperare*; & innuit Iantep. *D. de his quæ in teſt. del. in verb. Audias patienter.* Ideò leges iubent Iudicem litigantes cauſâ vtrimque diſceptatâ inſuper interrogare, an aliud addendum habeant, antequam iuri dicendo ſe accingat : non rectè aliter noſcere cauſam Iudex poteſt, ignotam iudicare non poteſt: ideò toties in iure noſtro notio pro Iudicio habetur. Quin & ipſe Deus qui vno oculi ictu omnia perſpicit, cuncta ſupercilio mouet; *Iuſtus Iudex, fortis eſt & patiens.* Imò *melior eſt Sapiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Prou.* 16. Inde vel in ſacris litteris *Machab. l.* 1. aſſeritur quòd Romani obtinuerint omnem regionem patientiâ ſuâ. quo genere Scipio etiam laudatur à Liuio *l.* 26. quòd in tot ambiguis Hiſpanorum legationibus fidem & Maieſtatem adeò ſeruarit, vt *nullum ferox verbū ei exciderit. Spiritū ad iraſcendū facilē quis poterit ſuſtinere?* Quæ ratio videri poteſt quòd Galliextra orbem ſuum aliarū gentium imperia acquirere potuerint, retinere non potuerint. *Vir iracundus prouocat rixas; qui patiēs eſt, mitigat ſuſcitatas. Prou.* 15. quo nomine Liuius nō maiores Carthaginenſiū quàm Romanorū fuiſſe calamitates tradit, ſed nequaquā pari ad patiendū

1. *In audiendis litigatoribus.*

eos robore, ac Romanos fuisse. Quæ altera pars est patientiæ Iudicis, vt non tantùm patienter ipse audiat, sed & iras inter litigantes susçitatas mitiget, id est, radicem plerarumque litium exscindat. Ex ira plerumque lis nascitur, & ex ea cætera Pandoræ mala. Et in his ipsis etiam Iudicem patientem esse

2. oportet.

Cum ingenio tamen.

Circa Aduocatos, inquit Vlp. *in l. nec quicquam D. de offic. Proconſ. patientem esse proconsulem oportet.* addit tamen; *sed cum ingenio; ne contemptibilis videatur, nec adeò dissimulare, si quos causarum concinnatores tantum, vel redemptores deprehendat.* Quamuis enim iustus & pius patienter aliorum malitiam sustinere debeat, non tamen Iudex vlteriùs, quàm publico vel illorum bono expediat. *c. parat. 23. q. 1.* qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud est, quàm fauere eorum impietati, *c. qui ostendit 23. q. 3. si vigorem negligimus, perdit desidia disciplinam c. iustum ibid.*

3.

Atque vt improbos coerceat.

Allaboret igitur Iudex quantum vitia nostrorum temporum pati possunt, vt curia sua, & forum, loca ne sint exercendis in publico vitiis destinata, rabulas forenses coërceat & harpyias, præuaricari, calumniari, tergiuersari, res claras inuoluere, veritatem obscuram reddere ne permittat, sed maximè partes ipsas temerè non tantùm, sed & malitiosè litigantes pœnis iure statutis puniat. quarum plerumque improbitate & auaritiâ & lites excitantur, & iure peruerso agitantur. Neque enim (vt nec Ant. Faber optimè *Cod. l. 9. tit. 22.*) tanti mali causam in Procuratores, aut Aduocatos aut Iudices, quod à plerisque fit, semper detorquendam existimamus; ne quod aliquorum singulare vitium est, in vniuersi ordinis inuidiam non minùs temerè, quàm iniuriosè deflectatur. *Si vt homines*, inquit Seneca (*in lib. vtrum animi an corporis morbus grauior c. vlt.*) *ita causam quoque vnamquamque & litem examines, vnde orta, vnde profecta sit; inuenies aliam à contumaci ira, aliam à furioso contendendi studio, aliam ab iniusta cupiditate originem traxisse.* In id ergo Iudices debent incumbere, ne Iudicia affectibus obsequantur, ne concessa latrocinia videantur; sed eos iudiciis emendent; vt Cicero ad Politici officium retulit *ciuitatem legibus fundare, regere consiliis, emendare iudiciis.*

CA-

CAPVT XIV.

Vacuus ab affectibus.

PRoprias Iudicis virtutes iustitiam, fortitudinem, patientiam aduersarij singulis praui quidam affectus oppugnant, à quibus ne expugnetur numquam nimium cauere potest. Non rectè perspicit oculus cui vitrum colore aliquo tinctum obiicitur. non rectè de gustibus iudicat lingua febricitantis, inundata amaris humoribus: ad solis obiectū alios in iride & vitris quibusdam aspicimus colores, quàm rebus ipsis insint: Ita sanè Iudex occupatus affectibus, non causas, non res ipsas, non Iura litigantium perspicit, agnoscitve, vt verè se habent, sed vt per obiectos affectus, intellectui & Iudicio sistuntur, infecti alienis coloribus. Quare rectè antiqui Iustitiam cæcam obnuptamque pingebant, ne per obiectum personarum aliæ à vero apparerent causæ, sed ad oculos mentis solæ negotij species transmitterentur. Vnde *Sap. c. 9. Constituisti hominem, vt disponat orbem terrarum in æquitate & justitia, & in directione cordis judicium judicet*, non oculorum. Olim constat Iudices ex consensu dari consuetos. Cicero *in Cluent. l. 80. D. de Iud.* vtriusque tamen. nam vetitum est eum Iudicem dari, quem pars altera nominatim petierit. *l. 47. eod.* quo æquè vtriusque amicus, inimicusque sit, nullaque propensioris in alterum animi suspicio. Etenim *quatuor modis peruertitur humanum judicium: Timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus. Cupiditate, dum præmio animum alicuius corrumpimus. Odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur. Amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus. c. quatuor. 11. q. 3. Amor, odium, & proprium commodum faciunt Iudicem sæpè verum non cognoscere.* Arist. *l. 1. Rhet. ad Theod. c. 1.* Igitur si contingat delegari quem Iudicem in causa amici, semper meminerit, vt dumtaxat, amicus sit vsque ad aras Iustitiæ. Optimè Cicero *lib. 3. offic.* Iudicaturum de amici causa exuere personam amici, induere Iudicis. non ille admisisset quæstiones *pro amico*, quas inconditi aliqui indigetant; & in quibus gratiæ locum faciunt. quas rectè insectatur Scriban. *Politic. lib. c. 9.* Christianè idem Ethnicus Cic. *eod. lib. Cùm iudici dicenda est sententia, meminerit se Deum habere testem.* Non ille in Iudicio affectus admittit, non acceptionem personarum. Inde solemnis illa formula breuiculis sententiarum

1. *Affectus obcæcant.*

2. *Amicus pro amico Iudex vsque ad aras.*

3. *Deum præ oculis soli habeat.*

rum Eccleſiaſticarũ more maiorum inſeri aſſueta, *Solùm Deum & Iuſtitiam præ oculis habentes. ex. c. 1. de ſent. in 6.* Iterum Cicero: *Illud eſt hominis magni & ſapientis, cùm illam iudicandi cauſâ tabellam ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi quodcumque cupierit licere, ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem; libidinem autem, odium, & inuidiam, metum, cupiditatesque amouere: maximeque æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à Deo accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt; quæ ſi optimorum conſiliorũ atque factorũ teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu, ſumma etiam cum honeſtate viuemus.* Dignum memoriâ Thomæ Mori exemplum, cui ad mortem eunti cùm obuius quidam, quòd contra eum olim iudicaſſet, exprobraret; perçunctatus quis eſſet, reſpondit ſe cauſæ meminiſſe, atque tùm ita iudicaſſe, vt nunc faceret, cùm in promptu vltimo Iudici rationẽ daturus eſſet. O vtinam omnes ita Iudices! vtinam ſemper meminiſſent ſupremæ comminationis! *Ego Iuſtitias iudicabo. Pſal. 74.* ille ſcilicet, cui *quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ Iuſtitiæ noſtræ. Iſai. c. 64.* Pulchrè noſter Imp. Iuſt. *conſt. 26. de Prætore Thraciæ*; *Magiſtratus*, inquit, *noſtros conuenit, cùm officia ſuſcipiunt, animã ſuam deuouere Deo, & tueri ſubditos noſtros æquitate, & Iuſtitiâ, ab omnibus ſordibus, inimicitiis, gratiâ remotiſſimos.* & iterum:

4. *Aduerſus potentiam infractus.* *Nemini omnino oportet eos ſuccumbere, neque ſi inſigni aliquâ vitæ ſit dignitate præditus, neque ſi opibus abundet. Propterea enim grauioribus viris, & auctoritate plenis, eiuſmodi tradimus officia: ne quid neceſſe habeant remittere his, qui opibus ſuis freti, aliis velint inferre iniuriam.* Obnubilare enim ſolent oculos Iudicum aſpectus potentum: multò maximè ſuorum principum. contra quos niſi euidens ſit cauſa, rarò iudicatur. *Multi*, enim, *colunt perſonam potentis. Prou. 19.* à qua ſe efferendos ſperare poſſunt. Vtpote *mens potentiæ auida nec abſtinere nouit à petitis, nec gaudere conceſſis, nec pietati adhibere conſenſum* Leo *c. 16. d. 77.*

5. *Maximè ſupremum Principem & fiſcum.* Ideoque prudentiſſimè Rex Cath. Ferdinandus conſiliariis ſuis præſcripſit, vt cùm cauſæ Iuſtitia ambigua videretur, contra ſe, fiſcumq; ſuum pronuntiarent. *Non puto*, inquit Modeſtin. *l. 10. D. de Iur fiſc. delinquere eum, qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcum facilè* (nota) *reſponderit.* Vnde laudatur Marcus Anth. Phil. Imp. quòd in cauſis compendij iudicans fiſco numquam fauit. Iul. *Capit. in eod.* & ad Traian. Plin. *in Panegyr. Quæ præcipua tua laus eſt, ſæpiùs vincitur fiſcus, cuius mala cauſa numquam eſt, niſi ſub bono Principe. Quiſquis metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat: quia magis timet hominẽ, quàm Deũ.* Auguſt. *ad Caſul. c. quiſquis. 11. q. 3. Oportet Iudicem cauſam merito diſcernere,*

non

non gratia, neque sic recipere faciem potentis, vt contristet contra Iustitiam pauperem: neque pro paupere auferre Iustitiam à potente. Isid. *l.2.c.5.* Quare rectè Ariopagitæ cæci erant, seu de nocte judicabant. *Quia cognoscere personam in Iudicio non est bonum. Prou.* 24. *Deut.* 16. *Eccl.* 42. & iusti Regulam Canones scribunt, *In iudiciis non est acceptio personarum habenda. c. in Iud. de Reg. Iur. in* 6. appositè apud Poëtam, *Rex Iuppiter omnibus idem. Tros Rutulusve fuat nullo discrimine habebo. & Deut.* 1. *Quod justum est judicate, siue ciuis ille sit, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum.* Ideò Iudex tamquam mediator, quòd se vtrique parti medium dare, vtrumque audire, cuique suum tribuere debeat, nullo personæ respectu. Arist. *l.5. æth. c.4.q.3. Statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius. Prou.* 11. *qui autem aliter*, inquit Beda *in eum locum, causam pauperis, aliter sodalis, aliter audit ignoti; statera vtique laborat iniqua.* Hanc primam legem in amicitia Lelius apud Cicer. sancit, vt *neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati: nulla enim est excusatio peccati, si amici causâ peccaueris.* At verò, quia affectus excæcant, ne vel improuidi labantur, *probi & modesti Iudices se solent excusare, quando manifestum est, alteram apud eos partem gratiâ præualere.* Cic. *lib. de Orat. Quærendi ergo sunt Iudices. de alterutra parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur.* Optat. Mileuit.

6. *Vniuersim sine exceptione personarum.*

CAPVT XV.

Muneribus abstinens.

AFfectum maximè conciliant munera, *excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum. Deut. c.*16. *Exod. c.* 23. *Eccles.*20. *Psal.*14. *Isaiæ* 33. *Prou.* 15. Expugnant etiam illos, quibus robur, & æs triplex circa pectus. Placant homineſque, deoſque. exprimit Plautus in Cisleb. *Inde in amicitiam insinuauit, cum matre, & mecum simul, blanditiis, muneribus, donis.* Remouendâ igitur à Iudice quàm longissimè. Rectè antiqui imaginē Iustitiæ manibus orbam pinxerunt. Optimè Vates Diuinus, *Ps.*47. *Iustitia plena est dextera tua.*

1. *Munerum vis.*

Laudatur Pescennij Nigri Principis Romani, qui Iudicibus publica salaria instituit, memorabile dictum: *Iudicem nec dare quicquā debere, nec accipere.* Rectè Iust. *de Mand. Princ. C* 1. *Oportet igitur te purè sumentē administrationē, & sine omni suffragio, præ omnibus aliis mundas seruare Deo, nobisq; & legi manus, & nullu cotingere lucrum,*

2. *Ideo salaria Iud. ex publico.*

crum, neque maius neque minus. & Nouel. 8. Vt iudices sine quoquo suffragio. §. quapropter. & nouel. de Præt. Thraciæ, Itaque, inquit, *cùm Dei & nostri memoria versentur in pecunia.* & iam olim lex Cincia vetuit, nequis donum munúsve caperet. quæ pro iisdem hîc accipio, quamuis inter Vlp. & Marc. perplexa distinctio sit, *in l. 194. & l. 224. de verb. signi. Plebiscito,* inquit Modest. *in l. 18. de offic. præsid. continetur, nequis præsidum munus donúmue caperet. Non licet,* inquit August. *ad Marced. epist. 54. Iudici vendere justum judicium, etsi liceat Aduocato vendere justum patrocinium, & Iuris-consulto rectum consilium. c. non licet. 11. q. 3.* vt non verum sit licitam esse munerum capturam, dummodo aduersario nihil iniuriæ irrogetur, sed iustè nihilominus iudicetur.

3. *Munera illicita, etsi non iniquè iudicetur.*

Refellit id disertè Greg. *c. qui rectè 11. q. 3. Qui rectè iudicat,* inquit, *& præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia Iustitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. Bonis malè vtuntur, qui iustè pro temporali lucro iudicant. Tales quippe ad veritatem non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat; quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à iustitiæ defensione recedunt. Acceptio nummorum præuaricatio veritatis. Vnde & pro Iusto dicitur, qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. citò* enim, inquit Isidorus, *violatur auro Iustitia. c. pauper ibid.*

4. *An nihil igitur permissum accipi?*

Quid igitur? morosum facimus & inhumanũ Iudicẽ? nequaquam. *Non in totum,* inquit Vlp. *l. 68. 3. D. de offic. proconsul. xeniis abstinere debebit Proconsul, sed modum adiicere, neque morosè in totum abstineat, neque auarè modum xeniorũ excedat. nam* vt Imp. Anton. rescripsit, *valde inhumanũ est à nemine accipere, sed passim vilissimum, est, omnia auarissimum.* Admodum spectat, quod *l. 6. D. ad leg. Iul. repetund.* scribitur, ne Vrbani Magistratus plus dotti muneris ue in anno accipiant, quàm quod sit aureorum centum. Ex quo textu concidit interpretatio Besoldi, qui eum accipit de muneribus dumtaxat, quæ in auspicio officij dantur, cùm supputationem in annum extendat. & Modest. *in d. lib. 18.* restringit, *nisi esculentum poculentumque quod intra dies proximos prodigatur.* Alioquin nec negotiari præsidibus, eorumque affectis intra prouinciam licet. *l. 33. & seq. D. si certum petat.* minimè ergo omnium dono accipere *l. vn. C. de contract. Iud.* sed emere dumtaxat, quibus ad victum, vestitumque opus habent.

5. *Ita, modò Xeniorum modus non excedat.*

Modũ ergo Xeniorũ Iudices non debent excedere. dicuntur ea quæ hospitibus dantur (ξένος hospes Græcis est) adeoque aduentantibus in prouincia præsidibus ea conueniebat obseruare, quæ monet Vlp. *in d. l. 6.* apud Arcadium *in l. munerum D. de muner.*

muner. Xenoparochi in quibusdam ciuitatibus recensentur. παροχος tributorem indicat, seu datorem. Vt & nunc sunt aliquibus in locis, qui Magnates eò diuertentes salutent, & xenio aliquo gratulentur. Et quamuis existiment aliqui posterioribus id constitutionibus esse correctum; vereor, ne ad eas non satis attendant, sed ipse Vlp. aduersetur, qui morosum vetat esse præsidem, & inhumanum. quos mores non aduocant vltimæ constitutiones. Sed & ipse Vlp. ita obiectionem dissoluit, *Et quod mandatis*, inquit, *continetur, ne donum, vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, emat vè quid, nisi victus quotidiani causa; ad xeniola non pertinet, sed ea quæ edulium excedant vsum: sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.* Ipse quippe Iust. cuius vltimæ sunt constitutiones, *in Nouel. de mand. Prin. §. oportet.* iubet tantùm nullum contingere lucrum. Non illud est xeniolum, non est esculentum, poculentumque, quod intra paucos dies consumi potest. Apparet illud vel legenti exclamationes Iustiniani *in d. Nouel. Vt Iudices sine quoquo suffragio*, reliquisque constit. Vnde non rectè Thulden. *lib. 3. c. 5. de caus. corrupt. Iud.* ait, eam constitutionem ad eos donatores dumtaxat pertinere, qui nullum sub Proconsule negotium habent; quia negociari, mutuò accipere, contrahere in prouincia illis non liceat, quia ipse secus Vlp. explicat. Tota ergo quæstio ab eodem Vlp. in hanc summam contrahitur, vt xenia non producantur ad munerum qualitatem, non ad lucra fiant, non vt venalis fiat sententia, etiam iusta: sed salutandi, gratulandi, amicitiæ causa fiat. quæ si non præstentur, nulla reprehensio fiat; & si præstentur, plerumque laus insit, vt ait Marc. *in d. l.* 214. Numquam laus inesse potest, numquam deesse reprehensio, cùm eo fine datur, vt Iudicis affectibus obrepatur, cùm modus xeniorum exceditur, & eduliorum vsus; & is quidem, qui ad paucorum dierum spatium sit restrictus. Et in hanc sententiam Bonif. VIII. *in d. c. statutum. §. in super*, rescribit, *vt gratis & cum omni puritate iudicium coram Iudice procedat, nullum munus, vel quicquam aliud, nisi forsan esculentum vel poculentum meræ liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cùm ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab iisdem partibus qualitercumque præsumat.* Neque attinet dicere, loqui ibi Bonif. in delegato; nam & is puras manus habere debet, non sordibus, non corruptioni subiectas. nulla id permittit lex. quod enim eo citatus Authent. *de Iud. §. ne autem.* vbi Iustin. pedaneis duos aureos in con-

testatione, duos in fine litis, quę centũ aureos excedit permittit accipere, non ad munera spectat, sed ad stipendia, quæ Iudicibus ex publico constituit Iustin. *Auth. vt Iudic. sine quoquo suffrag.* Non item pedaneis, præter duas auri libras. Ita enim ait: *Propterea enim eligimus fiscum minuere, quatenus horum vnusquisque contentus nostrâ largitate, & quaternis aureis, puras Deo, & nobis, & legi custodiat manus.* Sed neque delegatus Ecclesiasticus stipendia illa à Bonifacio accipit, sed moderatas tantùm, cùm foras proficiscitur, expensas. Quamuis mores passim & huic, & Principum Consiliariis & Magistratibus inferioribus sportulas permittunt.

At verò quamuis generatim hæc ita se habeant: monet tamen ex vetere Græco prouerbio Vlp. *Ne omnia, ne passim, ne ab omnibus accipiatur.* si singulatim rogaretur, an ab omnibus litigatoribus Iudex accipere posset? negaret ab omnibus, negaret tunc cùm reprehensio aliqua, & non laus in esse posset, vt Marcian. *in d. l. 214 de V. S.* sic negat Bonif. VIII. *in d. §. insuper.* cùm non est merâ liberalitate oblatum: illiberaliter accipitur, quod emendæ, vendendæuè sententiæ causa accipitur, vel datur, etiam iustæ: aut quando ita à Iudice litigatores habentur, vt si apparuerint in conspectu eius vacui (vt apud Persas coram Rege sine munere apparere crimen erat) morosè excipiantur, non ei spontè datur, non liberaliter.

6. *Aut sanguinis alicuius respectu detur.* Ab hoc examine procedit lex Iulia *repetund.* dum à sobrinis, propioreuè gradu cognatis in infinitum capere permittit. *l. 1. l. 6. §. apparet D. ad leg. Iul. repetund.* ab his datum, beneuolentiæ & sanguini, non sordibus datum æstimat. A moribus etiam & vita dantis coniectura sumenda est, *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas Iudicij. Prouerb. c. 17.* & *Multi amici sunt dona tribuentis, c. 19.* insidiantur enim, & expugnant munera nescientes; victoriam enim & *honorem acquiret qui dat munera: animam autem auferet accipientium. c. 22.* & *c. 21. Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.*

7. *Aliàs minimè ac ne quidē post sententiā.* Medicos qui ex publico stipendia habent Imperatores *in lege archiatri 6. de profess. l. 10.* ea patiuntur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. Quo argumento videri potest Iudices post sententiam posse munus accipere, non antè promissum, non addictum. Idque aliquibus in locis extra culpam est: tametsi aliis videtur vices recurrere posse, quibus litigare rursus eumdem oporteat, & in id tempus deuinctum Iudicem habere publicè

pericu-

periculosum; præsertim cùm leges quæ munera vetant, tempora non distinguant. Ideoque in Ordinat. Concil. Brab. *art.* 20. prudenter prohibitum est, nequis ante vel post rem iudicatam munus accipiat.

CAPVT XVI.

Ab auaritia alienus.

EST, inquit Iust. *in Nouel. vt Iudices sine quoquo suffrag. hoc sacrorum Eloquiorum mirabile, & verum, quòd auaritia omnium sit mater malorum, maximè quando non priuatorum, sed Iudicum inhæret animabus. Quis enim sine periculo non furetur, quis non latrocinabitur sine reatu, ad administratorem respiciens? illum namq; videns omnia auro vendentem, & præsumens, quia quidquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet. Hinc homicidium, & adulterium, inuasiones, & vulnera, & raptus virginum, & commerciorum confusio, & contemptus legum & Iudicum, omnibus hæc venalia proposita esse putantibus tamquam aliquod optimorum mancipiorum.* Simili exclamatione fertur B. Asterius *in homilia aduersus auaritiam; Tui isti, scelerata Auaritia, fructus, tuo impulsu, incentiuo filius parenti inimicitias denunciat: tu comples terram latronibus, & homicidis, mare piratis, vrbes turbis, atque tumultibus; forum ac tribunalia falsis testibus, sicophantis, proditoribus, Aduocatis, ac Iudicibus eò propendentibus, quò tu pertraxeris. Auaritia mater inæqualitatis, immisericors, inhumana, crudelis.* Et iterũ: *Ita nimirum Auaritia iuxta Apostolum idololatria est, omniumque radix malorum, innumera ex se se vitia progignens. Sicut enim ij, qui aurum in sinu, visceribusque terræ scrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locum cumulatim repositam inueniri narrant, & aliquas velut venas in longum hinc inde produci, sicut arborum à stipite latè sese explicant ac diffundunt radices: ad eumdem modum imagine non nimis impropria auri & auaritiæ multa video germina, multosque surculos, vna eademque stirpe auaritia coniunctos.* 1. *Ea omniũ malorum causa.*

Inde fit vt, iterum idem, *auarus proximis sit odiosus, famulis grauis, amicis inutilis, exteris difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, Vxori malus, liberorum parcus, atque sordidus educator, noctu inter diuque solicitus, & cogitabundus, secum ipse loquens, ac disserens eorum more qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt. Denique cùm omnibus abundat, tamquam omnium egenus ingemiscit, præsentibus non fruitur, quæ absunt anxiè quærit at, propriis non vtitur, & ad aliena oculos adjicit.* Ideoque rectè à Iethro *Exod. c.* 18. non tantùm Iudices non 2. *Auari vitia.*

auari

3. auari requiruntur, sed qui oderunt auaritiam: *quamuis enim sufficiat homini non esse auarum*, ait Caietan. *non sufficit tamen Principi, aut Iudici, sed oportet esse tam alienum ab auaritia, vt oderit ipsam, quoniam auaritia ius omne fasq; peruertit.* Est enim insatiabilis lupus, vt ait Bald. *cons.* 301. *n.* 12. *in fin. l.* 1. Auarus igitur quî Iudex esse possit, nisi vt gregem inuadat, si possit aliena rapiat; si non possit, concupiscat? cùm econtrario primum propriumque Iudicis officium sit, suum cuique tribuere, ab alieno abstinere, non re ipsa tantùm, sed & voto. A pectore Iudicis exulare omnino debet cupiditas. nam si id semel inuaserit, in aureum furorem vertet. Præclarè Ambrosius *c.* 8. *d.* 77. *Sicut ij qui per insaniam mente transtati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat, gratius aurum intuetur, quam solem, ipsa eius oratio, & supplicatio ad Dominum aurum quærit.*

Iudices oderint auaritiã.

Alioquin in furorem aureum vertunt.

4.

5. Prudenter ad Q. Fratrem Cicero: *Si quis est, qui tibi numquam in suspicionem auaritiæ venerit, nihil est quod non ei & committi, & credi rectissimè putem: sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.*

Eisq; nihil credi potest.

6. Quapropter mala quæ in Remp. ab auaris & corruptis Iudicibus proficisci demonstrauimus proximè, satis admonent, vt contra eos leges insurgant. Lex XII. Tabularum Iudicem arbitrúmve jure datum, qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse conuictus esset, capite puniebat. Gellius *lib.* 20. *c.* 1. quæ ita est mitigata, vt obtineat solùm in causa criminali. *l.* 1. *D. ad l. Cornel. de sicar.* in pecuniariis causis litis æstimatio præstatur à Iudice deprauato. *l.* 2. *de pœn. Iud.* vti amittit actionem is, qui diffidentiâ iustæ sententiæ in pecuniæ corruptelam spem negotij reposuit. *l.* 1. *C. eod.* dignitate excidit lege repetundarum damnatus. *l.* 6. *D. repetund.* extra ordinem punitur, & si, ob hominem necandum pecuniam acceperit, capite plectitur. *l.* 7. *eod.* Denique Iustin. promissi duplum, accepti triplum, fisco inferre Iudicem statuit, in pecuniaria causa, præter dignitatis iacturam. *Nouel.* 124. *c.* 2. in criminali autem accusatione bona eius in fiscum, ipsum verò in exilium mitti. Et quò faciliùs noxiæ detegantur, ipsi danti venia datur si criminis Iudicem conuicerit; si autem desit probatio, exigere tam à Iudice quàm ab aduersario iuramentum potest: quod si recusetur, pro conuicto punitur. *Ibid.* Sententiæ etiam quæ in mercedem à corruptis

Pœnæ corruptorum.

ruptis Iudicibus feruntur, etiam citra interpositæ prouocationis auxilium infirmæ sunt, quod Thulden. *de cauſ. corrupt. Iud. lib. 8. c. 7.* intelligit, quando ex pluribus vel vnus corruptus est, præsertim si Præses curiæ, Relator causæ, vel non infimæ auctoritatis alius fuerit, qui reliquos in sententiam suam pellicere potuerit. quæ iuuat ratio, quòd sententia sit nulla, quæ ex falsis instrumentis, aut testibus lata est. *l. 2. & 3. C. si ex falsis inst.* in quarum saltem momentum hunc admitti æquum videtur.

7. *Sententiæ per sordes latæ.*

Sed tamen moderationē Alexandri Imp. *in d. l. 3.* exigerem. *Causa*, inquit, *Iudicati in irritum non deuocatur, nisi probare poterit, eum qui iudicauit, secutum eius instrumenti fidem.* Alioquin rectè argumentatur Angelus *ad d. l. 7.* Vno ex pluribus corrupto non esse in mercedem prolatam sententiam, neque ea venalis fuit. Nam quod addit Thulden. argumentum sententiæ vno ex pluribus Iudicibus, vel arbitris absente latæ; illud ipsum tollit eius distinctionē: nempe si infirmæ fuerit auctoritatis, qui corruptus fuit, vt non noceat. quia inhilominus mandati fines excessi sunt; in omnes enim cōpromissū est, omnes iudicare iussi sunt, vt inquiunt *l. 39. D. de re, Iud. lex 17. §. 7. D. de recept.* Quid enim minus verum est quàm omnes iudicasse, inquit eadem *Lex 39.* & plus nocet vnius contemptus, quàm multorum contradictio. Vnde vno ex Canonicis omisso, irritatur reliquorum electio. neque destinguitur qualis fuerit ille auctoritatis. *c. bonæ de elect.* Addit quidem *d. lex 17.* quòd neglectus arbiter alios potuerit in sententiam trahere, sed accessoriam facit eam rationem, quasi ab æquitate ductam, quâ nullitas à neglectu formæ incurrens vestiatur. nam etsi non foret ille talis, vt reliquos trahere posset, manet nihilominus nullitas à formæ neglectu profecta: At hic reliqui Iudices nullam formam neglexerunt: manebit ergo effectus criminis penes auctorem; præsertim cùm *d. l. 7.* recedit à communiori iure quo sententia pro veritate habetur. nisi, inquam, reliqui probentur secuti corrupti fidem. vt *d. l. 3.* de falso loquitur instrumento.

8. *Etiam ex pluribus Iudicibus vno corrupto si eius auctoritas alios impulit.*

Enimuerò iustâ ratione ductus fuit Alex. Seuer. quem memorat Lamprid. si vnquam furem Iudicem vidisset, paratum habuisse digitum, vt illi oculum erueret, vt verâ eum cæcitate multaret qui non satis habuerat ex Hieroglyphico cæcitatis Iustitiæ. Sed vereor ne non satis lynceus fuerit. quis enim centimanus suffecerit corruptis illis tempestatibus? Ad nostra vsque tempora spectata fuit statua Ducis Burgundiæ Principis Belgarum Valentianis in foro iubentis capite plecti Iudicem

9. *Rursus pœnæ, & comminationes aduersus corruptos.*

cem quemdam, non infimæ notæ, qui vaccam vnam viduæ abstulerat. Vulgare est Sisannis supplicium à Cambyse excoriari iussi, pelle in tribunali expansa, & filio in id locato, & rectiùs iudicare iusso. Digna Principibus exempla, quibus oculos aperiant, & à veterno excitent eos, qui *existimant lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumq; etiam ex malo acquirere. Sap. c. 15.* Sed attendite, *qui iustificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo. Propter hoc sicut deuorat stipulã ligua ignis, & calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi fauilla erit & germen eorũ vt puluis ascendet. Isaiæ c. 5.* Vbi contrà; *Iustus vt palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabitur. Psal. 91.* &, *qui odit munera, viuet. Prou. 15.* &, *qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit, & regem in decore suo videbit. Isaiæ 53.*

Maledictus ergo, *qui accipit munera vt percutiat animam innocentis. Deut. c. 27.* sed & in Respublicas extenditur malum, nec penes reos solos manet pœna. *Iudices*, inquit, *eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede respondebant, & c. idcircò propter vos Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem vt custodia pomarij erit.* Refertur *c. Iudices 1. q. 1. & Malach. c. 1. Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus in æternum. Iustitia eleuat gentem; iniustitia verò miseros facit populos. Prou. 14.*

CAPVT XVII.

Non Iracundus.

1. *Non sit in delatis credulus Iudex.*

PRimi à bile motus non veniunt in hominis potestatem: *Contra primas causas pugnare debemus*, inquit Senec. *de ira l. 2. c. 22.* atque in primis non debemus denunciata citò credere. Idem *c. 29.* vtrobique plenè euoluit & sanctè Gregor. *Si quid de quocumque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te justè possit offendere, facilè non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita; sed præsentibus senioribus Ecclesiæ tuæ diligenter est veritas perscrutanda, & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica destrictio culpam feriat delinquentis. l 11. ep 49. d. 86. c. 13. 15. q. 7. c. 2.*

2. *Mora iræ remedium.*

Sanè generatim maximum iræ remedium est, mora. idem Senec. *c. 28.* Vnde Athenodorus Augustum monuit, ne iratus quidquam antè diceret, vel ageret, quàm elementa sermonis 25. secum relegisset. Referunt Socratem eleuatâ iam manu,

vt

malè meritum percuteret, subſtitiſſe atque edixiſſe, recordari ſe Philoſophum eſſe; & ſeruum malè mulctaturum fuiſſe niſi iratus eſſet.

Ita Imperatores Theodoſius, Valent. & Gratian. *l. 50. C. de pœn.* ſi vindicari in aliquos ſeueriùs iuſſiſſent, noluerunt ſtatim reos aut ſubire pœnam, aut accipere ſententiam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſortem & fortunam ſuſpenſam eſſe; facilè enim feſtinatione cæcâ improuida læuitia pro ſeueritate recipitur, & vt dicit *c. cum apud. 11. q. 3. quo locus miſericordiæ, vel (ſi res tuliſſet) pœnitentiæ non periret. nempe ira ſæpè etiam innocentes in crimen abducit.* Ideò Apoſtolus, *date locum iræ. c. Ira, ibid. Prou. 25.* monemur non proferre in iurgio citò, quæ poſtea emendare non poſſimus. ſed & *c. 22. non eſſe amici homini iracundo, neque ambulare cum viro furioſo, ne diſcamus ſemitas eius, & ſumamus ſcandalum animæ noſtræ.* Rectè igitur in cognoſcendo vetatur Iudex exeandeſcere aduerſus eos etiam quos malos putat. *l. 19. D. de off. c. Præſ. & ſummoperè præcauere debet, vt in dictandis ſententiis nullatenus leuitate aut furore ductus ſit præceps. c. ſummopere. ibid.* Si quid enim per iniuriam fecerit, dixeritve Magiſtratus, vel quaſi priuatus, vel fiducia Magiſtratus, iniuriarum poteſt conueniri: *l. 31. D. de iniur.* & ob id rectè Conſtant. *in l. 2. C. de exact. tribut. lib. 10. Nemo carcerum plumbatarumque verbera aliaque ab inſolentia Iudicum reperta ſupplicia in debitorum ſolutionibus, vel à peruerſis, vel ab iratis Iudicibus expaueſcat.* & rei Iudicatæ auctoritatem comminationes non habent. *C. comminat. epiſt. &c.* Nimirum vt populo præſunt Magiſtratus; ita Magiſtratibus leges, & non legibus Magiſtratus; vt ex Demoſthene, & Chryſippo, Marcian. *in l. 2. D. de leg.* Quòd ſi igitur perperam officio functus erit Iudex, & vendicabunt leges, & pro irrito habebunt. Audiat ergo litigantes, diſceptationique det locum, & demum poſt magnum vtrarumque rationum conflictum ſententiâ decernat, non ab irato animo profectâ, ſed Deo & Iuſtitiâ conſultâ. vt Moyſes in Tabernaculum ingredi ſolebat, antequam iudicium proferret. *d. c. ſummopere.* Quid enim minùs cum Iuſtitia conuenire poteſt, quàm animus irâ vindictæ cupidâ perturbatus, & furore rationis experte agitatus? næ ille tremebundus, & ſaltitans Iuſtitiæ bilancem, & pondera in æquilibrio non ſuſpendet. *Iudicet* ergo, inquit Ambr. *c. in d. 3. q. 7. ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nullâ offenſione, nullâ leuitate ducatur.*

3. *Sententia non præcipitanda, aut mox exequenda.*

4. *Irâ ablegatâ.*

Magno igitur hunc animo esse oportet, qui non admittat insultus alicuius passionis. Nam *magni animi est proprium, esse placidum tranquillumque, etiam offensiones supernè despicere.* Senec. quin imò *speciosius iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinaciâ.* Id maximè Iudicibus congruit, vt scire, ita & facere. Quid enim turpius Iuliano Apostatâ, qui cùm ius diceret, rusticos coram se de iure disceptantes nõ conuiciis modò, sed & pugnis quatiebat? Rectiùs Pyrrhus nobilis lanista discipulis ponere iram iubebat. *Ira*, inquit, *turbat artem.* si in ea arte, quæ iræ apta putatur, quid in diuini, humanique Iuris scientia dicendum? *Non te*, inquit Iob, *c.36.* ergo *superet ira, vt aliquem opprimas.* sed *aufer iram à corde tuo. Eccles.11.* & Apost. *ad Ephes.4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.*

5. Nec animo in pœnas semper prono.

Iudices, inquit Felix 2. *in epist.c.21. & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, & ex radice charitatis suam desiderent promere sententiam.* & Leo, *Odio habeant peccata, non homines; corripiantur tumidi, tolerentur infirmi.* & quod *in peccatis seuerius castigari necesse est, non seuientis plectatur animo, sed medentis. c.2. dist.* 86. Ideoque non viâ regiâ statim semper ad flagra & supplicia eundum est. Sæpè monitio sufficerit, numquam nisi eâ præuiâ accusatio admitti solet. *c.2. de accus. q.7. c.15.* vt diuina monita exigunt, *Matth. c.18. Lucæ c.17.* Iudices ad pœnas semper prompti audiant illud Oseæ, *c.5. Audi domus Israel, & domus regis ausculta, quia vobis Iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.*

CAPVT XVIII.

Prudens.

1. Prudentia Iudici necessaria. quæ illa?

NVllum Numen abest, si sit Prudentia: alioquin sæpè honestas rerum causas, nisi Iudicium adhibeas, permicioſi exitus sequuntur. Prudentia ergò Magistratui necessaria est. Ea si quidem est recta ratio agendorũ. Cui Prudentiæ & discretionis deest virtus, hunc paruo naso esse intelligit Greg. *in Pastor.* qualem lex diuina vetuit ordinari: *Paruo*, inquit, *naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. naso quippe odores fœtoresq; discernimus. Rectè ergò per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Sæpè* si quidem

dem *seruitia virtutes esse mentiuntur: vt tenacitas, parcimonia: effusio, pietas velit videri. c. 6. dist. 41.* Bene Nicephorus: *Ij qui in vna Dei cognitione, omnes cogitationes ponunt, his montes & speluncæ conueniunt; at qui cum virtute & pietate ciuilem etiam viuendi rationem edidicit, & notitiam sibi comparauit rerum variarum; ille verò populum ad optima ducere idoneus est.* Prudentiam primum officij fontem vocat D. Ambros. *lib. 1. de offic. c. 27.* & D. August. *lib. 1. de lib. arb. c. 13.* Prudentiam dicit esse scientiam rerum appetendarum, & fugiendarum. quomodo & Arist. *l. 6. Ethi. c. 5.* Prudentiam habitum esse, cum ratione vera circa bona humana actiuum. & *c. 6.* non esse eam ob cognitionem honesti, sed ob actionem. Vnde *c. 7. Prudenti*, inquit, *maximè opus est rectè consultare.* quæ prima est illius functio: altera in bene iudicando; & tertia in exequendo consistit. Neque enim sistit Prudentia in iudicando, sed vlteriùs voluntatem mouet, vt vbi consuluit, & quid sit agendum censuit, id faciat. Vnde practicè Cicero (vt multa alias) *de fin.* Prudentiam asserit in delectu bonorum cerni. & D. Thomas Prudentiam esse in intellectu practico, pertinere ad virtutem actiuam, mediam esse inter virtutes morales, & intellectuales, requiri ad vitam actiuam, inuenire modum in virtutibus; quarum sanè auriga est. & quia rectè iudicare, rectè consultare, rectè exequi non potest, qui vitium in consilio habet: sequitur Prudentiam veram non esse, nisi in viris bonis apud quos virtutes hospitentur. quod rectè Ambros. *de offic. l. 1. c. 14. Prudentia*, inquit, *cum omnibus bonis habet consortium. nam quomodo potest vtile consilium dare, nisi habeat Iustitiam? vt induat constantiam, mortem non reformidet, nullo terrore, nullo reuocetur metu, nullâ adulatione à vero deflectendum putet, exilium non refugiat, quæ nouerit sapienti patriam mundum esse: egestatem non timeat, quæ nihil deesse sapienti sciat, cui totus mundus diuitiarum est. Quid enim præcelsius illo viro, qui auro moueri nesciat, contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam disiiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur.* Prudentia vt vniuersim cum virtutibus habet commercium, ita in omni hominum, negotiorum genere versatur. Cicero *lib. 4. de fin.* communem quandam facit Prudentiam, quam omnes, qui sibi cuique artificio præsunt, debent habere.

2. *Quæ circa iudicis officiũ in iure dicundo, politia, imperio.*

Ea quæ in singulis est, personalis rectè dicitur facit hominem simpliciter prudentem. Arist. *c. 8.* quâ quis in singulis actionibus quid agendum sibi sit prospiciat. succedit œcono-

œconomica, quâ familiam; politica, quâ Remp. nomothetica, quâ legislationem; militaris, quâ militiam rectè administrat. In Iuris professione, quâ iudiciaria est, ea est prudentia, quæ omnia controuersiæ capita, partes, circumstantias, loca, tempora, personas in vnum congerit, atque ita digerit, vt apoteleſma, corpusque perfectum inde surgat, vt dignosci causa facilè, &, quî iudicari debeat, intelligatur. Quatenus verò regimen siue familiæ, siue Reip. spectat; vt sciatur quæ sit salus populi, familiæue, fiantque quæ eò pertinent. in ea continetur primum, vt bonæ & Reipub. expedientes leges habeantur, & seruentur. Secundò, vt si quid minus lege comprehensum est, per gnomen secundum epikeiam suppleatur. Quomodo Celsus *in l. 17. D. de leg.* dicit, *scire leges non hoc esse, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. & l. 18. benigniùs leges interpretandas esse, quo voluntas earum conseruetur.* Quinimò sæpè res occurrunt, vt supra proximũ legislatoris finem ascendere oporteat, & ex altioribus principiis æquum & bonum deducere, quod non sit contra mentem legislatoris. De qua æquitate atque epikeia Less. *de Quat. virt. Card. lib. 1. c. 2. d. 3. & lib. 2. c. 47. d. 9.* eam dicit Aristoteles esse quamdam Iustitiam, & Iustitiâ legali meliorem. Æquum esse quoddam iustum, & melius quàm iustum legitimum. Tertiò continentur arcana Imperij, rerum publicarũ, ac dominationis. eam vulgò vocant *rationem status.* quam Scipio Admiratus *diss. polit. l. 12. dis. 1.* vocat profundas quasdam, intimas, ac secretiores leges, ad securitatem imperij constitutas. semper enim ad publicum bonum procurandum, aut malum auertendũ diriguntur. Vnde cùm non rectè se habent, Tacit. *l. 14.* vocat *dominationis flagitia.* qui tamen rem etiam malam ob finem bonum gestam, decoro nomine dignatur, cùm loquitur de Agrippina *lib. 12.* longè aliter quàm Massallina se gerente, *nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret.* Vnde Marchiavellus, aliique ausi sunt sentire, & scribere, nihil esse illicitum quod statui expediat. quem refutauit Ribadinera, *de inst. Reg.* aliique rectè. sanè nimis multi sunt, qui Marchiavellum verbis detestantur, vestigia legunt; factis probant. Sed & multa sunt, non adiaphora tantùm, quæ à fine Iustitiam recipiunt, sed quæ re ipsâ aliquid habent ex iniquo, si priuatam rationem spectes; sin autem supremam populi salutem, non iniquè fiant. vt & illud Plutarchi iustum est, *A Iustitia in paruis rebus nonnumquam abeas: si eam saluam voles in magnis.* Hæc omnia prospicere, discernere, horum

omnium

omnium fines regere, prudentia debet. *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens, quàm fortis.*

Prudentiæ defectu plures in Gallia atque alibi reges, regno exuti sunt. In Brabantia etiam nostra Ioannis & Aleidis ducum primogenitus à proceribus in monasterium Affliginiense missus est, & ibi tonsus. Sed rectiùs est à Baronibus & Comitibus Portugalliæ in administratione regni, sine Regis, filiorumque præiudicio, assumptus Regis frater. & id factum ab Innocentio III. probatũ *in c. 2. de supplen. negl. Prælat. in 6.* Meliores etiam Brabantiæ mores habent, vt Duci Reip. impari surrogetur Ruardus, siue Dictator, qui bellũ administret, & Remp. sine successionis interruptione. *Vbi non est gubernator prudens, populus corruet; salus autem vbi multa consilia. Prou. c. 5. nam astutus videt periculu, & absconditur; simplices perrupunt, & damnũ accipiunt. Prou. 22.* 3. *Incommoda defectus prudentiæ per subrogatos auertenda.*

Prudentia legalis præter ea quæ ad statum publicum pertinent, valdè elucet in æstimatione probationum, præsumptionum, eorumque omnium; quæ arbitraria nostris dicuntur. de quibus, bone Deus! quanta exstant volumina! neque tamen tanta, quin & factorum infinitudo plura complectatur. vt vix lis vna non aliquid habeat, quod simul ab auctoribus cum omnibus quæ circumiacent, elucidatum non sit. In plerisque nec legales, nec lesbiæ regulæ Iudicem ducunt. quinimò ad religionem eius pleraq; remittunt, testium fidem, & instrumentorum energiam, præsumptionum inuicem, & cum aliis probationum generibus hostiliter concurrentiũ efficaciam, testimoniorum, monumentorumque pugnam. æstimare, discernere, dirimere, plerumque non præscripto Iure, sed arbitrio singulari debebit. qua ex causa vel maximè verum esse credendum est, quod tradit Quintil. *Inst. l. 6. c. vlt. plus valere in Iudice prudentiam, quàm doctrinam tantùm, quia illa est doctrinæ regula,* negocio applicandæ, vt accidit in architectis: sed etiam quòd ea quæ legibus doceri non possunt, prudentia in singulis negotiis, ex iis principiis decidat, per quæ legũ conditores decernunt ex rebus ipsis. Ius quod in causa positũ est metiatur ex personis, causisq; æstimet, in arena, sub dio, sub manu consiliũ capiat, semper quidẽ in omni controuersia rationem animamq; legis considerando, ipsamq; æquitatẽ, quam natura animis nostris insculpsit, cùm clari aliquid Iuris nõ est, ex fontibus atque capitibus iusti, æqui, & boni deducendo. Quo sensu accipio, quod inquit Cicero, *Fremant omnes licet, bibliothecas omnium Philosophorum vnus mihi videtur XII. Tabul. libellus, si qui legum* 4. *Prudentiæ in arbitrariis virtus.*

fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis magnitudine superare. Christus Apostolos, dum ad prædicandum mitteret, prudentes esse iussit sicut serpentes, & simplices sicut columbas. Serpentes quidem omnem curam collocant in seruando capite, reliqua fortunæ permittunt. Sed non sufficit Christo; innocentiam insuper requirit columbarum. & Dauid: *Super inimicos meos prudentem me fecisti, mandato tuo, Psal.* 118.

CAPVT. XIX.

Sobrius.

1. *Incommoda intemperantiæ, ebrietatis.*

PRudentiam omnem euertit intemperantia. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum eis miscetur, non erit sapiens. Vbi ebrietas dominatur, ibi libido, & furor. Vinolentum sacerdotem & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. c.* 3. 4. 5. *dist.* 35. 2. 7. *dist.* 44. Filij sapientiæ intelligunt, *nec in abstinendo nec in manducando esse Iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi atque opportunè sumendi, vel non sumendi ea, quorum non vsus, sed concupiscentia reprehendenda est. c.* 4. *d.* 40. Iudices ergo Magistratusque concernit ea cautio in primis. nam qui ad clauum Reip. sedent, si furere cœperint, quomodo gubernacula rectè dirigent? quis furor ebrietati par est? *Cœperunt Principes furere à vino. Oseæ* 7. *Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. & ne fortè bibant & obliuiscantur Iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Prou. c.* 31. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Eccl. c.* 19. Sacerdos & Propheta nescierunt, *præ ebrietate absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt Videntem, ignorauerunt Iudicium. Isa. c.* 28. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Oseæ c.* 4.

2. *Cauendæ Iudici.*

Iudex ergo Magistratusque, quem excordem vecordemque numquam esse licet, numquam secreti proditorem, iudiciorum oblitum, aut iustæ causæ præuaricatorem, numquam à sapientia apostatam, numquam hanc cicutam intra fauces admittet, quæ auferat memoriam, dissipet sensum, confundat intellectum, faciat de homine bestiam, de robusto infirmum, de prudente fatuum; apage ista circæa pocula, & qui *Alexandri poculum sic bibunt, vt Æsculapij indigeant. Vsus vini grauat animam, sensus hebetat, corpus onerat.* Sed neque ad vnam id horam, *at vitia vino*

con-

concepta, etiam sine vino valent, Senec. *epist.* 83. trahuntque sequelam malorum, quæ impegerunt: *Venditur œnophoris fundus, sententia nobis.* Terreat monitio Augustini: *Ebrius si vinum sorbet, ab illo absorbetur. Deo fit abominabilis, ab Angelis despicitur, ab hominibus deridetur, à dæmonibus confunditur, conculcatur ab omnibus. Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem.* Absint à Iudice tanta mala, tam grauia incommoda à Magistratu. Nolit esse in conuiuiis potatorum, qui carnes ad vescendum conferunt. *Prou.* 23.

CAPVT XX.

Clemens.

COnstanter, inquit Leo, *ep.* 90. *tenenda est iustitia, & benignè præstanda clementia.* Iudici ergo vt iustum esse conuenit, ita & clementē. Rectè Seneca: *Clementia in quamcumq; domum peruenerit, eam felicem tranquillamque præstabit.* Sed in regia, quò rarior, eò mirabilior. Clementia proprio significatu Maiestati conuenit. *Occidere* enim *contra legem nemo potest, seruare nemo*, Senec. *lib.* 1. *c.* 5. præter supremū Principem, ideoque præter eum ad solas eas supremas curias pertinet, supra legum verba, & mentem Clementē esse. Vt olim Senatus Rom. vt refert ex auctoritate Plinij secundi *lib.* 4. *epist.* Conan. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 9. Iason. *in l.* 1. *in* 2. *lect. in* 3. *not. vers. Secundò pondera. C. de sum. Trin.* Sic Clementia Imperatoria, *in l.* 43. §. 5. *C. de nupt.* Clementia principalis *in l.* 1. *l.* 2. §. 3. *l.* 3. 6. *de his qui veniā ætatis impet.* clementissima sanctio, *in d. l.* 23. 35. 1. *C. de nupt.* Clementia tamen rationi accedit, & causam, non fortunam spectat, vt misericordia, quæ si semper & passim vigeat, discrimen inter bonos, malosque sublatum est; & confusio sequitur, & vitiorum eruptio. Senec. *l.* 1. *de Clem. c.* 2. & transit intempestiua misericordia ad crudelitatē. namque *tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli.* & Vlp. illam intempestiuam exercere dolo proximum censet. *l.* 11. *D. de pœn.* Quare prudenter Clementiam definit Lipsius, *Clementia est virtus animum à pœna, aut vindicta ad lenitatem cum Iudicio inclinans.* & peccat, quæ non assecuta est, & quæ *excessit medicinæ modum.* Pœnarum ratio primò consistit in exemplo, vt vnius pœna metus esse possit multorum. *l.* 1. *C. ad leg. Iul. Repetund.* Deinde in emendationem hominum constituuntur. *l.* 20. *D. de pœnis.* denique in vindicationem, & solatium læsorum.

1. *Laus clementiæ competit supremis.*

2. *Exercenda ea non promiscuè.*

l. 28. §. 15. *ibid.* & generalior est ratio, vt pacata & quieta Resp. sit, & malis hominibus careat. *l.* 13. *D. de offic. Præsid.* Quatenus verò publicæ hæ rationes suadent, aut permittunt, Clementia pœnam aut remitit, aut minuit: sed vetantibus illis, periculosa est Reip. semper ignoscendo inuitantur noua scelera, quorum altrix genitrixque impunitas. Videmus in quibusdam vrbibus quantum homicidarum numerum prouocauerit insolens punitio, assidua remissio. *Qui vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari. Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi.* Ambros. *c. Est onusta miseria* 23. *q.* 4. Eo in genere fuit Antonin. Philosophus, cuius verba: *Absit vt me tenente principatum, vestrûm quisquam meo, vestroq; decreto capite damnetur.*

3. *In multorũ delictis paucorum punitio mitũ faciat; aut si impar futura Iustitia, omittenda; aut si genius populi exigit.*

Quando tamen simul plures deliquerunt, ex paucorum pœna & metu emendatio omnium sperari potest; ex omnium pœna solitudo, & vastitas, & opinio crudelitatis, Clementia necessaria est. *Si tantum irasci vis, quantum sceleris indignitas exigit, non irascendum, sed insaniendum est.* Quare deterritus fuit numero adulterorum Septimius Seuerus, abstinuitque postquam tria millia morte mulctasset. Præstat aliquando omittere præualida vitia, quando illis impares futuri sumus, & seueritas auctoritatem, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit; aut quando cum iis gentibus agitur, quibus supplicia omnia, & quæcumque dura in venenum vergunt, non in medicinam, & correctionem; moneri volunt, & duci; trahi non sustinent, aut verberari. quod alicubi maximè accidit in causa religionis. Vbi zizania iam inualuerunt numero, aut potentiâ, vt Remp. etiam labefactare possint & euertere, *non potest esse salubris à multis correptio, nisi cùm ille corripitur, cùm non habet sociam multitudinem: nam tunc consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega: quia impia, & superba. c. non potest* 20. *q.* 4. quæ sanè omnia aliaque expendere debent Principes, ex quibus eliciant profutura, an obfutura publicè sit Clementia. Administrare enim debent Rempub. non perdere. & in materia religionis quando asperis, quando blandis modis sit agendum, ex rationibus à Greg. expensis *in c. qui syncera d.* 45. discutere, & August. *c. nimium & seq.* 23. *q.* 4.

4. *Iudices inferiores mitigent pœnas in pœnitentibus.*

Iudices verò, qui condonare delictum non possunt, in mitigationem, quàm exasperationem pœnarum decet esse procliuiores; in eoque quidquid circa delinquentem ex ætate eius, bene anteacta vita, spe emendationis, statu Iudicij, breui furore, seu ira seu potu commoti, leuitatem moribus, seu illius, seu

regionis,

regionis, aliisque circumstantiis minuere delictum potest, vt in eo, qui diu in reatu, & squallore carceris fuit, expendet. *lex 25. D. de pœn.* quin imò emendatio delictum subsecuta aliquando pœnam excludit, præsertim si leue illud fuerit, aut Iudex maioris potestatis. Quomodo laudat Agricolam Tacitus, quòd non pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus esset. & Plato sapientibus reos tradi voluit, qui eorum arte ad rectiora flecti possent; sin minus, vita pelli. Notatus Cœcinna à Tac. *lib. 17. quòd proximam quamque culpam antequam pœniteret, vltum ibat.* & Agrippina *l. 13.* dum pœnitentiam filij, aut societatem non operitur.

Rectiùs Germanicus litteris præmonuit venire se validâ manu, ac, ni supplicium in malos præsumant, promiscuâ cæde vsurum; dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo consulerent. Ita Ætolis dictum, si pœnitere possint, posse & incolumes esse. & Æquis, si pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore. Liu. *l. 3.*

Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram. Misericordiam & Iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper. Osæ. 12. Misericordia plenitudo virtutum est, c. 19. dist 86.

Cùm Ætoli pacem à Romanis peterent, confœderationes & merita ostentare meditarentur, Valerius Flaccus suasit, ne quæ aliàs violata erant, memorarent; confessionem iis culpæ magis profuturam, & totam in preces orationem versam. Addit Liu. *lib. 36. non in causa, sed in moderatione, & Clementia populi Romani ipsorum salus posita erat: séque iis fauturum apud Consulem, & in senatu, dummodò infimis precibus pacem peterent.* quod ipsi neglexerunt, & eodem die vrbe excedere iussi sunt. Tacit. *l. 36.* Rhodij autem contra Ætolos orationem omnem ad magnitudinem, & Clementiam Romanorum verterunt, & Romanis, inquit *l. 37. apta magnitudini Romanæ oratio visa est, & Rhodij cuncta ex voto consecuti sunt.*

Ita de alijs statuere nos conuenit, tamquam qui quotidie peccemus; ita aliorum vitiis irasci, quasi ipsi imitemur, & præcurramus; ita esse exorabiles, vt dare veniam non nisi nobis ipsis nesciamus.

CA-

CAPVT XXI.

Benignus, Seuerus.

1. *Misericors, benignus, moderatus sit iudex.*

AD Iudicem, omneſque quà iudicant pertinet illud Chriſti præceptum; *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Nam *Iudicium illi ſine miſericordia qui non facit miſericordiam*, minatur D. Iacobus. Ex naturæ principiis Modeſt. *in l. 25. D. de leg. Nulla*, inquit, *Iuris ratio aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione producamus ad ſeueritatem.* Imò è contrario pœnas potiùs interpretatione molliamus, quàm aſperemus. *ex l. 42 D. de pœn.* Iuſtè Arcad. *in l. de minor. D. de quæſt. Tormenta habenda ſunt, non quanta accuſator poſtulat, ſed vt moderatæ rationis temperamenta deſiderant.* & Conſtant. *in l. 2. C. de cuſtod. reor.* vt Iudicibus immodicè ſæuientibus fræni quædam temperies abhibeatur. Vt diſciplinæ ea accedat moderatio, vt calamum quaſſatum non confringat, & linum fumigans non extinguat. Sunt nempe nonnulli ita diſtricti, vt omnem etiam manſuetudinē, ac benignitatem amittant. De quibus Greg. accipit illud Prophetæ: *Vos autem cum auſteritate imperabitis eis, & cum potentia.* Cum auſteritate & potentia imperant, qui ſubditos ſuos *non tranquillè ratiocinando corrigere, ſed aſperè inſectere dominando feſtinant. c. 1. diſt. 46.* Sed & ſunt nonnulli ita manſueti, vt perdant diſtricti iura regiminis. Idem Greg. *c. 14. diſt. 45.* Sed *quæ eſt iſta*, inquit Hormiſda *d. 50. c. 29. Iuſtitiæ inimica benignitas, palpare criminoſos, & vulnera eorum vſque ad diem iudicij ſenſura? vere dico, quia illi ipſi quibuſcum periculoſa & falſa miſericordia indulgere videtur, cum ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos cauſam dicturi ſunt, dicentes, quòd dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta, & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus, in iiſdem permanere peccatis eis inutiliter indulgemus, aut ipſa peccata indulgere permittimus, non recolentes illud, quod in veteri Teſtamento ſcriptum eſt, quia vno peccante contra omnes ira Dei deſæuiit.* Et Origenes *diſt. 5. c. 17. Quæ eſt bonitas, quæ iſta miſericordia, vni parcere & omnes in diſcrimen adducere! Polluiturex vno peccatore populus, ſicut ex oue morbida vniuerſus grex inficitur.* Vnde rurſus Greg. *diſ. 45. c. 14. Cunctis Rectoribus vtraque ſummopere ſunt tenenda, vt nec in diſciplinæ vigore benignitatem manſuetudinis, nec rurſum in manſuetudine diſtrictionem deſerant*

ſerant diſciplinæ. quatenus nec à compaſſione pietatis obdureſcant, cùm contumaces corrigunt; nec diſciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos conſolantur. Regat ergo diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.

Rectorem ſubditis pietas matrem, diſciplina verò patrem exhibeat: etenim, vt rurſus idem Greg. *dist. 45. c. 9. diſciplina vel miſericordia multum destituitur ſi vna ſine altera teneatur, ſed circa ſubditos ſuos ineſſe Rectoribus debet & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſeuiens diſciplina.* Hinc eſt quòd ſemiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur, & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur, quatenus vnuſquiſque qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur. Miſcenda ergo lenitas cum ſæueritate, faciendumque quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multâ aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimiâ benignitate ſoluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis, virga ſimul & manna eſt, quia cum Scripturæ Sacræ ſcientia in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Virgâ enim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat; ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet. Sit itaque amor; ſed non emolliens: ſit rigor; ſed non exaſperans. Sit zelus; ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas; ſed non pluſquam expediat, parcens. Intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam, cum ſæueritate ſociatam; videmus amantē piè, & diſtrictè ſæuientem. Quibus conſonant, quæ habet idem Greg. Auguſt. aliique. *in d. diſt. 45. 46.* & congeruntur à Conc. Trident. *ſeſſ. 13. c. 1.* ita monente Epiſcopos, *vt ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint: atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in iis dominentur; ſed illos tamquam filios & fratres diligant, elaborentq; vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerunt, debitis eos pœnis coërcere cogantur. quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia. cùm ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm auſteritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm poteſtas. Sin autem ob delicti grauitatem virgâ opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia*

2. Salua diſciplina.

dia Iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur, & qui correcti fuerint emendentur; aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eo animaduersionis exemplo à vitiis deterreantur; cùm sit diligentis & pij simul Pastoris officium, morbis ouium lenia primùm adhibere fomenta, pòst vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora & grauiora remedia descendere. sin autem ne ea quidem proficiant illis submouendis, cæteras saltem oues à contagij periculo liberare.

3. *In dubio cedat benignitati.* Quòd si quando hæreat Iudex in quam partem nescius inclinare, quia hinc benignitatem exigit misericordia, inde seueritatem disciplina: pro hac stet rigor, huic aduersetur pietas: ille pro aliis petit exemplum, hæc condolet pœnitenti: nec satis Iudex apud se statuere possit, qualiter Iustitiam cum dulcore misericordiæ possit temperare, qualiter satisfacere simul Dei mandato, *Deut. 25.* vt *pro mensura delicti, sit & plagarum modus*, ac Synodi VIII. *in c. pro. 26. q. 7.* pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur. & d. præcepto Christi, *estote misericordes*: humanior sanè pars erit eligenda. *l. si præs. D. de pœn.* potiùs ad benignitatem ibitur, quàm seueritatem, *c. in pœnis de reg. iur. in 6.* Ideoque per illud Christi præceptum pulchrè Beda: *Præcipi*, inquit, *existimo, vt ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; c. estote. x. de Reg. Iur. Erramus*, inquit Chrysost. *relat. c. alligant 26. q. 7. modicam pœnitentiam imponentes; nónne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? vbi enim paterfam. largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, vt quid Sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. Qui prónus est ad misericordiam, benedicetur. Prou. 22.* non idem de seueritate promissum habemus.

4. *Præsertim Iudex Ecclesiasticus.* Et maximè Iudices Ecclesiastici, & Præsules Ecclesiæ, qui clericorũ correctioni, nõ vindictæ criminum prępositi sunt, in acerbitatẽ declinare nõ debent, tamquã potestatẽ exercentes, & maximè erga eos, qui digniores in clero gradus meruerũt, & honorabiliora membra sunt, vt vocat Concil. Bracar. *c. 8. d. 45.* neque eos carceribus facilè, verberibus, & dolori subiicere, ne dum Prælatus incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat: iuxta illud quod quidam sapiens dixit: *Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimia increpatio nec correctionem recipit, nec salutem.*

Sanè

Sanè ex misericordiæ fonte fluit monitum Ambrosij, *Offic. l. 30. vlt. vt neque monitio aspera sit, neque obiurgatio contumeliosa.* & quod *l. 2. c. 27. cum dolore amputetur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractetur, si potest sanari medicamentis.* & 24. *neque vrgeas iterum, & impugnes, cuius crimen deprehenderis.* sed rursus *eod. cap. in ipso munere neque nimiam esse remissionem conuenit, nec diram seueritatem, ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur.* Finiat hæc ergo Augustus ad *Marcellinum Comitem c. circumcelliones. 23. q. 5. Imple Christiane Iudex pij patris officium; Sic succense iniquitati; vt consulere humanitati memineris: nec in peccatorum atrocitatibus exerceas vlciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.*

CAPVT XXII.

Peritus.

ERuditum Iudicem desideramus non vt percalleat numerosarum legum verba, sed sensum, animam, rationem. Ad hanc vt Lydium lapidem omnes excutiat, referat, interpretetur. Ad hunc modum Celestinus mandat Metropolitano Episcopum consecraturo, vt ab eo diligenter inquirat, an in promptu habeat legere scrutabiliter (& non transitoriè) tã sacros Canones & sanctum Euangelium, quàm diuini Apostoli librum, & omnem diuinam Scripturam. *cap. 6. dist. 38.* 1. *Non in cortice verborum, sed in cute iuris-prudens.*

Vera Iuris prudentia requiritur, non sophismatibus versa, atque peruersa. Vnde Rabinus, *c. 7. dist. 37.* refert Origenem ciniphes & ranas, quibus Ægyptij sunt percussi, vanam dialecticorum garrulitatem, & sophistica argumenta intellexisse. & Hieronymus interpretatur inebriari eos sicerâ, qui sęculari abutuntur sapientia, & dialecticorum tendiculis; quæ *non tam vincula*, inquit, *sunt appellanda, quam phantasmata, id est, vmbræ quædam, & imagines, quæ citò pereunt; atque soluuntur. c. 4. dist. 37.* & idem iterum, *c. 6. ead. dist. Omnem vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt hæretici: quæ Philosophorum sententia definitur, non instruendi vim habere, sed studium destruendi. sed non in dialectica complacuit Deo saluum facere populum suum; regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.* 2. *Non sophisticè.*

Vera iuris prudentia aliarum etiam scientiarum atque historiæ imprimis cognitionem aliquam inuoluit: non eam quidem perfectissimã, quam in iis, singulas profitentur, exigimus. 3. *Cum omniũ scientiarum adminiculis.*

Quamuis enim eæ multâ sui parte nihil pertineant ad edictum prætoris, tamen inconcinna est Iuris-prudentia, & pænè rustica, si nihil aliarum artium in comitatū habeat. Vnde idem Rabinus: *Legitur*, inquit, *quòd præcepit Dominus filiis Israel, vt exspoliarent Egyptios auro, & argento; moraliter instruens, vt siue aurum sapientiæ, siue argentum eloquentiæ apud Poëtas inueniremus, in vsum salutiferæ eruditionis vertamus.* Sic Moses & Daniel omni scientiâ Ægyptiorum & Chaldæorum eruditi fuerunt.

4. *Præsertim eloquentiæ*

Sed præcipuè Iurisprudentem hæ artes commendant, qui magistratum gerit, qui orare, suadere, mouere sæpè populum debet, cuius sermo comptior aliarum artium præceptis, verborum floribus, historiarum authoritatibus intertextus, mirè ad suadam facit. Non aliud modò argumentum dabo quàm quod Cæsar de se *l. 3. de bel. ciuil.* scribit, cùm milites eius in Thessalia à Pompeianis fusi essent: *Hâc habitâ*, inquit, *oratione exercitui omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, vt nemo aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret, & sibi etiam quisque pœnæ loco grauiores imponerent labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi.* Vituperat Tac. *lib.* 19. Vitellium *non alloquio, exercitioque militem firmare, neque linguâ neque auribus competere.* Quare & apud Liuium *l.* 15. Volumnium Appius elinguem vocat. sed ab illo meliùs reponitur: *Quàm mallem tu à me strenuè facere, quàm abs te scitè loqui didicissem.* Ideoque addit Volumnius, prouincias quas ambo administrassent testaturas, quem Resp. magis desideraret, bonum oratorem, aut meliorem Imperatorem. Optimè; sed si cum virtutibus magistratus, & Iuris, ac rerum agendarum peritia, simul gradiatur eloquentia, historiarum, aliarumque artium notitia; næ ille alterius claritudinem, qui his carebit, obumbrabit.

5. *Et historiæ vnde prudentia.*

Ex lectione historiarum præterita noscimus, futura prospicimus nam ea ex præteritis & præsentibus metienda sunt: quibus si accedat experientia, quæ dux est intelligentiæ, norma voluntatis, anima prudentiæ, quæ gignit artes, nutrit, alit, firmat, exornat; quæ velut acies in gladio, & calor naturalis in animalibus, qui per omnia membra diffunditur: ita ea facit ne artes velut mortuæ videantur. Vt visioni non sufficit oculus, sed & lumen requiritur: ita inquam experientia dux omnium artium est, & scientiarum, summum prudentiæ seminarium, sine qua nihil rectè fieri potest.

Si hæc inquam accedant Iure-consulto ad historiarum,

atque

atque eloquentiæ ſtudia profectò non aliter cenſebitur quàm ſi ſponſæ ſpecioſæ mundus muliebris additus fuerit inſignis, inaures, armillæ, cymelia. Sed verò è contubernio ethicam, œconomicam, & moralem omnem philoſophiam excludere non debet, ſine qua vita hominis quaſi citra regulam ducitur. Vnde Plutarchus: *Plerique*, inquit, *Reges ac Principes parum cordati ſtatuarios imperitos imitantur, qui credut Coloſſos magnos, & amplos videri, & tibias vehementer diductis, ſi latere diſtantes, & hiantes fixerint. Nam hi quoque grauitate vocis, toruitate vultus, ac morum truculentiâ, fugâque conſuetudinis humanæ maieſtatem, & authoritatem imperij ſibi videntur mutuari, nihil prorſum à Coloſſorum ſignis diſcrepantes, qui cùm foris heroicam ac diuinam quandã ſpeciem præ ſe ferant, intus pleni ſunt terrâ, lapide, plumbo, niſi quòd iſtud Coloßorum pondus rectitudinem illorum ſtabilem & immotam ſeruat: At ineruditi Duces ac Principes, propterea, quòd intus malè librati ſunt, ſæpenumerò vacillant ac ſubuertuntur; etenim cùm baſi non rectè poſitæ ſublimem ſubſternunt poteſtatem, ſimul cum ipſo pondere nutant & ad ruinam inclinantur.*

Imperiti an Iudices eſſe poſſint aut illius officij incapaces iure Romano fuerint, controuerſum multi fecerunt. Illuſtrem eam quæſtionem facit Hotoman. *q.* 26. & Coraſ. *miſcellan. l.* 5. *c.* 19. *& pluribus aliis allegatis.* Borel. *de magiſt. lib.* 1. *cap.* 8. & ſanè irrefragabilis eſt diſtinctio Hotomanni, quam etiam Cuiacius amplectitur, *Nouel.* 82. *de Iudic.* vt maiores magiſtratus ſcientiam legum neceſſariam nõ habuerint, ſed aſſeſſorem peritum, à cuius præſcripto non liceret eis recedere. *l.* 2. *in fin. D. de orig. Iur.* Ideoque ſi per imprudentiam iudicatum eſſet, non magiſtratui, ſed aſſeſſori officiebat. *l.* 2 *D. quod quiſque iuris.* Pedaneis autem Iudicibus neceſſaria erat iuriſprudentia. quæ omnia rectè comprobantur Auth. *de Iudicib. & vt nullatenus cum Iuramẽt.* militares habere ſuas adminiſtrationes, habere & literatos; vnumquemque hoc agere debere, quod noſſet. Et quanquam Alexander Imperator dicere ſoleret tales adminiſtrationi publicæ præficiendos, qui per ſe ſine aſſeſſoribus Remp. gerere poſſent. Lamprid. *in Seuer.* & ab eo aliiſque nonnullis Imperatoribus iuriſprudentiæ amantioribus Iure-conſultos ſummis officiis admotos conſtet; certum tamen eſt plerumque præſertim in limitibus imperij, ſummos magiſtratus viris militaribus impoſitos. Sed neque hi omnes imperiti erant, vt nec illi quidem, de quibus *in l. certi C. de Iudic.* per quam vulgò imperitos admitti creditum eſt, vt animaduertit Coraſ.

6. *An imperiti Iudices eſſe poßint.*

d.c. 19. *in fin. ex verbis prosui & legis scientia*: quin imò summum probrum erat eorum, qui in aliquam Reip. spem adolescerent, si nec litteras nec nare scirent. quo modo & Cicero dicit turpe esse eius ciuitatis, in qua quis versatur, ius ignorare. & florente Rep. Romani à re militari reliquarum artium disciplinam non seiungebant. Cæsar causas in Foro orauit, commentaria quàm bellè scripsit? quanta bella gessit? Cicero exercitum in Cilicia duxit, historiæ & maximè orationes Liuij ad milites, & in senatu dictæ sententiæ eosdem exercituum duces, Iudices strenuos, prudentesque, & Senatores consultissimos exhibent, disciplinarum & ciuilium simul & militaris gnaros, qui benè in Repub. suas partes egerint, & militarint non sine gloria quale nuper in Gallia exemplum Desdiguerius ab orandis Lutetiæ causis ad Martis labores, & summos honores assumptus. Sacri etiã Canones quanquam non omnium ignaros ad dignitatẽ quam pro reuerentia iudiciorum exigunt, admittant; pro Apostolicis tamen Iudicibus non exactam iuris scientiam postulant. Ideoque assessorem vt delegati assumant, quatenus indigeant permittuntur. *c. statutum. §. assess. de rescrip. in* 6. Imò Leo X. *in Conc. Lateran.* si Theologi fuerint, & requirantur, iniungit, simulque vt iuxta assessoris sententiam iudicent. Sanè maiorum magistratuum partes non erant maximæ quæ in disceptatione forensium controuersiarum vertebantur; vnde aptos vndequaque in summa excellentia cum rarò inuenias, si cætera idoneis non leuiter, desit exacta iurisprudentia, suppleri ea potest per assessorem. Quem vix distingui à pedaneis Iudicibus, qui vtrique ex Iureconsultis sumebantur, est liquidum. *Nouel.* 60. Horum est exactam iuris præstare scientiam. Debent quippe esse periti legum, & morum; nec enim ex vsu esset, vt aliqui Iudicum nomen gerant, & legum sint ineruditi, & in rebus gerendis nullum obtineant vsum. *Nou.* 8. *Quid enim turpius est*, inquit Cic. *de orat. quàm legitimarum & ciuilium controuersiarum cognitionem suspicere eum qui est legum & iuris ciuilis ignarus?* De his ait Iustin. *§. Nou.* 82. *de Iud. Non enim existimauimus oportere habere Iudicum quorumdam nomina, maximè legum ineruditorum, deinde neque causarum habentium experimentum.* De maioribus autem Magistratibus pergit: *Nostris enim administratoribus adsint modis omnibus assessores, & ea quæ legum sunt explicantes, & occupationes adimplentes eorum, quoniam multis detenti curis, quos apud nos habent, merito iudiciorum complent partem per suorum præsentiam assessorum.* Ita Cicer. *pro Planc. Virtus, probi-*

tas

tas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non iuris scientia requiri solet, vt nos in mancipiis parandis quemuis frugi hominem, si pro fabro aut textore emimus, ferre molestè solemus, si eas artes nescierit; sin autem emimus vt villicum, nihil in eo nisi frugalitatem, laborem, & vigilantiam curamus: Sic populus Romanus diligit Magistratus quasi Reip. villicos, in quibus si qua prætereà est ars, facilè patitur; sin minùs, virtute eorum & innocentiâ contentus est. Iterum de minoribus Iustin. *Illi autem neque cingulum habentes, neque nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse quod iustum est, sed aliunde emendicare iudicandi honestatem, quomodo non maximum vitium erit Reip. non eis ex se quod agendum sit scire lites tradere, sed sinere eos quærere alios, à quibus liceat discere, quæ ipsos in iudicando eloqui decet?* & iterum *c.* 11. reiicit Iudices ignorantes leges & experimentum. adeò vt si tales à partibus electi perperam iudicauerint, nolit à Iudicibus ordinariis id emendari.

Belgici mores ferè ita habent, vt in quauis ciuitate, ex prima nobilitate aliquis constituatur, penes quem sit imperium, & gladius, aut etiam minor potestas, penes colligium aliquod iurisdicendi auctoritas. Drossardus ille, Schultetus, Maior, Balliuus similiue titulo gaudet, hi plerumque scabini vocantur. Sine horum decreto nihil ille statuere in quemquam potest. Horum partes sunt leges & Iustitiam tueri. Illi itaque exactioris iuris scientia non est opus, sed iis dotibus, quibus auctoritas ei constet. In iis qui Iustitiam administrare debent, omni modo eam desideramus. Quando maximè verũ est quod scribit August. *Ignorantia Iudicis plerumq; est calamitas innocentis.* & Comicus: *Homine imperito nihil iniquius.* 7. *Belgici mores.*

Sæpè enim imperitus Iudex etiam nolens ob ignorantiam lædit. ea tamen imperitia non excusat, quin litem faciat suam, vel pro Religione iudicantis castigetur *d. l. 2. D. quod quisq; iuris. ibi DD. Del Rio ad l. contract. D. de regul. iur.* Non potest culpa vacare qui ei rei se immiscet, quam ignorat. nemo Fabro vtitur qui ædificare nesciat, nemo medicum adhibet qui morbos & remedia non norit. & in foribus est diuinus terror, Baruch *c. 3. quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* & *Psalm.* 81. (qui de Iudicibus est) *mouebuntur fundamenta terræ* (iura, legesque, quare etsi) *ego dixi; dij estis, & filij excelsi omnes*; (tamen) *vos sicut homines moriemini* (morte secundâ) *& sicut vnus de principibus cadetis.* de principibus tenebrarum. & *Sap. 6. quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundùm* 8. *Imperitus Iudex litẽ facit suã, & minas diuinas expectat.*

voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit; quoniam Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Conformiter Leo ad cler. Const. c. si in laicis 38. d. Si in laicis vix tolerabilis videtur insscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est aut venia? Quare Oseæ c. 4. Quia tu scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Alibi dixi sacerdotes iustitiæ esse Iudices. non malè Socrates malum vnicum inscitiam, bonum vnicum scientiam statuit. quippe solus sapiens iustè iudicat populum suum. Eccles. c. 10. Vnde deductum illud Horatij;

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

9. *Ecclesiasticus nec imperitus admittitur, nec eminẽter doctus exigitur.*

In Ecclesiasticis porrò Iudicibus qui matrimoniales causas, adeoque similes arduas habent tractandas, eos dumtaxat admittit Alex. III. *in c. 1. x. de consang. & affinit. qui sunt discreti, & statuta Canonum non ignorant.* Eminens autem omninò scientia non requiritur ab Innocentio III. *in c. cum nobis olim x. de elect.* sed tamen conueniens. præsertim quam experimenta causarum probauerunt. *d. Auth. de Iud. in princ.* & qui negotiis cognoscendis, & iuri ad causam nato examinando adhuc se dedant, & semper ad se spectare putent monitum Vatis Regij *Psal. 2. Erudimini qui iudicatis terram.*

CAPVT XXIII.

Diligens.

1. *Iudex diligens sit.*

AD officium Iudicis pertinet lites diminuere. *l. 26. D. si certum petatur.* Non parum ad id facit, si iter ingrediatur quod indicat Deut. c. 13. *Quære solicitè & diligenter, rei veritate perspectâ, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem opere perpetratam, statim percuties.* 2. *Par.* 19. *Quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Quòd si Labeo in facto requirit non curiosissimum, neque diligentissimum hominem; sed eum qui rem diligenter inquirendo notam habere possit. *l. 9. d. facti D. de Iur. & facti ignor.* tametsi facta aliena plerumq; ad nos pertineant, eorumque ignorantia obesse non soleat, procul dubio maiorem exigit in cognoscenda causæ veritate, in eo qui de ea iudicare debet. Marcianus iuris ciuilis præter veterẽ & bene fundatam peritiam, anxiè diligens laudatur *in l. 17. D. de Iur. patron.* 2. *Et expeditus.* iustissimos & vigilantissimos Iudices laudat *l. 3. C. de off. rect. prou.*

D. Ber-

D. Bernardus *de considerat. l. 1 c. 9. Causas diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas.* Iob. *c. 29.* inter causas benedictionis præteriti temporis refert: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Iudices oportet rei qualitatem plenâ inquisitione discutere. l. Iudices C. de Iud. nam quidquid non discutitur, Iustitia non putatur.* Cassiod. *l. 2. c. 8.* ergo *Iudicantem oportet cuncta rimari, & tam diu actio ventiletur quousque ad rei veritatem perueniatur. c. vlt. 30. q. 5.* Iulian. *in l. tutor qui. §. 1. D. de administ. tutor. Debuit,* inquit, *confestim officio suo fungi.* & iterum. *Debuit partibus suis fungi, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoriâ cunctatione.* Qui manum porrigit hærenti in salebris vel in foueam lapso, & tamquam Tantalo aquis immerso, idque diu tantũ agit ne omnino submergatur, & cùm extremi halitus iam pœnè sunt euaporati, atque animam mersus agit, tum demum extrahit: næ ille non rectè amicam operam præstitit, sed is qui quantociùs potuit ab incommodo vindicauit. Iudex qui in litigium lapsos expeditâ Iustitiâ extricare potest, & officio deest, cunctanter moratur; virum bonum, Iudicem bonum non præstat.

Sunt verò nonnulli, qui non negligentiâ quidem aut culpâ suâ, prudentes peccent: sed quòd ambigui semper & suspensi hærent, dum dubia alia ex aliis sibi mouent, numquam satisfaciunt, numquam mouere possunt manum de tabula. Accidit id aliquando iis, qui insignes Aduocati fuerunt, soliti pro oportunitate clientum controuersias mouere, probabilem in vna, probabiliorem in altera causa partem defendentes, veritatis indaginem Iudici relinquentes, de ea ipsi rarò statuentes. Quibus vacillare consuetis difficile est postmodum constantem semel pedem figere, eique deinceps vestigio insistere.

Diligentia vt nimiam cunctationem, ita & præcipitationem aspernatur; discretio sanè mater virtutum, nouerca verò Iustitiæ, iudicantis præcipitatio vocatur à Clemente V. *Clem. pastoral. §. verum x. de sent.* & Dei exemplo *monemur ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temere indiligenterque indiscussa quæque quoquo modo iudicemus: mala audita nullum moueant: nec passim dicta absque certa probatione quisquam vnquam credat, sed antè audita diligenter inquirat, nec præcipitando quicquam aliquis agat. c. Deus omnipotens 2. q. 1.* Machetas à Philippo causam suam parum attentis auribus audiente appellauit. ab eoque rogatus, ad quem? Ad te ipsum, inquit, sed attentum & vigilantem. conuenit *c. tuis ex litteris x. de in integ. restit.* 3. *Non præceps tamẽ.*

Valens, Valent. & Grat. *in l. 2. C. de sent. ex breu. recit. Iudices,* 4. *quos*

Sed accuratus & assiduus.

quos cognoscendi & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habitâ post negocium sententias ponderatas sibi forment. Ideò Iudex sedens iudicat: *illic sederunt sedes in iudicio. Psalm.* 21. & monitum Sapien. *c.* 12. *Cum tranquillitate Iudica: qui enim festinus est pedibus, offendet. Prou.* 19. vt bene Liuius: *Nihil magni discriminis consiliis tam inimicum quàm celeritas.* & iterum: *Omnia non properanti clara, certaque sunt: festinatio improuida, & cæca.* Tac. *l.* 5. *Barbaris cunctatio seruilis, statim exequi regiũ videtur.* Sed verò prudenter Demosthenes: *Consulere quidẽ oportet lentè, consulta exequi festinanter.* & Arist. *Celeriter deliberata peragenda sunt, deliberandũ autem tardè.* & Salust. *Priusquam incipias consulta, & vbi consulueris maturè facto opus est.* Idem ex Deut. *c.* 13. mox proposuimus, *si inueneris certum esse quod dicitur, statim percuties.* Illud ipsum est quod *Prou. c.* 31. discimus, *In omnibus operibus tuis* (non consiliis) *esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Vnde apud Tac. *Hist. l.* 3. illius reprehensio, cuius luxum obtendebat *non parare arma, non alloquio exercitióque militem firmare, non in ore vulgi agere, sed vmbraculis hortorum abditis, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras iacent, torpentque: præterita, instantia, futura pari obliuione dimiserat.* Diligentiam Iudicibus iniungit §. *sedebunt. Auth. de Iud.* à matutino tempore in vespertinum, sedere iudicaturos iubet. quod se feciſſe sæpiùs Diuus ipse Augustinus narrat. quod si vnquam, sanè hodie, cùm sunt ingentia litium volumina, atque ab expedito iudiciorum Romanorum ritu longè abitum est, Iudicibus deesse diligentia nequaquam potest. neque eam in discutiendis litis instrumentis tantùm requiro, sed etiam ne existiment vnquam, quamuis diu in arena ista versati, se in scrinio pectoris omnia iura habere deposita. numquam desinant reuoluere codicem. quando non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest, aut ratiocinando quis ea assequi. Multa quia legislatoribus ita placuerunt, iura sunt facta. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Ea denique quæ positiui, vt loquimur, iuris sunt, tam sunt multa, tantaque congeries, vt nemini tam felix sit memoria, vt ea illi omnia semper repræsentet. Sed *sicut omnium artium*, inquit Anaclet. *in c. nihil d.* 83. *in suo quoque opere inuenitur mater Instantia, ita nouerca eruditionis est negligentia.*

Perbellè Reges Persarum moneri solitos refert Plutarchus sub crepusculum matutinum; *Surge Rex, Rempub. cura.* Pulchrè Epaminondas in publica lætitia ciuium rogatus, cur mœnia obiret; respondit se solicitum esse, vt ciuium lætitia posset esse

ſecura. Quàm glorioſa vltima vox Veſpaſiani, *decere Imperatorem ſtantem mori?*

CAPVT XXIV.

Per gradus promotus.

PEr gradus ad ordines & honores eundum eſt, non per ſaltum. Rectè Gregorius, *cap. 2. d. 78. Ordinatè ergo ad ordines accedendum eſt. nam caſum appetit qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per prærupta quærit aſcenſum. Scimus autem quòd ædificati parietes no priùs lignorum pondus accipiant, niſi à nouitatis ſuæ humore ſiccentur, ne fiant è pondera, quàm ſolidentur, accipiant, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant.* Nam optimè Cyprian. *cap. 1. d. 78. Momentaneus Sacerdos neſcit habere humilitatem, obſeruare modos perſonarum, vel ſe contemnere: non ieiunauit, non fleuit, non ſe correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam (quæ eſt ruina diaboli) incidunt, qui puncto horæ necdum diſcipuli fiunt magiſtri.* & ſicut Innocentius ait, miſerum eſt eum fieri magiſtrum, qui necdum didicit eſſe diſcipulus *c. cum in magiſt. x. de elect.* & Iuſtin. *Nouell. 137. Quis inſtar figuli vno ipſo die fictilia ſua tornantis, ita repentè fingat veri cultus antiſtitem, cum angelis ſtantem, & cum Archangelis laudes canentem, & Chriſto ſacrificantem?* & per hæc quidē indicat qualeſnā oporteat ad ſacerdotium promoueri. De his autem qui ordinantur indigni idem hæc dicit in eadem oratione: *Qui cum nihil*, inquit, *ad ſacrum Dei altare & ſacerdotium attulerint, nec in virtute & pulchro priùs inſudarint, & elaborarint, ſimul diſcipuli & præceptores pietatis oſtenduntur, & priuſquā purgati ſunt, purgant, heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes: heri extra ſacra, hodie præſules myſteriorum: veteratores malitiā, nouitij pietate, qui ſunt opus, atque fabrica humanæ gratiæ, non Spiritus ſancti.* Ideoque electionem alicuius in Abbatem mox à profeſſione factam, Innoc. III. irritam pronuntiauit *cap. officij. 38. x. de elect.* Promouendos in iure diſcimus, qui minoris cognitionis officia geſſerunt, ac priùs minoribus, deinde maioribus cingulis bene vſi ſunt. Legimus apud Liu. *lib. 32.* Tribunos plebis ſe interpoſuiſſe, ne T. Quintius Flaminius ex Quæſtura ad Conſulatum pertingeret. *Iam*, inquiebant, *ædilitatem prætura mque faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes, nobiles homines tendere ad conſulatum, ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare.* In militaribus etiam officiis per gradus ad honores iri ſolet. vnde Martē Gradiuum

1. *Incommoda ſaltuum illorumq; cauſæ graduumq; commoda.*

Feſtus

Festus dictum cùpit. Rufus, *diu manipularis, dein centurio, mox castris præfectus. Tac. l. 2.*

Principatum, inquit *l. 1. l. de offic. mag. offi. adipiscatur matriculâ decurrente, ita vt ad curas agendas & cursum illi exeant quos ordo militiæ vocat.* & *l. 2. quos labor prolixior fecerit anteire.* & *l. 12. de primicer. Illud præcipuè promissionem nouam flagitare perlegimus, ne per ambitionem, vel gratiam, aut cuiuslibet occasionis obtentu, vel laborum seu solicitudinum specie, publicorum aliquando liceat cuipiam graduum seriem conturbare, & temporum ratione calcatâ dudum militantibus anteferri, & quæ longis prolixisque stipendiis defensa iam pollicetur senectus, gratiosâ festinatione surripere.* Ita nemo ad patriciatum promouebatur, nisi cõsulatu, præfecti prætoris, magistri militum, aut magistri officiorum administratione functus. Actu, inquam, functus: nam honorariis tantùm codicillis decorati centũ libras auri in publica opera pendebant. *l. nemini. C. de consulibus l. 12.* In Dacia nõ nisi qui aurarias procurassent, ad dignitates admittebantur, *l. 4. C. de metallar.* Sed & rem bene gessisse in minori officio ostendere oportet eum, qui altiorem magistratũ aditurus est, vt Zeno decreuit *in l. 1. C. vt om. Iud.* adeoque magistratuum gestorum liberationes ostendere. Latè Borel. *de magist. lib. 1. cap. 16.*

CAPVT XXV.

Secretus.

1. *Iudex secretus sit, illiusq; ministri.*

ARctissimum secretorũ custodem esse Iudicẽ oportet. Monet Sapiens *Eccl. 28. Attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* & iterum *Prou. 20. Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis;* sed *causam tuam cum amico tracta, & secretum extraneo ne reueles. Prou. 25.* Iubet Auth. *de Iudic. & vt nullat. cap. 7.* vt neque ab eis aliquid peccetur, neque prodatur. Quare & Iudex cauere debet, ne eorum operâ vtatur, quorũ linguæ fidelitatem probè notam non habeat. nam, vt ad Q. fratrem Cic. *quos aut ex domesticis conuictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti; horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda sunt.* Non ille Rex filio in regnum quamuis successuro, sciscitanti quâ horâ postridie exercitus proficisceretur, responsum dedit: sed interrogauit, an vereretur ne solus ille sonitum tubæ non exaudiret?

audiret? *Alium flere quod cupis, primus file.* Dignum Romanis, *vt arcana consilia PP. Conscriptorũ multis sæculis nemo senator euulgarit.* Dignum Papirij exemplum. Dignum Rep. Venetâ, vt quæ consilia tanto numero agitant, extra senatum nemo efferat. Nec inferiores vnitarum Prouinciarum Belgic. Ordines, vbi non vnius ciuitatis PP. Conscripti, non vnius gentis; sed tot ditionũ cóueniunt, quiq́ue in singulos annos mutantur, tã obstinato silẽtio cõsulta tegũt. Octauianus August. Thallo à manu crura effregit, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset. *Sacramentum regis abscondere bonũ est, Tob.* 12. Qui hostibus consilia produnt capite luunt. *l. omne. §. exploratore. D. de re milit.* qui aliis tegenda pandunt, pro causæ merito puniuntur; atque in primis Iudices assessoresq́ue, qui arcana litium reuelant, quod si accidat in negotio fidei, anathemate feriuntur. *c. vlt. de hæret. in* 6. Veteres etiam officij Iudicem moneri voluerunt vel à nomine loci, in quo causæ audiebantur. Secretariũ is nuncupabatur. *Qui fidelis est celat amici commissum Sap. c.* 2. *Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Eccl. c.* 27. *Audiuisti Verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet. Eccles. c.* 19. quanto magis Iudicem, senatorem, magistratum, arcana sui officij publicare non oportet? atque sanè res magnas sustineri non posse ab eo, cui tacere graue est, pridem creditur. Miranda apud Tac. *l.* 15. *Annal.* Libertinæ in celando arcano pertinacia. *Illam non verbera, non ignes, non ira acrius torquentum, ne a femina spenerentur peruicere, quin obiecta denegaret. Sic primus quæstionis dies consumptus. Postero cùm ad eosdem cruciatus retraheretur, gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinculo fasciæ quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto indidit ceruicem, & corporis pondere connisa tenuem iam spiritum expressit. Clariore exemplo libertina mulier, in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cùm ingenui & viri equites Romani senatoresq́, intacti tormentis, charissima quæque suorum pignorum proderent.* Igitur rectè Calist. *l.* 19. *D. de off præsid. Non est resti & constantis Iudicis, cuius animum vultus detegit.* minus recti erit cuius commissa causarum negociorumq́ue arcana lingua prodit. Index is est, non Iudex.

CAP.

CAPVT XXVI.

Concordiæ ſtudioſus.

1. *Conuenit Iudici tranquillitatem & concordiã amare.*

SOror Iuſtitiæ pax eſt. *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Pſal.* 84. At verò inter arma ſilent leges, lites quædam bella ciuilia ſunt, quæ juſtitiam illiuſque ſocias virtutes quo ad litigantes reſpuunt. *Congruit ergò bono, ac graui præſidi, curare, vt pacata ac quieta ſit prouincia, quã regit. l.* 13. *D. de offic. Præf.* Conſonat *l.* 5. *C. de his qui ad Eccleſ. confug.* vt ſimul cum germana iuſtitia conſiſtat, & cum ea leges, virtuteſque: quas bella, lites, iurgia exulatum agunt. cur enim ad arma & rixas venire patiatur prætor, quos poteſt Iuriſdictione ſuâ componere? *l.* 13. *§.* 2. *D. de vſuf.* Inter mandata Principũ ſecundum locum ea cura obtinet. *Auth. de mand. Princ. c.* 2. *Deinde conueniens eſt*, inquit Iuſt. *& te prouidere, vt nulli populi ciuitatum alterutris ſeditionem faciant, ſed omnem pacem eſſe Dei ciuitatibus.* cuius illud, *Beati pacifici, Matth.* 5. & illud diſcipuli, *Pacem diligite, & Deus pacis erit vobiscum. ad Philippenſ.* 4.

2. *An & inter priuatos.*

Sed hoc in controuerſiam traxerunt aliqui, an officio Iudicis, & grauitati conueniat, anniti vt priuatos litigatores conciliet? de publica enim quiete, & quæ à Iudice, Iuriſdictione nõ proxeneticis conſiliis contineri poteſt, iam citatas leges intelligunt & imperat. meminerunt Præſidis, paciſci ſuadentis, inquam, non cogentis. Id enim prohibitum videtur. *quia lex, Auth. vt litig. iurent. notat.* Bart. *in d. l.* 13. *de offic. Præſ.* vt reiicienda ſit incauta Cepolæ cautela, ſuadentis includi litigantes ſimul in carcere; donec conueniant. Vnde nec liceat nimio metu partem ſternere, aut nimiâ fiduciâ inflare. Imò Iudex differens Ius dicere, quo partes tædio affectæ conueniant, tenetur ad id, quod intereſt. Card. *in Clem. ſæpè in §. & quia in* 18. *quæſt de verb. ſignif.* Et verò ratio euincit, vt nemo cogi ad tranſigendum poſſit; Pacta enim omnia & contractus duorum conſenſum requirunt. *Vt nemo inuitus vendere cogatur. Tit. Cod.* nemo permutare, paciſci, tranſigere, ſed & tranſactio vel ideò inuito indici nequit, quod de iure ſuo cedunt ſemper tranſigentes, donare nemo compelli poſſit. Cæterùm non eò pertinet *d. §. quia lex.* agit enim nõ de Iudice, ſed de referendariis dumtaxat, quibus declarat eſſe tantum ius deferendi deſideria ſupplicum ad Principem, & inſinuandi Iudicibus ſacras iuſſiones; cauſis

verò

verò eos se immiscere non posse, vel prehendendo litigatores, vel satisdationem exigendo, vel adigendo eos ad pactionem, vel transactionem aliquam. Cuiac. *ad eandem. Nouel.* 124. *& nouel.* 10. Vnde potiùs sequeretur, Iudicibus, qui se causis immiscent, hæc licere. nisi ratio quam mox explicui, vetaret coactas pactiones. Quanquam Conc. Cathag. IV. non parum videatur permittere in clericis: *Discordantes clericos Episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat. c.* 1. *d.* 90. & laicis in inueterata lite. Concil. Agat. *c. placuit. d.* 90. adeò vt communione priuet & dissidentium oblationes recipi vetet idem Carthag. Conc. *d.* 90. *c.* 2. *& seqq.* Suaserat ergo ille Præses. sed & suaserat proximis personis. Vnde Thuld. *de caus. corrupt. Iud. l.* 3. *c.* 17. existimat inter eos id tentandum Iudici: vt id faciat inter extraneos minùs conuenire illius grauitati. Sed sanè illa lex narrat factum Præsidis, non probat, non improbat: non restringit ad proximos, non laxat: igitur ad rationem res, atque alias leges referenda est. Ratio, sanè præsertim Christiana, suadebit, vt quacumque via reduci iustitiæ germana possit, conductus ei à Iudice detur. allaboret ipse, vt litigantes eam hospitentur. Leo *Serm.* 2. *de Ieiun.* 10. *mensis. Studeamus viduarum defensoni, pupillorum vtilitati, lugentium consolationi, dißidentium paci.* Nemo negat viduarum, pupillorum, aliarumque miserabilium personarum curam ad Iudicem pertinere; itaque dissidiorum ratio pertinebit, vt Leo coniungit. neque verò quod disertè quidem magis illæ leges de publica quiete iniungunt, priuatam concordiam excludunt. Constitutio Frider. *de pace tenenda*, non ad publicam tantùm causam, sed priuata etiam iurgia pertinet. imò verò quod de corpore mandant, de membris intelligunt: & singuli qui incendia curare iubentur, scintillas mandantur non negligere. cui quies omnium est commendata, singulorum est adiecta. quando non rarò visum est ob priuatam duorum contentionem in partes iuisse plures familias, atque integras ciuitates, atque Syllanis & Marianis cladibus pares vicissim dedisse. *Homini religioso*, inquit Calistus, *parum esse debet inimicitias aliorum non exercere, vel non augere malè loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit. capit. iniustum.* 11. *quæstion.* 3. & Stephan. *epist.* 2. *ante medium*: *Studendum est Episcopis* (Iudices ij sunt)

vt dißidentes fratres, ſiue clerici ſiue laici ſint, magis ad pacem, quàm ad iudicium coërceantur. c. ſtudendum d. 90. Quicquid illud eſt quod nos ad veræ pacis ſtudium & caritatis perfectionem prouocat, totis viribus ſectandum eſt. Arelat ſub Carolo. *c.* 12. *Capit. l. 7. in addit. c.* 63. Meld. *c.* 7. Valent. ſub Lothar. *c.* 13. 14. vbi inqui, *Si hæc negligantur, non inter paſtores, ſed interfectores Chriſti ouium inuenimur.* Sanè Auguſt. *de opere monach. c.* 29. queritur ſe tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis.

3. *An arbitrum agere?*

Rectè ſanè Anthonius Faber, vir non tantùm inſigniter eruditus, ſed longâ rerum indiciorumque experientiâ etiam clarus, exiſtimat, conſtitutionibus Gallicis benè iuſſum eſſe, vt in iudiciis inter conſanguineos ſemper tentetur transactio. quod & inter eos qui nullo ſanguinis vinculo ligantur, credit ſuadendum: imò vt & Principes lege latâ ſanciant inter omnes tentanda pacta, & qui experimentum illud ſubterfugerint, ſiue deinde victores ſiue victi fuerint, ſemper expenſis mulctentur. *lib.* 9. *ſui Cod. tit.* 22. Vbi & arbitria & plura ad præſcindendas lites aut intra breuia ſpatia concludendas ipſe proponit legiſlatori qui lites execratur, & bono publico fauet, digna eruditione, iudicio & experientiâ tanti viri. non tamen mihi vnquam placuit, vt cum juramento arbitri ſumantur. quâ praxi vtuntur tamen hodie quidam, improbatâ licet à Inſtin. *Nouel. de Iud.* 8. 9. *quia verò. Auth. decernit. C. de recept. arb.* Neque facit aduerſus prædicta quicquam quod obiicitur arbitriis, offenſum illi litigantium fore Iudicem, quem conceptam à ſe tranſactionem nolle amplecti viderit; primò enim præſupponimus Iudicem eſſe quem oportet, virum probum: à quo id alienum: deinde non ſuccedente tranſactione, Ius dicere debet, ex actis & probatis, & cauſę meritis, non reſpicere ad extrinſeca. denique ſi aliud quod ad expenſas fortè litis pro voluntario compenſandas, qui non temerè videbitur litigaſſe, qui Iudici, proponenti concordiam, voluit obſequi, ſtatuendum Iudici viſum fuerit iuxta Fabri propoſitum, religioni illius, non offenſioni, cui vir bonus, Iudex bonus nil ex iure partium dabit, id committam. & hanc ſententiam pręter citatos iam Canones ſuadent *c.* 1. *de mut. petit. c. fin. de tranſact. c. cauſam q.* 19. *x. de teſt. cap. ſi illis* 23. 4. 4. *cap. querelam* 15. *de Simon. cap. ſi primates* 5. *q.* 2. *l.*

æquiſi-

æquissimum de vsuf. l. 1. §. post. de nou. oper. nunciat. l. 4. de aq. quotid. & summorum vbique atque inferiorum tribunalium praxis amplectitur. vbi in obscurioribus causis puncta officij (vt vocant) partibus proponi solent; quorum sæpè vnicum, plerumque primum est, vt commissarij annitantur litigantes concordes reddere. In obscuris inquam: namque in claris, & vbi iniquitas alterius manu tangitur,, iniquè egerit Iudex, si alterum ad transigendum, & de iure suo remittendum vel consilio suo adegerit.

Non potest tamen Iudex recipere arbitrium eius rei, de qua Iudex est, & in se compromitti iubere prohibetur lege Iulia. *l. 9. §. 2. D. de rec. arb.* quod posterius ratio probat; ea enim jussio eò spectare videtur vt dissolutior, vt arbiter, quàm vt Iudex grassari possit. Volentibus autem suâ sponte partibus, vt Iudex arbitrium recipere possit, fauente Canonum iure, consuetudo passim admisit. Bus. *ad l. 9.* Enimuerò postquam arbitria ad instar iudiciorum redacta sunt, non nimiùm probo vt Iudices partibus suadeant, vt in se compromittant, sed neque vt etiam volentiũ arbitrium promiscuè in se suscipiant: sed eorũ tantũ, quorum tum enixa est voluntas, tum integra sinceritas, & ius tantum petentium, sine diuerticulis votum. alioquin inter pænè inuitos, & moribus asperos difficiliùs arbitrij iure causa instruitur, quàm imperantis iurisdictione; & cùm arbitria passim fere sint eneruata ab iisdem reductionibus, ad ordinariam iurisdictionem permissis, suspensâ sententiæ executione, donec à Iudice firmata fuerint, multiplicantur instantiæ sæpiùs quàm remedia præcidendis litium ambagibus reperiantur. Adeóque hodie maximè verum est, quod asserit Seneca, *de benef. l. 3. Melior videtur conditio causæ bonæ, si ad Iudicem, quàm si ad arbitrium mittatur.* Itaque donec arbitriis sua erit restituta auctoritas, parciùs iis vtendum reor, nisi inter eos qui sincerâ admodum fide ius suum prosequuntur. Neque interim displicet ratio quorumdam, qui eo nunc pacto arbitros eligunt, vt apud eos causæ instruantur, & concepta ab eis sententiæ formula Iudici pronuntianda tradatur, ei præsertim qui non obstante appellatione seu reformatione ius habet exequendi, vt sunt Magistratus quatuor capitalium, vt vocant, vrbium Brabantiæ, iniique his in locis.

Sed, quod ad Iudicem pertinet, vt mihi non semper probatum, vt is promiscuè ex ordine suo defluat in gradum arbitrorum 4. *Nullibi dignitate imminutâ*

bitrorum, quod sine authoritatis offensa, nisi inter bonos admodum vix fieri potest; ita viri boni officium ab eo semouendum numquam putaui, vt inter dissidentes conetur turbatam pacem reducere, vtrisque dubios litium successus, ambages, molestias, sumptus, rancores, cætera incommoda proponendo, vtrisque aliquid de iure suo cedere suadendo, vt non quidquid petit actor obtineat, neque nihil reus quò lite defungatur, tribuat, atque ita transigant partes eo intercessore potiùs, quàm arbitrij viam ineant.

Neque moror, dedecere proxenetam transigentium videri Iudicem: non dedecet, si hortando dignitate salua litigantes mutua contentione liberet, volentes, cùm in inuitos ius dicturus, non semper controuersiam finiturus est; aut si finiturus, non contentiones, simultates, dissidia personarũ, familiarum, Rerump. quæ exiguæ sumptis paulatim incrementis integras sæpè Resp. perdiderunt. Pietatis officio fungi eos dicit Papin. qui iurgio perempto consensu rem dirimunt *l. vlt. D. fam. erciſc.* Non dedecet ergo Iudicem, si pietatis subministrum se exhibuerit, non dedecet Iudicem, quod decet iustitiam. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Illud commercij & necessitudinis si inter has sit virtutes, fieri nequit, vt ab officio Iudicis pacis atque concordiæ recuperandæ omnis ratio sit aliena. Non tamen hæc pro tribunali fieri opportunè consueuerunt, vbi potestatis persona nõ est exuenda, sed solet domi suæ Iudex statò die adesse litigantes iubere, vbi quasi inter parietes priuatos minùs imminui videtur publica authoritas, si conciliandis partibus, quodamtenus personam amici assumpserit. Sanè Concil. II. Turon. *t.* 2. pœnitentiæ eos subiicit, qui electis vtrimque arbitris litium iacula finire noluerint, & vota pacis requirere. D. Paulus Corinthios, *ep.* 1. *d.c.* 8. reprehendebat, quòd iudicio inter se contenderent, & quidem apud infideles; monebat vt ex se eligerent, qui iudicarent, vtique iure priuato, seu vt arbitri; nam priuatorum electio iurisdictionem non tribuit. Greg. *l.* 1. *reg. ep.* 40. *Gloria vestra*, inquit, *præcipiat Donatum officialem cum Iuliana ancilla Dei arbitrale subire iudicium.*

CAP-

CAPVT XXVII.

Facilis.

HVmanitas vetat ſuperbum eſſe aduerſus ſocios. Vetat auarum, verbis, rebus, affectibus *comem ſe facilemque omnibus præſtat.* Sen. *ep* 88. Facilis ergo vt Iudex ſit in admittendo & audiendo litigatores, tum pars magna eſt rei bene cognoſcendæ, bene iudicandæ; tum porrò tædij litigatorum magnum leuamentum, quibus ipſæ litium moroſæ tricæ ſatis moleſtiæ adferunt. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, Eccl. 6. Popularis*, inquit Ambr. 2. *offic. c. 7. & grata eſt omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus. ea ſi manſuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti & affabilitate ſermonis, verborumque honore, patienti quoque ſermonum vice, moleſtiæque adiuuetur gratiâ; incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Legimus enim non ſolùm in priuatis, ſed etiam in ipſis Regibus quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit, aut ſuperbia verborum obfuerit: tumor vt regna ipſa labefactarit & poteſtatem ſoluerit. *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur ſpiritus. Prou.* 15. Laudat Cicero facillimos aditus ad Q. Fratr. eſſe. Suetonius Auguſtum magnâ comitate adeuntium deſideria excepiſſe. Idem Titi egregiam vocem prædicat, Non oportere quenquam à ſermone Principis triſtem diſcedere. nam *ſicut fremitus Leonis, ita & Regis ira; & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius. Prou. c.* 19. & Plinius: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora.* & Auſon. *faciles præbere aditus nec de occupationibus cauſari.* & iterum, *finem ſermonis ſuus cuique pudor, non faſtus tuus facit.*

1. *Facilitatis encomium & commenda.*

Sed & lege ciuili id decretum eſt, vt Iudex in adeundo facilem ſe exhibeat, in reſpondendo grauem. *l. obſ. 9. de offic. Præſid. l. congruit. ibid.* & lege ſacrâ, *Eccle. c. 4. Congregationi pauperum affabilem te facito.* In Conſtantino Nazarius laudat faciles aditus, aures patientiſſimas, benigna reſponſa, vultum ipſum auguſti decoris grauitate, hilaritate permiſtâ venerandum quiddam, & amabile renidentem. Cyclopis maieſtas fuit:

Nec vultu facilis, nec dictu affabilis vlli.

2. *Iudicem leges facilē eſſe iubent*

Familiarem ergò ſe exhibeat, & comem, & facilem Magiſtratus. ſed prudenter tamen, ne remoueat grauitatem,

3. *Prudenter, & ſine contemptus periculo.*

quæ obsistit nascenti ex facilitate contemptui, prono deinde ad ingratitudinem. quam Innoc. III. *in c. etsi. x. de Iud.* Iudæis assignat, & retributionem *quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueuerunt hostibus exhibere.* Pulchrè de mortuo Germanico Tac. *An. l. 2. Indoluere exteræ nationes, regesque. tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visúque & auditu iuxtà venerabilis; cùm magnitudinem & grauitatem summæ fortunæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugerat.* Quò respicit iam desperabundi Antiochi vox, præterita recolentis: 1. *Machab. 6. In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea?* Prouida proinde monitio Sapientis, *Eccl. c. 4. Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* & iterum, *Eccl. 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto quasi vnus ex ipsis, valeat ius imperij, inania transmittantur.* Tac. *An. l. 15.* Meminerit semper Iudex *insitam mortalibus naturam recentem aliorum felicitatem ægris oculis intuspicere, modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre.* Caueat ne se efferat, ne insolens audiat, *priuato & ex mediocritate fortunæ minora pericula fuisse.* Idem, *l. 14. An.* Facilitatem ergo comitatemque amet: sic tamen, vt & nimia non sit. *l. obseru. D. de off. Proc.* vt sic contemptum omnino vitet, causam illius omnem abscindat. nam Reip. omnis administratio, atque imperium opinione continetur. Homines naturâ pares sunt; consistunt existimatio; fama; auctoritas in opinione. eam si sustuleris, ad chaos, confusionemque omnem hæc Vniuersi directio relabetur. non erit qui audiat imperantem, non qui obediat iubenti; non qui ius dicenti pareat: sed & mandatis Principum continebatur, ne quem Prouincialem in interiorem familiaritatem admitterent Præsides: cui & altior causa accedit, ne arcana eorum in periculum Reip. scrutentur.

4. *Sine fastu.*

5. *Verborum lenitate.*

Sed & quamuis *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit: Eccl. c. 20.* in Iudice tamen etiam sermonis grauitatem requiro. & quamuis comiter excipiat, atque audiat adeuntes, nihil tamen polliceatur quod præstare non possit. Non potest quidquid sine iniuria non potest. Non potest sine iniuria ius alterius alteri dare; non aliquid addicere, quod ad rem iudicandam attinet, nisi diligentiam suam. commendationes, vt hodie nimiùm frequentantur, decet comiter excipere, ius sequi. nec aliud amicitiæ dare, aut commendationi quàm quod inquit Symmachus *l. 1. ep. 10. Iustitia quidem suffragium non requirit, sed amicitiarum plerumque respectu celeritas causarum adiuuatur.*

Deni-

Denique in respondendo grauem esse, vt iubet Calist. *in d. l. obseru.* non asperũ tamẽ. Vnde ita Ambr. 3. *offic. c. vlt. Neque monitio aspera sit, neque obiurgatio contumeliosa.* graui sermone, modesto, incomposito, non dissoluto tamẽ vti. neque itidem tamen affectato, non extra modũ verborũ vel cultum, vel obsoletam nouitatem quærere. quod Tuberoni vitio datum à Pompon. *l. 2. D. de orig. Iur. Tubero*, inquit, *doctissimus quidem habitus est iuris publici & priuati, & complures vtriusq; operis libros reliquit, sermone etiam antiquo vsus, affectauit scribere, & ideò parum libri eius grati habentur.* Quo vitio Gallici quidam hodie scriptores laborant; qui suis ipsi libris elenchos, indicesque vocabulorum suorum interpretes adiungere debent, quò intelligantur. Loquendum vt multi; præsertim iis, quos passim intelligi, & finis suus esse debet, & publicus. 6. *Sed graui cum sermone, non aspero.* 7. *Nec affectato.*

Generatim id porrò Iudicem cauere optandum est, ne sermone, aspectu, oculis, gressu, vllóve corporis situ, aut motu, arrogantiæ quidpiam, aut superbiæ præ se ferat: quæ sapientiam, quâ Iustitia cognoscitur, obcæcat; & ideò per superbos Gregor. eos dicit intelligi, qui albuginẽ in oculis habent; quos lex diuina vetuit ordinari. *Albuginem*, inquit, *habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur; quia arrogantia sapientiæ, seu Iustitiæ cæcatur: Si autem candorem sibi Iustitiæ, siue sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit, & eò claritatem veri luminis numquam penetrat quò se per arrogantiam exultat. sicut de quibusdam dicitur: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. c. 1. d. 49.* Quare *Deut. c. 17.* diuina lex instruens Principem recèns constitutum, præcipit inter cætera, *ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* 8. *Sine vllo arrogantiæ indicio.*

CAPVT XXVIII.

Veritatis amans.

ADeò enim Veritas Iustitiæ innexa est, vt sub illius vocabulo hæc significetur. *Lex tua veritas.* Vnde apud Iurisconsultos *l. 2. de fund. dot.* & alibi sæpiùs ea phrasis, *Verius puto, iustius & æquius* significat. quod Budæus aliique monuerunt. *Verus* pro *iusto*, à Cicerone etiam & Iurisconsultis vsurpatur *l. omnes de in integ. rest. l. si fideiussor in fin. de legat. 3.* Filium verum Labeo vocat *l. vlt. D. de Iur. libert.* iustum & legitimum; & in sacris litteris *Deut. 17. Iudicabunt tibi veritatem: Prou. 29. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* 1. *Veritas & Iustitia, verus & iustus Germana.*

bitur. Sachar. 7. Iudicium verum iudicate. Psal. 18. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Psal 88. Misericordia, & Veritas præcedent faciem tuam. In hæc specula Iudex oculos semper figere debet. Aaron ideò ornabatur Rationali, quo figurabatur Veritas, & Iudicium, *Exod. c. 28.* Druides etiam collo appensam Veritatis effigiem gestabant. Bodin. *de Rep. lib. 6. c. fin. Non aliam*, inquit August. *lib. de libero Arbit. putes esse sapientiam, nisi Veritatem, in qua tenetur, & cernitur summum bonum; nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet, dementes in se, omnes in melius commutat, à nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat, nullus sine illa bene iudicat.*

2. *Ideo secũdum veritatem. an non acta iudicandũ?*

Quapropter in solemni illa quæstione, An Iudex ex conscientia, an secundùm edita in lite instrumenta iudicare debeat, rectè Hotoman. *illust. quæst. 25. Ventura de Valent. in Parthen. litig. l. 2. c. 8. n. 12.* à Veritate eum discedere nullatenus posse asserit. Ideòque si perspectam eam habet ab eoque prouocari non potest, ex animi sententia, religione, & conscientia iudicare debere: sin autem ab eo appellari permissum est, in officium testis descendet, & Iudicis functione abstinebit. in quæstione enim facti, prout religio ei suggerit, sententiam proferre debet, *l. eum 79. D. de Iud.* Fidem autem probationum ipse æstimat. *l. 3. §. 3. D. de test.* neque de ea Præses vt de iure respondet. *d. l. 79.* sin autem causa est ambigua, laboret vt eam interrogando ac aliis viis iuuet, *Clem. sæpè. de V. S. l. Iudices. 9. C. de Iud. l. penult. §. de interr. act.* ac Veritatem luce donet: sin autem eò non possit peruenire, cùm non liquet, reum absoluat.

3. *Propria Iudicum virtus Veritas.*

Consilium Ihetro Moysi datum, Iudices subsidiarios ab eo eligendos exigit, *in quibus sit Veritas.* Vbi Salian. *in Annal. ad an. mundi 2544. n. 733.* in Hebræo ait haberi viros Veritatis, scilicet amatores Veritatis, qui eam colant ac defendãt ipsi, & ab aliis diligi ac defendi velint: simulationem, hypocrisim, adulationẽ oderint: fictos & quos Scriptura vocat duplices corde auersentur: candorem dictorum factorumque amplexentur: in calumnias & falsa testimonia seuerè animaduertant. *Qui Veritatem pro pecunia negant, Deum vtique pecunia vendunt: qui Veritatis iussa spernunt, Deum vtique qui Veritas est produnt. c. abiit Iudas 11. q. 3.* Pessimum ergo hominum genus adulatores, qui Veritatem vendunt, quò gratiam Principum aucupentur. eoque detestabilius, quò in grauioris momenti causa & persona amplioris æstimationis accidit. Vtinam non hodie contingat ab ortu solis vs-

que

que ad Hesperias columnas; quod suo sæculo queritur Senec. *de benef. l. 6. Monstrabo tibi cuius rei inopiâ laborent magna fastigia, quòd omnia possidentibus desit scilicet ille, qui verum dicat: & hominem (inter mentientes stupentem, ipsáque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum) vindicet à consensu concentuque falsorum. non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa? dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque: sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.*

CAPVT XXIX.

Auersus a detractoribus.

DEtractores, nec esse ipsos, nec pati Iudices conuenit. 1. *Remoue*, inquit Sapiens, *Prou. 4. à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* & iterum *Prou. 24. Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum. Eccl. 28. Linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras, quia Detractores odibiles Deo sunt.* Paulus *Rom. 1. & lingua detrahens ciuitates muratas destruxit, domos magnatum effodit, virtutes populorũ concidit, & gentes fortes dissoluit.* *Oderit eorum consortium: no iuum.*

Quare rectè Dauid Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.* Etenim *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Prou. 29.* Audit libenter, si semel mendacij conuictos impunè iterum nocentes audiat. Rectè Anterus Papa *c. ex merito 6. q. 1. Caueat vnusquisque ne aut linguam, aut aures habeat prurientes, ne aut ipse aliis detrahat, aut aliis audiat detrahentes. Nemo inuito auditori libenter refert. officij singulorum sit non solum oculos castos seruare, sed & linguam, nec quid in cuiusquam domo agatur, alia domus per eos vnquam nouerit.* 2. *Mendacia dissipet.* 3. *Alioquin prouocat.*

Nihil enim, ait Pius Papa *c. nihil d. 5. prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.* Fortiùs D. Iacob. 1. *Si quis putat se religiosum non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Iudex ergò probus ne detrahat, & alterius improbitatem non prouocet, si audiat. si vel nutu significauerit narrationem sibi ingratam esse, nemo inuito referet. nam *vt ventus aquilo dissipat pluuias, ita facies tristis linguam detrahentium. Prou. 25.* Peccat contra prima iustitiæ principia, cuius tamen

men insignia vbique præ se ferre Iudex debet, si detrahendo alterum lædit, aut detrahentem non illibenter audiendo, non suum cuique tribuit, famam alterius, illæsumque statum existimationis non conseruando, cùm dicit, aut audit quam de se narrari fabulam nollet. Benè Paulin. *Quòd si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent, ne non alios, quàm se ipsos viles detrahendo facerent. sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis feruet hoc vitium, quia pæne ab omnibus libenter auditur.* & Hieronymus; *Cùm detractor tristem faciem viderit audientis, imò non audientis, sed obturantis aures suas ne audiat iudicium sanguinis, illicò conticescit; pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur.* De Pertinace Herodian. *Detractores vrbe exegerat & vbi inuenirentur, puniri imperauerat; cauens ne cui de vanis criminibus periculum conflaretur.* quin de ipso Domitiano Sueton. *Fiscales calumnias magnâ calumniantium pœnâ repressit: ferebaturque vox eius; Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Audiant vtinam imitenturque Iudices, Magistratusque Christiani! audiant vtinam sequanturque Ecclesiæ Prælati, attendantque sacros Canones talionem aliasque pœnas huiusmodi linguis irrogantes! 2.8.c.4.6.q.1.c.17.2 q.8.c.3.2.q.7.c.50.11.q.1.c.32.2.q.3. c.2.3.q.10.c.2.1 q.6 c. vlt.

4. *Libellorũ famosorũ authores compescat.* Sed & huc pertinent libellorum famosorum auctores, vt comperti seuerè puniantur, & legum in eos seueritas aliorum petulantiam compescat.

5. *Saluâ historiarum Veritate.* Ex aduerso malè de Rep. merentur qui veracem libertatem eorum qui non imprudenter scribunt historias, comprimere conantur. *Socordiam eorum*, inquit Tacit. *l. 4. irridere lubet, qui præsenti potentiâ credunt extingui etiam posse æui sequentis memoriam; nam contrà punitis ingeniis gliscit auctoritas.* Sed & hoc malum assequitur Respub. vt cùm exteri vel aduersarij scribunt historias, vel ignorantiâ peccent, vel per malitiam errores, mendaciaque interserant: & cùm maximè intersit non ad popularium tantùm animos in officio, amicos in fœdere, exteros in opinione retinendos, bellum v. g. iustum esse, iusteque geri palàm, vt passim existimetur; omninò è Rep. est, vt non absterreantur modò, sed & inuitentur quibus stylus, prudentia, & rerum cognitio suppetit, qui veritatem rerum gestarum tradant. Id quod si à nonnullis satis curatum fuisset, quis credat fieri posse, vt non tantùm in religione dissentientes, sed Christianissimi principes & sacrorum mystæ bella illa, non iusta modò, sed & subsidiis suarum gentium

6. *Ob earum etiã præsentium vtilitatem publicam præsertim populorum discrimen noscendũ.*

iuuan-

iuuanda crederent, quo præter cauſæ iuſtitiam religio euertatur, & locis omnibus per ea occupatis eliminetur. quod fieri tamen videmus omnes, qui videmus. Verè & liberè ergo ſcribantur hiſtoriæ, quibus res præſentes liqueant, & ex quibus poſteri rerum gerendarum documenta deſumant, quæ vitent, quæ imitentur habeant. Quanquam enim veteres Romanorum aliarumque gentium hiſtoriæ promptuaria ſint omnis ciuilis, & militaris prudentiæ; recentiores tamen & cuiuſque gentis hiſtoriæ propiùs quemque docent, præſentes ſæculi mores, Principum ac populorum ingenia, naturam, atque regendi modum. quæ omnia diligenter inueſtiganda ſunt. Aliter cum gente agendum, cuius prima prælia pluſquam virorum, poſtrema minùs quàm fæminarum; aliter cum ea quæ durum ſemper in armis genus, aliter cum inquieta, & in res nouas auida; aliter cum ea quæ in fide obſtinata, cui non ex fortuna pendet fides, aliter cum ea quæ bello læta, & factis magis ſtrenua quàm linguâ; aliter cum ea quæ ſtatariâ pugnâ, haſtis ſiluarum inſtar condenſatis, tardo & ad tympani ſonum compoſito greſſu procedens, nulli armato in acie parcit, nullum fugientem perſequitur; aliter cum iis quibus omnis virtus velut extra ipſos, nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignarum, vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obſtiterit; aliter cum iis qui nec integram ferre poſſent ſeruitutem, nec integram libertatem, aliter cum iis qui nihil ſeruitutis, vel nihil libertatis olere poſſunt. Hæc omnia docent hiſtoriæ. & cur aliorum regimen bene, aliorum malè ceſſerit; aliis victoriæ, aliis clades obuenerint, dummodo veraces eſſe liceat Si non liceat, perinde eſt, ac ſi in tempeſtatibus ſcopulos, ſyrtes, charybdes occulere iubeantur. nec tamen à cenſura omni eximo. non ſunt admittendi ſi plus moribus noceant, quàm ingeniis proſint.

CAPVT XXX.

Adulatoribus inimicus.

QVia nullum animantium genus aſſentatoribus eſt pernicioſius, nullum quod citiùs in præcipitia audientem deducit: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Pſ.* 139. Serpentem non times, nec 1. *Qui ſummopere iudici cauendi.*

nec venenum? vtere eiusmodi linguis. Et quoniam Iudicem Magistratumque necessarium est veritatem scire, quò iustitiam tueatur, eò magis à genere hoc hominum abstinere necessarium est, qui veritati tenebras offundunt, quibus in deuia abducatur. Quare Chrysost. *Inimicum ne laudantem quidem probo, amicum verò & reprehendentem amplector. ille etsi me osculetur, insuauis est: hic & si vulneret, amabilis.* Precatur Dauid *Ps.* 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Precetur Iudex, & caueat ne blandâ simulatione ei rigor veritatis emolliatur, obfuscetúrque, ne cognoscere non possit, quod iudicare, quod regere, quod administrare debeat. *Quisquis adulatorem excipit, serpentem sinu fouet; plus persequitur lingua adulatoris quàm manus persequentis.* August. *in Psal.* 59. Regum opes sæpiùs assentatio, quàmhostis euertit. *lib.* 8. Sic habendum, nullam pestem esse maiorem, quàm adulationem, blanditias, assentationem. Cic. Optimè de re tota Bernard. *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Laudamus mendaciter delectamur, inaniter: vt & vani sint qui laudantur, & mendaces qui laudant. alij adulantur, & ficti sunt; alij laudant, & falsi sunt; alij vtrorumque præconiis gloriantur, & vani sunt.*

CAPVT XXXI.

Verax, & Candidus.

1. *Procul à dolo, machinatione, mendacio, lingua bilingui.*

QVantum quisque desiderat non decipi, tantum amat virum candidum, veracem, simplicem, atque rectũ, neque rebus neque verbis eum, cum quo commercium illi, aut sermo est, fallentem. Simplicitatem, & candorem, veracitatemque quàm maximè in Iudice desidero: si in aliis dolum abesse leges voluerunt. *Sapientia*, inquit Gregor. *lib.* 10. *moral. c.* 27. *iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire: huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. hæc proinde prudentia vsu à Iuuenibus scitur, hæc à puero pretio discitur. docuerunt linguam suam loqui mendacium.* Ieremiæ *c.* 9. *Os bilingue detestatur Dominus.* Prou. 13. & *Eccles. c.* 2. *Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. & c.* 7. *Noli parare mendacium.* & *Leuit.* 19. *Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suũ.* Chri-

stus

stus præcepit secundum Euangelicam veritatem *Sit sermo vester est, est, vt affirmatio & negatio sicut procedit ex ore, ita procedat ex corde, c. etsi Christus de Iureiur.* Requiescet in monte sancto, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. *Psal.* 14.

Dolum agit, qui lingua ait quod corde negat. dum humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant. *c. humanæ 22. q. 5.* Aliud simulat quàm agit, aliud verba sonant, quam sensu loquitur, aliud intendit, aliud prætendit. cum intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi. quia non sermoni res, sed rei sermo est subiectus. *c. intelligentia de V. S.* In dolo est qui publicè sancitum verborum sensum excludit, priuatum indit. sunt verba propterea instituta (*August. enchir. c. 22.*) non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. & idem *tract. de conflic. vitior. c.* 19. nec artificioso ingenio nec simplici verbo oportet decipere quemquam. *Dolus in eo est*, inquit Florentinus, *l.* 43. *D. de contr. empt. qui fallendi causâ obscurè loquitur*; nec tantum, sed etiam qui insidiosè obscurè dissimulat. & Vlp. *in l.* 1 §. 1. *D. act. empt.* eum damnat, qui liberationem stipulatus erat, inuoluta obscuro pacto veritate quam nosset. & *generatim*, inquit, *dixerim si improbato more versatus sit in celando, debere eum teneri.* reiecit Labeo *in l.* 1. *D. de dol.* omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumscribendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. 2. *Peruerso verborum sensu.*

Sed tamen & posse ait sine dolo malo aliud agi, aliud simulari. Vtilem etiam simulationem & in tempore assumendam Hieronymus Iehu, Dauidis, & Christi asserere nititur exemplo *c. vtilem 22. q. 2.* quamquam nec eam admittit Augustin. *c. quæritur ibid.* permittit is suo tempore veritatem celari, non mendacium dici. & *c. si qua. d.* 30. damnat anathemate mulierem habitu virili vtentem, proposito vtique malo. *Vt ibi Gloss.* simulationem Labeo admittit, quâ quis tuetur sua, vel aliena, & Vlp. 2. dolum eum bonum pro solertia acceptum apud veteres tradit; maximè si aduersus hostē, latronemue quis machinetur. de quo Augustin. *c. Dominus* 23. *q.* 2. cùm iustum bellū susceperit, cui bellare fas est, vtrū aperta pugnâ, vtrū insidiis vincat nihil ad Iustitiā interest. Sic bellum Christi sub vmbra peccatricis carnis gestū est. sed relinquemus Theologis eā disquisitionē, quātenus dissimulatio liceat aliquando, simulatio vetita sit. 3. *Simulationem, nisi ad se suaue tuendum.*

4. *Ambigno sermone.* Leges sanè nostræ nec impunitam quidem prætermittunt quamcumque simulationem, quâ alteri noceatur. & intorti, obscuri, amphibologici & ambigui sermones principiis iustitiæ aduersantur, si per eos alter læditur, aut quid ei fit quod sibi faciens factum nolit. vel duplicis animi, oris bilinguis, opinio alicui accersitur; candoris, rectæ simplicitatis, & iustæ veracitatis offenditur: *Non decet Principem labium mendax. Prou.* 17. non Iudicem. Laudatus Plinio Traianus, quòd quæ vellet, velle; quæ nollet, nolle scirent omnes damnati alij. nam cùm mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ suæ Imperator ignorat, qui mentitur. Pariter magnitudinem functionis suæ ignorat Iudex, qui mentitur: neque enim sic honestè viuitur. Quod si omnibus congruit, qui iustitiam colunt, multo maximè illius mystæ. *Opera manuum eius veritas & iudicium. Psal.* 100. Fortiter Isocrates Principem monet, vt veritatem manifestè, ac apertè colat, vt iniurato illi potiùs, quàm iurato alteri credatur. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis; quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius. Prouerbior.* 26.

5. *Restrictionibus mentalibus.* Apage ergo si qui judicij vel iustitiæ sacrificia obscuris, dolosis, ambiguis sermonibus temerare velint, atque profanare, seu improbato more in iis versari, siue restrictionibus mentalibus illorum religionem violare, & sacrilega iuramenta præstare. quando vel Hebræi judiciis Angelos interesse, atque præesse crediderunt, atque Aegyptij vacuas eis sedes relinquere olim consueuerunt, vt vel ideo sanctiùs in iis versarentur. Vnde quàm mirabundi atque indignabūdi est illud *Eccles. c.* 3. *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem!* Impium, iniquum est in loco iustitiæ & veritatis, habitum mentiri illius, synceram simplicitatem eius ac nuditatem verborum inuolucris offendere. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est. Prou.* 37. *& sunt in eis docti,* inquit August. *c.* 18. *contra mendacium, qui etiam regulas figant, fines que constituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi estis fontes lachrymarum! & quid faciemus! quò ibimus! vbi nos occultabimus, in ira veritatis, si non solum negligimus cauere mendacia, sed audemus insuper docere periuria? Defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Psal.* 11. Non excurram latiùs. Restrictionum mentalium abusum R.^mus I. Malderus eruditissimo tractatu latè perstrinxit; vtinam restrinxerit, atque extinxerit!

Id

Id tantum nunc dico nihil esse pernitiosius Reip. quàm si Principem aut Consiliarios eius populus deprehendat sibi imposuisse fallacibus verbis. nam Principes & Magistratus, quibus fides semel est abrogata, quamuis regna, opes, exercitus in potestate habere videantur, sine præsidio sunt, quo omnis salus continetur. Credant sanè *Eccles. c.* 1. potiùs quàm Marchiauellicæ sectæ, *ne velis vti mendacio vllo: numquam enim prodest frequentatio illius.* ita *à maioribus nostris*, Christianis, *creditum est* (vt Liuius de Papirij filio loquitur) *ante doctrinam deos spernentem natis.* Ne credant rem bene peractam, si populum semel deceperint. redibunt vices, quibus caro fraus ea redimetur, quibus constabit, quàm non profuerit frequentatio mendacij. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Psalm.* 126. magis frustrà mentitur. Mendacium odit is, & mendacem, *in cuius manu sunt omnes fines terræ. Psalm.* 94. 6. *Pernitiosissimis, vbi per eas Magistratibus semel abrogata fides fuerit.*

CAPVT XXXII.

Nobilis.

QVò magis Iudicibus sua constet dignitas iudiciorumque Maiestas, valde expedit etiam illas qualitates, quæ extra animum sunt, atque populi existimationẽ venerationemque conciliant, Iudicibus non deesse; Nobilitatem inprimis, maiorum imagines, meritorumque memoriam, quibus sæpè plus defert ignara plebs, quàm rationi, aut legi. assuetudine reuerentiæ maioribus atque à maioribus delatæ. Quapropter ortu vilibus magna officia non defert lex 6. *C. de dignit.* sicut partem nullam Reip. seruis committi licitum fuit. *Multa enim*, inquit Cicero *ad Q. frat. quæ rectè committi seruis fidelibus possunt, tamen sermonis, & vituperationis vitandæ causâ committenda non sunt.* 1. *Congruit ea qualitas iudici ad Veneration-em.*

Nobilitatem multi contẽdunt consistere natiuitate, honore, diuitiis; alij solo genere, alij solâ virtute. Priorum opinio iis Rebuspub. conuenit, vbi totæ gentes Nobilitate donatæ sunt. vt Biscaini, in Hispania; Gothi, in Gallia Franci, in Frisia gens tota, ex quo in Caroli V. dominatum concessit; ij quidem qui exinde nobiliter viuerent. apud Romanos quando annulorum aureorum Ius omnibus datum est. Sed & ante audiuimus, illud Cicer. *Nobilitas, quæ ex imaginibus procedit, populi Rom. est vniuersa. & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.* 2. *Vnde illa? Virtute, Origine, gestis Magistratibus.*

Ecclesiastici cap. 10. Non paucæ etiam hodie nationes gentilium hominum nomine eos indigitant, quicumque supra plebem sine vilibus operis, artificiis, aut exili mercatura vitam transigunt. Qui Nobilitatem in sola virtute constituunt, ij philosophantur quidem optimè, vbi *sapiendum est vt pauci.* sed in Rep. *loquendum vt multi.* populo & scenæ dandum, quod Reipub. administratio exigit. Qui in solo genere constituunt Nobilitatem, ij hodie frequentiores sunt, maximè ij, quibus etiam naturâ ille radius affulsit; qui magnis honoribus auctos, vel codicillis Principum supra Maiorum imagines erectos, vix in consortium recipiunt. Romano tamen iure Nobilitas à gestis magistratibus, & officiis procedebat. *l.* 1. *C. de dignitat. Si auum consularem, & patrem prætorium habuistis, claritatem generis retinetis*: Id est, si Maiores bis ad magna officia fuerint euecti, Nobilitatem etiam in posteros transmittunt. nam si vnicus tantùm fuerit magnus, non erit perpetuum, quod personis contemplatione dignitatis indultum est. *l.* 3. *C. de excusat. muner. l.* 10. nam gens, & genus, nomina sunt multitudinis, quæ plus vno desiderant, & duorum numero sunt contenta. *l.* 12. *D. de test.* Vnde Plinius *lib.* 9. *Epist. Non ardentiùs tu nepotes, quàm ego cupio liberos, quibus videor à meo tuoque latere pronum ad honores iter, & audita latiùs nomina, & non subitas imagines relicturus.* Et apud Liu. *lib.* 10. Decius Mus *an fando vnquam audistis patricios primò esse factos, non de cælo demissos, qui patrem auumque ciere possent, id est nihil aliud quàm ingenuos, consulem iam patrem ciere possum, auumque poterit filius meus.* nam vt Stoici, *si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil.* Sub Imperatoribus deinde generaliùs immunitate digni erant, quos lateris principalis comitatus illustrabat. *l.* 1. *de præpos. lat. lib.* 10 illustrari censebantur qui in lateralibus Principum officiis agebant. Rectè Cicero *in epist. ad Hort. Nobilitas nihil aliud est, quàm cognita virtus.* cui scilicet publicè auctoritas accessit, atque probatio. ea est in delatione magnorum Magistratuum, ex publico testimonio eorum, qui conferunt. *nam quibus fas est de cunctis optimos quærere, videtur semper optimos elegisse.* Cassiod. *Et quis non putet magno honore compleri eum, qui Principis decreto, iudicioque ad cingulum venit? Nou.* 8 Cato dictus fuit homo nouus; scilicet quo ad Magistratus gerendos, qui alioquin Maiores habuerat bellicâ gloriâ claros, vt memorat Plutarch.

Cæterũ nemo *in gloriã nostrã vixit, neq; quod ante nos fuit nostrũ est.*

Igitur

Igitur falluntur, *qui solùm Maiores suos extollunt, & fortia facta memorando clariores se putant, quod contra est. quanto vita Maiorum est præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Nonnullis*, inquit Greg. *l. 2. dial. c. 23. solet Nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minùs se in hoc mundo despiciant, qui plus cæteris se aliquid habuisse meminerunt. Maiorum gloria, posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Nobiles verò quibus virtus dëest, vt noctuæ sunt, qui excæcantur luce diei, & Maiorum splendore, à quibus degenerarunt. heroum filij noxæ, quorum Nobilitas per scelerum vitęque infamiam tollitur. *neque enim honos ei seruatur, qui se in scelus deduxit. l. Senatores. D. de rit. nupt.* Rectissimè Ambros. *in lib. de Noë & arca, cap. 4. Probati viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.* 3. Dummodo Origo scelere non obfuscetur.

Non contemnit magnus ille Politico-christianus splendorem generis, sed commendat virtutis claritatem. Adeoque Nobilitas, *neque facultates, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, vt bona electio, vel voluntas, & benigni mores. l. scire §. fin. D. de tutor. & curator. dat. ab his. & satius est Nobilitatem peperisse, quàm acceptam corrupisse.* adeoque ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. Vnde Plin. *Non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis propagatur fama, quam meritò Principi optandam puto.* Non conditio materna, sed cuiusque virtus, & probrum apud Augustinum attenditur. *cap. Ismael. 56. dist.* & pressiùs Greg. IX. *cap. Venerab. x. de præb. Non generis*, inquit, *sed virtutum nobilitas vitæque honestas gratum Deo faciunt & idoneum seruitorem, ad cuius regimen non multos secundùm carnem nobiles, & potentes elegit: sed ignobiles, ac pauperes: eò quòd non est personarum acceptio apud ipsum.* Quam ob rem idem Greg. *ibid.* pro irrito habet statutum Argentinensis Ecclesiæ, vt ad illam non nisi genere nobiles, & eminentis doctrinę admitterentur. nisi fortè fundatio secus habeat, aut similis iusta ratio. Gudel. *iur. nouiss. l. 6. ca. 8.* vnde hodie multis locis secus seruatur. Misceri possunt, debentque ij Nobiles, quibus & virtus suffragetur, in ecclesiasticis functionibus. vt Concilium Basil. statuit de Cardinalibus, & Pius IV. in nouis cathedralibus Ecclesiis Belgicæ, vt in singulis tres præbendæ non nisi Nobilibus ex ea diocesi oriundis tribuerentur. In Episcopis & Præsulibus no- 4. Virtus semper præualet & præfertur.

bilis virtus magis quàm generosa natiuitas spectanda est. *Nos*, inquit Greg. *qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morũ nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate, sed fidei puritate. c. 3. d. 40.*

5. *Inter æquales virtute natiuitas momentum facit.*

Sanè quando virtutes & merita candidatorum in æquilibrio consistunt, Nobilitas momentum adfert. *arg. l. quod nolit. §. qui mancip. D. de ædilit. edict.* & disertè *in Auth. de defensor. ciuit. §. 1.* nobiliores ad dignitates assumũtur, & *ex patribus quidem bonis*, vt loquitur Auth. *de referendariis.* dum cætera, inquam, paria sunt. nam si cui humiliùs nato eminens doctrina sit & virtus; genere clarum anteibit, qui in eo virtutum doctrinæque gradu non steterit. Pulchrè Greg. *in Pastoral. Quis nescit quòd in natura gemmarum carbunculus hycintho præfertur, & tamen cerulei coloris hyacinthus præfertur pallenti carbunculo, quia illi quod ordo naturæ subtrahit, speciei coloris adiungit, & hunc quem naturalis ordo prætulit, coloris qualitas deprimit.*

6. *Cui à iure aliàs defertur multum.*

Hac ex causa claræ Nobilitatis, aut magnæ doctrinæ personis, multa priuilegia profana, & sacra etiam sunt concessa, vt contra communes regulas plurium beneficiorum fructibus donari possint. *c. de multa x. de præb. in fin.* Vbi tamen non gregariam Nobilitatem Innoc. III. & Concil. exprimit, sed sublimem; in æqualique cum ea gradu doctrinam doctus Pontifex collocat.

7. *Sed nunquam sola sufficit.*

Enimuerò ita Nobilitatem amplecti, & promouere oportet, vt caueamus à judicio Galbę, de quo Tac. *lib. 17. Missu Galbæ Vitellius aderat, Censoris Vitellij, ac ter consulis filius: Id satis videbatur.* Melius iudicium Tiberij: de quo idem *lib. 4. Mandabat honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando, vt satis constaret non alios potiores fuisse.*

8. *Moribus semper deferendum.*

Cæterùm deferendum est moribus cuiusque Reipublicæ. alicubi Nobiles soli eam occupant, & publicis honoribus funguntur; alicubi populares soli dominantur, & Nobilibus aditum ad honores præcludunt; alicubi mixti cum plebeiis patritij rerum potiuntur; alicubi magna munera his deferuntur, illis ciuilia; alibi aliter admissio vel mixtio obtinet. nihil vllibi sine graui causa, & populi applausu noui est tentandũ. Nouitas in re sæpè exigua suspicionẽ progressus ad graues mouet, & populũ ad seditionem, præsertim cui iurata vel carò empta sunt priuilegia, vel antiquitate præscripta. Tũ porrò id semper cauendũ vt antiquũ ita obtineat, vt genere, virtutibus, meritis

meritis nobiles pro cuiusque regionis vsu in pretio habeantur. Vsus ergo populi maximè attendatur.

Ex quo etiam illius quæstionis decisio petenda est, an Nobilitati officiat mercatura? Alibi diximus insignem mercaturam non derogare, iure Romano, sed eo vtendum quod quoquo loci obtinet. Romæ potentibus vsitatam mercaturam & historiæ docent. vt oratio Cic. *pro Fonteio*, & *l. 5. de Mercimon.* vetita tamen ab Honorio & Theod. *l. 3. ibidem.* sed non addita pœna derogationis Nobilitatis. 9. *Secundum quos etiã decidendũ an mercatura noceat nobilitati.*

CAPVT XXXIII.

Diues.

ACcedunt etiam extra animum ad commendationem Iudicis diuitiæ; si iis benè vtatur. nam cui domi abundè est, faciliùs alieno & muneribus abstinet, minùs à populo contemnitur, maioriauctoritate valet. quare Auth. *de defensor. in princ.* non admittit eos, quibus domi non est victus, & vita sufficiens. qui adeoque *ad hanc accedunt curam, & pro aleæ quodam lusu aliorum subiacent voluntatibus.* sed nec inopes poterant creari decuriones *l. eos* 12. *D. de decur.* sed ditiores & præstantiores. vnde *Honorati* vocantur *l. 1. C. de offic. ciuit.* Inde consilium Iethro *Deut. c. 15. Prouide de omni plebe viros potentes*, alij Hebraico & Chaldaico sono *virtutis viros*, seu fortes, strenuos atque magnanimos significari dicunt; alij non malè diuites, atque opulentos *qui non laborant, vt ditentur. Prou.* 22. quia *domus quæ nimis locuples est annihilabitur superbiâ. Eccl. c. 21. & qui confidit in diuitiis suis, corruet: iusti autem quasi virens folium germinabut, Prou.* 11. Non aliud Cassio crimen obiectum, nisi quod *opibus vetustis.* Statilio nocuit quòd *opibus illustris.* Anteius interemptus *ob opes eius præcipuas, eaque causa multis exitio fuit.* in Valer. Asiatici monitum *caueri vim, atque opes principibus infensas. Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otij, sed veterum Romanorum imitamenta præferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia, sectaque, quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat.* Contrà Othonem ad imperium impulit *inopia vix priuato toleranda*: & *Syllam inopem. vnde præcipuam audaciam, neque aliam spem quàm in rebus nouis.* Vtraque extrema vitanda. vnde neque Sulpitium, neque Cottam in Hispaniam mitti Scipioni Æmiliano placuit. quòd *alter nihil haberet, alteri nihil satis esset.* sed in Cn. Lentulo *gloriæ fuit be-* 1. *Vt alieno magis abstineat.*

2. *Innocenter partæ sint diuitiæ & modestè habitæ.*

ne tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter partæ, & modestè habitæ. Tac. *l.* 4. Diuitiarum in hunc finem commendationem satis executi sunt Tiraquell. *de nobilit. c.* 3. Borel. *de magist. c.* 13. & Marſ. *in legat. c.* 14.

CAPVT XXXIV.

Pulcher.

1. *Species dignum imperio commendat.*

COrpore etiam non vitiatos, ſed decorâ facie Magiſtratus eſſe conuenit, quia

Gratior eſt virtus veniens è corpore pulchro.

E contrario,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus
Rem magnam præſtas Zoile, ſi bonus es.

Non tamen decoro corpore ſuperbiat, quia *non in tibiis viri beneplacitum erit Deo. Pſalm.* 146.

Pulchri corporis commendationem in Iudice pulchrè exequitur Borell. *magiſt. l.* 1. *c.* 3.

CAPVT XXXV.

Legitimus.

1. *Infamis non ſit Iudex, etſi ex eo ortus nõ arceatur.*

FAmoſos lex remouet à Magiſtratibus; neq; infamibus patere patitur portas dignitatũ. *L.* 2. *C. de dign. l.* 10. ſed quoad ortos ex iis, nõ eſt impedienda dignitas eius qui nihil admiſit, *l.* 6. §. 1. *D. de decur. Nullu*, inquit lex, *patris delictũ innocenti filio pœnæ eſt: ideoque nec ordine decurionum, aut cæteris honoribus propter eiuſmodi cauſam prohibetur* (excipio perduelliũ liberos, *L.* 5. *C. ad l. Iul. maieſt.* in quibus maieſtatis periculum ſingulare ius exigit) vt neque ſpurij tanquam parentum vitio infames arceantur. *L.* 3. .2. *de decur.* ſed competitori tamen legitimè quæſito cedunt, *d.* .2. Vnde legitimè natos, non ſpurios hodie Magiſtratibus admouendos demonſtrat idem Borell. *c.* 7. cùm rarò alij deſint. quod ibi maximè obtinet, vbi ſpuriorum natiuitas exiſtimationem imminuit, maximè apud Germanos, atque Belgas. vnde in Brabantia noſtra legibus læti introitus naturales à dignitatibus arcentur. etiam in ſacris id adeo receptum in aliquibus locis, vt neque legitimationes vllæ extra ſubſe-

2. *Adeoque nec ſpurius niſi competitor ſit legitimus.*

quens

quens matrimonium suffragentur. ita Capitul. Antverpiens. Tornacens. aliaque obsirmato priuilegio seruant. Quæ & tralatitia videri possunt, vt quorum non tantùm, sed propinqui plerique omnes infames sunt, difficiliùs sint promouendi. vt de mancipiis, quæ de natione sunt infamata, redhibendis statuit *L. quod si §. qui mancipia D. de ædil. edict. Plerumque enim*, inquit, *natio serui aut prouocat aut deterret emptorem.* Dico, plerique omnes: nam si vnus quispiam è familiâ noxia sit vel noctua, aliorum luminibus nihil obstruxerit. rara felicitas ea familiarum, vt gentilis aut tribulis nemo deuiet. Vnde Canutus Daniæ rex inter latrones deprehensum consanguineum, vt sanguini honor haberetur, deprecantem, altiori è pinu suspendit: nihil veritus sibi, nequid adsciscceret ex aliena infamia.

3. *Neque cui consanguinei plerique non integri sunt.*

CAPVT XXXVI.

Ciuis, an Exterus.

MAgistratus exteros iure Rom. vbique datos, nisi specialiter Princeps aliter permitteret, testantur. *l. nulli. C. de off. rect. Prou. L. Im. C. de crim. sacril. l. 3. C. de diuers. off. l. 12. L. si qui. l. si cui D. ex quibus caus. maior. l. fin. D. de off. assess.* sed & ciuem in ciuitate, vbi natura originem non dedit, sed habitationem fixit, non admissum ad Reip. administrationem perhibet *d. l. 3. in verb. in qua collocauerit larem.* Magistratus autem municipales ad gubernationem corporis deputati iure etiam Romano patrij sunt. *l. ad Remp. D. de muner. & honor. l. qui ex vnico. D. ad municip.* & in ipsa vrbe Prætores, qui proprium larem in ea habebant non ex prouinciis eligebantur. *l. 2. C. de off. prætor.* Deus in populo Israël regem peregrinum esse noluit, *Deut. c. 17. v. 15.* Cæleſt. *c. 12. 13. d. 61. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. habeat vnusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem, in aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam alter sibi vindicare audeat mercedem.* & Greg. *ibid. c. 16. Commonemus etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesiæ, nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis, in qua visitationis impendis*

1. *Ciuis an exterus eligendus sit, variè obseruatũ.*

impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, poterit inueniri.

Quare & aliis visum est satius incolas Magistratui administrando præponi, ex ratione *d. l. 2. C. de off. prætor. l. 2. C. de annon. ciuil. lib.* 11. quod & Aristotel. sensit *Polit. lib. 5. c.* 8. Vnde & quadrat illud *Gen.* 19. de Lot *Ingressus es vt aduena, numquid vt iudices?* & sanè dissciisso nunc in tot partes Romano imperio, singulisque Principibus intra suos terminos circumscriptis, non eadem ratio est, quæ apud Romanos fuit, cùm orbis atque vrbis iidem essent termini. Vnde Bugnion *lib. 2 abrogat. sect.* 183. tradit initiò citatas leges vsu esse abrogatas, quia scilicet in sua Gallia hodie secus obtinet. Quamquam olim Philippus Pulcher & Carolus V. Reges ibi cauerint, ne quis in loco originis officio Senescalli, Præpositi, Iudicis, vel Baliui fungeretur: ideoque Carolus ex decuriis Parisiens. vno die viginti duos amouerit, vt ex Guiliel. Bened. & Gaguin. asserit. Borell. *de Magistrat. lib. 1. c. 5.* vbi & variarum gentium mores atque leges in hanc, vel illam sententiam latè refert, vt & Besold. *diss. de Magistrat. c. 1. n. 5.*

2. *Cuiusque loci vsus seruandus.*

In qua varietate ex Hieronymo & Clemente III. *in c. 9. x. de sepult.* illud statuendum est, quia vnaquęque prouincia in suo sensu abundat, vt ex locorum diuersitate iuris diuersitas attendatur; vbi porrò vsus variatur reducenda legum & canonum obseruantia videtur, vt non emeritis in suis Ecclesiis clericis peregrini & extranei, & qui antè ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui benè de suorum ciuium merentur testimonio, præponantur. *c. 12. dist. 61.*

3. *Belgicus quis?*

Ceterùm si populus iis moribus est, vt non soleat reuereri, quem in æquali olim gradu vidit, quocum quis adoleuit, & debita ibi solùm è longinquo veniat reuerentia; cedendum genio populi, cui nihil vernaculum sapit, & aliunde vocandus qui præsit. Alioquin dignitas gentis, neque populi priuilegia sunt temeranda aut consuetudines. qualia Brabantia nostra habet ne quis exterus vlli officio admoueatur. quod magnanimè semper tuetur, vt olim T. Manlius Romanorum consul, cùm L. Annius Setinus ausus esset petere, vt consul alter ex Latio crearetur; Iurauit, si tanta dementia Patres Conscriptos cepisset vt ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum venturum se, & quemcumque in curia Latinum vidisset, sua manu interempturum. Sic & *Hollandiæ leges*, inquit Grotius, *in apologet. c. 9. pag. 173. continent, ne quis extra Hollandiam natus honores capiat, quanquam postea Proceri-*

bus

bus placuit eo iure non vti, nisi aderſum nationes, quæ par ius in Hollandos vſurparent. Alia oppida ius habent ſpecialius, ne quem admittant, niſi genitum certos intra fines, vt intra Moſam & Zypam. atque omnes ferè Belgicæ ditiones eodem nunc iure vtuntur, vt ab officiis exteros arceant; etiam Belgas, qui tale ius domi in alios ſtatuunt. vnde non malè quidam diſſertant, an non vtilius Brabantis foret Hollandorũ exemplo aliis Belgis apud ſe locũ facere, vt & alibi capiant, præſertim Belgicæ Principibus aut Legatis ferè ſemper intra ſuos fines Bruxellis agentibus. vbi ex propinquo promptior gratia.

CAPVT XXXVII.

An Eccleſiaſticus.

CLerici negotiis ſecularibus immiſcere ſe non poſſunt. *Tot. tit. ne cler. ſecular. ſe negot.* ex Apoſtolo, *Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſecularibus.* Sed & Concil. Lateran. decreuit, ne procurationes villarum aut iuriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus, & ſecularibus viris, vt iuſtitiarius eorum fiat clericorum quiſquam exercere præſumat. *c. ſed &. x. ne cler. ſecular. negot.* Pleniùs id tradit & temperat Boerl. *de Magiſt. l. 1. c. 10. Conſen. polit. l. 6. c. 8. 9.* ſed & nos aliquid diximus *in Iur. pontif. nou. Anal. de foro cõpet. n. 54.* Sanè procurationes atque inferiora officia clerum tam dedecent, quàm vocationis exercitia impediunt. Cæterùm ad Imperatorum Regumque conſilia iam olim adhibitos fuiſſe Prælatos, alioſque inferioris gradus clericos, tam veteres paſſim membranæ, & hiſtoriæ teſtantur, quàm conſtitutio Frederici *in Auth. habita. C. ne filius pro patre.* & multorum etiam hodie populorum vſus, vbi inter prouinciarum Ordines, plerumque clerus primum locum obtinet, & publici ſtatus negotiis ex dignitatis officio interuenit, & ſuffragiis decidit. quò etiam non malè reſpexiſſe videri poteſt Conc. Trident. *ſeſ. 23. c. 1.* vbi diligenter Prælatorũ abſentiam ab Eccleſiis ſuis prohibet, niſi cùm euidens Eccleſiæ, vel Reip. vtilitas aliud poſtulat. quæ tunc abſentia à Pontifice Romano aut Metropolitano ſit probanda. *Niſi*, inquit, *cum abſentia inciderit propter munus & Reip. officium Epiſcopatibus adiunctũ, cuius quoniam cauſæ ſunt notoriæ & interdũ etiã repentinæ, nec eas quidem ſignificare Metropolitano neceſſe erit.* Parlamenta pleraque, & ſupre-

1. *An aſſumendus ſit extra res ſacras ſtatuendum pro genio gentis.*

suprema concilia initio quidem ex Prouinciarum Ordinibus constituta sunt, & in iis Prælati etiam hodiè Parisiis, atque alibi locum vindicant. Sed olim quidem conuentus eorum celebrabantur ad paucos dies, aderantque Prælati, decidebanturque lites, sed postquam ea concilia, ad perpetuam stationem (sessionem potius) deuenerunt, & in subsidium patriarum legum vocata sunt tota Iuris Romani volumina, superueneruntque numerosa Principum edicta, infinita locorum statuta, & litigantium nullis iam terminis circumscripta malitia, litium scriptarum immensa syrmata, & oceanus Bibliothecarum, vt iam iura & negotia mole ruant sua, nec iam breues Ordinum Conuentus, nec Prælatorum exigui temporis ab ecclesiis absentia expediendis causis sufficit, imò nec continua iudicum diligentia; recesserunt Prælati à foro, magna etiam parte ab aula, subrogatis alicubi inferioris Ordinis clericis, ex quorum absentia minus damnum Ecclesia caperet, & Resp. iuuaretur. Sed an pietati maiorum, an felicitati illorum temporum adscribendum sit, quod Reip. negociis clerus magis quàm hodie admoueretur, an doctrinæ, quæ penes Ecclesiasticos tota penè erat, adeò vt vetere apud Gallos more clerici nomine litteratus aliquis indicetur, cùm antiqui eorum nobiles arma tractarent tantum, plebs rus vexaret, & artificia; atque hodie rebus mutatis, doctrinaque omni ordini communicata magis conueniat, vt quam quisque elegit spartham, in ea se exerceat: disquirendum iis relinquemus, qui pro genio quisque suæ gentis, & temporum ratione Remp. moderantur.

CAPVT XXXVIII.

Senex.

Commendatio senectutis.

1 IN *antiquo est Sapientia, & in multo tempore prudentia. Iob.* 12. Ideoque *Magna fuit quondam capitis reuerentia cani.* Vnde prouerbium refert Anacletus, *Gloria senum canities, c. porrò d.* 84. & porrò Moysi præcipitur, vt eligat presbyteros, id est, seniores. & deinceps legimus apud Hebræos seniorum concilia. *Exod. c.* 5. *Leuit. c.* 8. *Mat. c.* 1. 11. *& alibi, quam speciosa veteranis sapientia & gloriosis intellectus, & consilium, corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei. Eccl.* 25. Romulus centum ex senioribus elegit, quos Senatores propter senectutem,

tem, Patres ob similitudinem curæ nominauit. *A senibus nomen mite senatus habet.* Lycurgus seniores constituit; scilicet qui annum sexagesimum exegissent. lege Iuliâ cautum ne minor viginti quinque annis iudicet. *l.* 41. *D. de recept.* Augustus, teste Suetonio, à trigesimo ætatis anno Iudices adlegit.

Iustinianus veteres & expertos exigit. *Auth. de Iud. §. vetus igitur. vers. quia verò.* In quibus Aristoteles *Ethic.* 1. magis probat iudicium & experientiam, cui consonat Anacletus; *Hæc,* inquit, *canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est.* 2. *Iudici conueniens.*

Posterioribus sæculis apud Romanos singulis dignitatibus ætas præscripta fuit. Vnde apud Tacitum *lib.* 1. Tiberius pro Nerone Germanici filio *petiit quinquennio maturiùs quàm per leges liceret quæsturam.* Et à Claudio Neroni virilis toga maturata est, & vigesimo anno consulatum iniit. Nec in municipiis decuriones nisi maiores annis viginti quinque adlegebantur. Minores decuriones facti sportulas decurionum accipiebant, sed interim suffragium inter cæteros ferre non poterat. *l. spurij §. minores D. de decur.* Facti, inquit Glossa, ex causa, *vt* l. 11. *eod.* neque enim (ait lex) minores viginti quinque annis decuriones adlegi nisi ex causa possunt: scilicet aliorum penuriâ, præcociâ naturæ, animi, generisve merito. vt in Cardinalium Collegium adoptari videmus sublimium Principum liberos ætate impari. Interim d. legem *Spurij,* seruatam refert à Senatu Parisiensi, Papon. *Arrest lib. 6. tit. 2. arr. 8.* & in iunioribus Cardinalibus consuetum est, sententiam eos non dicere, nisi solemni cæremoniâ à Pontifice *eis os fuerit apertum.* Alioquin si minor prætor, si consul ius dixerit, sententiámve protulerit, valebit. Princeps enim qui ei Magistratum dedit, omnia gerere decreuit. *l. quidam 57. D. de reiud.* Fuit & lex Pompeia Bythynis data: de qua meminit Plin. *lib. 2. Epist. 83. 14.* quam excutit Papon *vbi suprà.*

Sanè censet Alexander III. *in c. 1. de renunc.* plus valere vmbram senis quàm sapientiam iuuenis. præsumitur longâ rerum experientiâ sapientior, *c. sciendum 26. q. 4.* quia *adfert vetustas omnibus in rebus longinquâ obseruatione incredibilem scientiam. Cic. 3. de diuin.* magis temperatus & prouidens, quàm iuuenis; in quo bulliens in feruido sanguine animus temeritatem sæpè sociam habet. Aetas quippe feruorem aufert, & consilium adfert, 4. *Dignitas senectutis.*

quotidie seneſcentibus vitiis, matureſcente ætate. Liu. *l.* 3. Quare & Ariſtot. *lib.* 3. *Top. cap.* 3. negat iuniorum operâ vtendum, vbi prudentiâ; ſed vbi robore opus eſt. Inde & Mario iuniori dictum, iuuenes priùs remis quàm gubernaculis admouendos. In lege *clar. C. de auctor. præſt. l. fin. C. de bon. quæ lib.* ſenior præfertur aliis: auctoritas ei & reuerentia defertur. *c. his diſt.* 23. Gellius *lib.* 2. *c.* 15. Tiraquell. *de primog. in præfat. n.* 75. Quod vſus poſteriorum temporum adeò prorogauit, vt ſenior in monumentis antiquis, & conciliorum in Hiſpania ac Gallia habitorum actis, & libris feudorum pro domino, ac principe accipiatur. *lib.* 1. *feud. c.* 17. *tit. quib. mod. feud. amit. ibiſi ſeniores aſſalierint, ſi ſeniorum vxores adulterarint, ſi ſeniores in bello dimiſerint. Et in capitular. Caroli Mag. cap.* 5. *art.* 3. *De quo pago*, inquit, *eſt, vel vbi manet, aut quis eſt eius ſenior?* Crantzius *in Norman. lib.* 2. *cap.* 21. *Quis, ait ille, veſter eſt Princeps, aut ſenior? nullus, reſpondent illi: nam æquo per omnia iure imperamus. & c. vlt. nam ſenior noſter, vt vidiſti, claudus, non veniendi ad te veniam deprecatur.* Loquitur de Arnulfo Flandriæ Comite. *Vnde in Annalibus Ludouici Pij qui cum Aimono excuſi ſunt, lib.* 5. *cap.* 14. Senioratus pro dominatu accipitur. & *cap.* 21. Rex appellatur Senior. Sic item, *Seniores Vaſconiæ Dagoberto Regi Francorum Sacramento fidem dantes, fideles ei facti ſunt.* Aimon. *lib.* 4. *c.* 31. & *Senior Vrbis* Gregorio Turon. *lib.* 10. *cap.* 2.

4. *Auctoritas.* Enimverò & Sacræ Litteræ tantam ſenectuti tribuunt auctoritatem, vt deficiente ſcripturâ, & lege, ſuccedat iudicium ſeniorum. *Interroga patrem tuum, & dicet tibi: maiores tuos, & annuntiabunt tibi.* & Pontifex Innoc. *quòd ſi omnibus inſpectis quæſtionis qualitas non lucidè inueſtigatur, ſeniores Prouinciæ congrega, & eos interroga: facilius namque inuenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur, c. de quib. diſt.* 20.

5. *Vegeta tamen ea ſit, officij & laboris capax.* Nihilominus non ita ætatis ſenio confectos volumus, *vt ad regiminis officium non poſſint aſſurgere. c. Archidia. diſt.* 85. ſed vegetos ſenes.

Et quoniam magna hodie moles eſt legũ, maior commentariorum, & maxima litium volumina: non dubito quin in collegiis ſenibus iuniores miſceri poſſint, & ad iuuandos labores debeant. Theſaurus *in proœm. deciſ.* & excitatum ſcimus à Deo Iudicium Danielis pro Suſanna. & liberaliùs admittit Tiraquell. Iuniores, *de nobilit. in præfat. à numero* 173.

6. *Iuniores tamen eminentis ſpei non reiiciendi.*

ro 173. vsque 178. & Anacletus quidem *in d. cap. porro. Non*, inquit, *propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri* (id est, seniores, vt mox explicauerat) *nominantur.* Apud Romanos sanè petendis magistratibus demum discretæ ætates anno V.C.575. Liu. *lib.* 40. vnde & Tacit. *lib.* 11. *Apud maiores id virtutis præmium fuerat, cunctisque ciuium, si bonis artibus iuuerent, licitum petere magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur.* & optimè Cicero *Philip. 5. in fin. Legibus annalibus maiores nostri, cùm grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatẽ verebantur. C. Cæsar ineunte ætate docuit ab excellenti eximiáque virtute progressum ætatis expectari non oportere. Itaque maiores nostri veteres illi admodum antiqui, leges annales non habebant, quas multis pòst annis attulit ambitio, vt gradus essent petitionis æquales, ita sæpè magna indoles virtutis priusquam Reip. prodesse potuisset, extincta fuit. At verò apud antiquos Rullij, Decij, Coruini, multique alij; recentiore autem memoriá superior Africanus, T. Flaminius, admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, vt populi Romani imperium auxerint, nomen ornauerint. Quid Macedo Alexander? cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nónne tertio & trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quàm consularis. Ex quo iudicari potest, virtutis esse quàm ætatis cursum celeriorem.* Ergo rectè Plin. *in epist. ab optima indole frustra exigi annorum numerum.* & Vopisc. *in Prob. in eo non expectari ætatem, qui virtutibus fulget, moribus pollet.* Vnde Scipio; *Sat habeo annorum si populus consulem me fieri voluerit.* & Cassiod. *Spectata quidem virtus, annalibus legibus subiecta non est, iamque honoris infulis adultam cingere dignus est cæsariem, quisquis meritorum laude ætatis præiudicia superauit.*

CAPVT XXXIX.

Sine ambitu promotus.

Non enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur tanquam Aäron. Paul. *ad Hebræos.* 1. Ambitio ableganda.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis gaudet honoribus,

Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis aurę.

Authent. vt Iudices sine quoquo suffragio fiant. Quicumque desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo: quoniam non qui maior in bonore, ille iustior; sed qui fuerit iustior, ille maior; conuersatio ergo melior desideranda, non dignior gradus. Chrysost. *c. multi dist.* 40. quin *sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita fugientibus offerendus.* D. Greg. *cap. in script.* 8. *q.* 1. Moderatione animi constrictum scimus Rutilium Censorinum iteratam censoriam dignitatem deprecatum, Fabium M. ne filius iterum consul designaretur: Africanum, ne sibi æternus consulatus, perpetua dictatura, aut statuæ decernerentur.

2. Sine ambitione sit Iudex promotus.

Qui rectè gesturus est magistratum, tantum ab ambitione debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi: quis enim locus tutus & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Iustitiæ templa pecuniis expugnentur? quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur. Imperat. Leo *in l. si quemquam C. de Episcop. Malè se res habet, cùm quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ.* Cicero *lib. 2. offic.* tutor remouetur, qui datâ pecuniâ tutelam ambiuit. §. *sed si præsens instit. de suspec. tutor.* nummariũ tribunal auditâ vtrimque licitatione alteri addici non mirum, quando *quæ emeris vendere gentium ius est.* Senec. *de benef. lib.* 1. *cap.* 9 Non nego *etiam sapientibus cupidinem gloriæ nouissimam exui,* Tacit. *lib.* 4. *hist.* sed & ambitum permitto, & gloriæ per virtutes cupiditatem.

3. Et pecunia

4. Sed per virtutem.

Virtute ambire oportet non fautoribus, non prece, non precio. *nec famam,* inquit de Agricola Tacit. *cui etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per ætatem quæsiuit.* Verum est quidem honoratiùs in se fugere honorem, quàm ambire, & excelsiùs per iniuriam negatos esse honores, quàm citra meritum delatos; vt de Blæso & Dolabellâ Tacitus *lib.* 4. *sed neque* Blasus, inquit *illustrior, & huic negatus honor gloriam intendit.* & de Ælio Lamia, *non permissa,* inquit *l.* 5. *prouincia dignationem attulit.* & Cato *apud Plutarchum in Apoth. malle se,* ait, *ab hominibus, cur statuam non haberet, quàm cur haberet, requiri.* Apud Romanos cohibendæ ambitioni latæ leges fuerunt, Petilia, Aemilia, Calfurnia, Fabia, Maria, Licinia, Ebutia, Cincia, aliæque, *quas, & Ambitionem late prosequitur* Borellus

5. Cui si honor negatus fuerit, gloriæ cedit.

lib.

lib. 1. *c.* 9. Quibus hodie accedunt, qui in speciem religionis fortunas effundunt, & aliquibus locis piis donationes faciunt, vt per eorum profectus suffragia consequantur, quæ apud alios emere non liceat. Sanè non tantùm ingenioſę & per leges vetitæ donationes coërcendę sunt, sed & deplorandæ multorum locorum consuetudines, vbi publico scito, venales Magistratus, & officia subhastantur.

6 *Incommoda Magistratuum auro venalium.*

Quibus nihil aliud reponam, quàm verba Iustiniani *Auth. Vt Iudices sine quoq. suffrag. in princip.* vbi non solùm vt legislator, sed vt Philosophus in hanc pestem inuehitur.

Ad ambitum non pertinet honorarium quod decuriones recèns inter curiales adlecti solebant soluere. Consulit Plinius Nepos Traianum *epist.* 78. an vbique certam quantitatem pro introitu dare debeant; ille locorum seruandam esse consuetudinem rescribit. nummi hi inter decuriales diuidi & sportulæ appellari solebant. *l spurij. . fin. D. de decur.* vbi minor sportularum huiusmodi capax, non suffragij ferendi dicitur. in eam causam donatio inter coniuges recipitur. *l. 5. l. si mulier. D. de donation. inter vir. & vxor.*

7. *Sub quo collegarum sportulæ, & enthroniastica nō veniunt.*

Ad eum morem in Collegiis Canonicorum receptum ferè passim erat, vt noui collegæ eiusmodi sportulas soluerent, atque inter sese alij diuiderent. quod vetuit Trident. *sess.* 24. *cap.* 14. nisi quatenus in vsus pios erogari soleant. Vt & Iustin. pro introitu noui clerici nihil præberi permisit, nolens ob id clericum annonis suis præbendisve priuari. *Nouel. vt ea quæ voc. insinuat.* 56. *Nouel. de sanctiss. Episcop.* 123. §. *sed neque clerici*, quamuis permiserit dari in vsus pios, & ordinantis ministros, secundùm consuetudinem, sed moderatum, quod non transcendat vnius anni emolumenta. *d.* §. *sed neque.* quod *c.* 1. *de Simonia.* & Trid. *vbi suprà* non recipiunt. Episcopis tamen ordinatis *ex Nouel.* 123. §. *pro consuet.* incumbebat enthroniasticum persoluere primo Presbytero vel Archidiacono, inter clericos Ecclesiæ, cui præficitur, diuidendum. satis magnæ quantitatis in ea constitutione per plures distinctiones expressæ. quam vsus tamen abrogauit cleri respectu, suffectis annatis Pontifici soluendis, ad imitationem decimæ decimarum summo Sacerdoti deferendæ. *Numeror.* 18.

8. *Quæ per Canones tamen in spiritualibus reprobantur.*

Ad eorum quę diximus considerationē pertinet, quod si absque hęredibus decuriones moriebātur succedebat collegium.

9. *Collegis intestatis quatenus succeditur.*

C. de hered. decur. nauic. & ita in Collegiis Ecclesiasticis intestatis succedit Collegium, vt latiùs diximus *in Iuris noui anal. de testament. num. 1. & seq.* Nec in eo differunt, quòd decuriones, si sine prole decederent, quartam bonorum partem curiæ relinquerent. *l. 1. 2. C. quando & quib. 4. pars.* Nam & ita Ecclesiasticos, quæ ab Ecclesia profecta sunt, Ecclesiæ relinquere, non augendis amicis impendere statuit Trid. *sess. 25. c. 1.* quare decuriones facultates dissipare solebant potius, quàm curiæ relinquerent. quod & olim in clero frequentius erat, vt splendidiùs & lautiùs viuerent, pro dignitate Ecclesiarum, antequam tanta libertas testandi de acquisitis intuitu Ecclesiæ irrepserat.

CAPVT XXXX.

Non Rixosus.

SEmper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Prou. 17. & iterum: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Nulli sunt Iudici inimici excitandi, aut exasperandi. satis inimicorum dabit officium bene exercitum. quos tamen humanitate placare oportet, & constanti passim opinione, quòd leges apud eum omne semper punctum tulerint, nullum affectio.

§. I.

Non nimis aulicus.

NEque abhorreat ab aula vt rusticus, si quod eò negotium vocet, neque iners otia aulæ negotia sua faciat. Rara virtus in aulæ negotiis versantem pium esse. Nulla vnquam in ipsius otiis volutantem virtutes in comitatu habere. Infelix talium felicitas, & plerumque in præcipitia declinans. *Status* enim *eorum fragilis est ac tenuis, & in voluntate regia spes omnis, quibus leuis offensa summum periculum sit: secundæ autem res, vile ministerium.*

§. II.

Non tristis.

HOmini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam.

fluam. Eccles. c. 11. Morosa tristitia & tristi nocet, & iis quibuscum versatur. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Prou. c.* 25.

§. III.

Modestus.

Modestiæ fama neque summis mortalium spernenda est, & à Deis æstimatur. Tacit. *Annal. lib.* 8.

Oculos sublimes detestatur Dominus. Prou. 6. *Populum humilem saluum faciet, & oculos superborum humiliabit.* Psalm. 17.

Agricola *virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando, extra inuidiam nec extra gloriam erat.* Tacit. *in eius vita.* Modestia sanè neque temporum iniquitati cedit, neque vigorem excutit. *Sciant,* inquit idem Tacit. *ibid. quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò plerique per abrupta, sed in nullum rei post vsum, ambitiosâ morte inclaruerunt.*

§. IV.

Propositi tenax, non peruicax.

Sapientis est consilium, opinionem, sententiam mutare meliori ratione & causâ allata. veritatẽ enim amat, nõ opinionem suam. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui autem rectus est, corrigit viam suam.* L. Minutius victus *apud Liuium l.* 22. eum statuit primum esse virum, qui ipse consulat quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse. Nos secundam sortem ingenij teneamus, vbi prima negata est.

§. V.

Promissi memor.

Promissorum memor & repręsentator sit. *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mendax. Prouerb.* 17.

CAPVT XLI.

Vestitu congruo vtens.

1. *Decorum commendatur.*

QVamuis enim imperium in virtute sit, non in decore, vt Alexandrum dicere solitum refert Lamprid. ac vt Concil. Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *Habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Amictus*, inquit Clemens, *indicat qualis sit morum nostrorum constitutio.*

2. *Conueniens habendus vestitus.*

Et I. C.tus *in l. sed si.* §. *mancip. D. de vsufruct.* tradit seruitia vsufructuarium sufficienter alere, & vestire debere, secundùm ordinem & dignitatem; alioquin abuti. Clericos quidē Concil. Carthaginens. IV. *c.* 45. *nec vestibus nec calcamentis decorem quærere iussit. d.* 41. *cap. vlt. Qui gloriatur de veste*, inquit D. Thomas, *similis est glorianti de cauteriis, quia per peccatum Adæ vsus vestium introductus est.* & VII. Synodus emendari mandat qui se fulgidis, & claris vestibus ornant.

3. *Nō fastuosus.*

Monet Sapiens *Eccl.* 11. *Ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Altissimi. Omne quippe, quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam.* quemadmodum Magnus ait Basilius *cap. omnis* 21. *q.* 4. Audiamus Cyprianum; *Ornamentorum & vestium insignia, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt.* Fœminei sanè ingenij est vestium ornatum quærere. Magna ingenia circa eiusmodi crepundia distineri nolunt. *Nihil homini natura, quod necessarium sciebat, fecit operosum.* Senec. *lib. de cons. cap.* 11.

4. *Sed mediocris cōmuniter cuique ordini vsitatus.*

Igitur vtendum veste communi. *c. si quis virorum d.* 30. *Clem. exiui, de verb. sig.* conueniente loco & tempori. *c.* 2. *& 3. caus.* 21. *q.* 4. *c. contra d.* 100. *In vestitu sicut in plerisque rebus mediocritas optima est.* Cic. *lib.* 1. *offic. Candidas*, ait Hieron. *ad Eustoch. & nigras vestes similiter deuita.* Sen. *ep.* 9. *Non fulgeat vestis, sed neque sordeat. nec affectatæ sordes, nec exquisitæ mundiciæ conueniunt.* Hieron. *c. ecce* 41. *d.* & Conc. Gangrens. *cap. vlt. Parcimoniam*, inquit, *cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus: dissolutos autem & fractos in vestibus incessus non recipimus. cap. parsi. ibid.* Optimè ergo August. *cap.* 1. *ibid.*

Quis-

Quisquis rebus prætereuntibus restrictiùs vtitur, quàm sese habent mores eorum, cum quibus viuit; aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur excedat; aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est.

Quid igitur locis & temporibus & personis conueniat, diligenter attendendum est. Leges vestiarias locis, personis, temporibus conuenientes dederunt Romani, Lycurgus, Lacedæmones, Aurelianus, Chini: Inferioribus sæculis Veneti, Galli, Germani, Politica Caroli V. *art.* 9. 10. 11. *lata Augustæ Vindelicorum* 1548. de quibus latiùs Borel. *de Magist. lib.* 1. *c.* 4. Pet. Faber Semest. *lib.* 1. *c.* 16. Ian. Langlæus *Otij semest. lib.* 1. *c.* 5. Priuatis sanè sericas auro intextas in tunicis aut lineis habere aut conficere non licuit. *l. auratas l. nemo C. de vestib. holob. l.* 11. nec in frænis, sellis, baltheis margaritas, smaragdos, hyacinthos, sed alias leuioris pretij dumtaxat gemmas. *l. nulli C. l.* 11. *nulli licet in frænis, &c.* 5. *Leges vestiariæ an expediant.*

Iudicibus sanè ad tuendam dignitatem, conciliandamque authoritatem, vestimenta, & insignia honorifica à Romanis fuisse attributa cõstat, easque vestes quibus singulæ dignitates à priuatis secernerentur. Augurales, consulares, senatorias, equestres, paludamenta, trabeam, latum clauum, cingula maiora, minora, togam, &c. quæ *nemo destinctiùs singulis magistratibus tributa explicuit, quàm G. Panicirolus in Commentar. ad Notitiam Dignitatum vtriusque Imperij.* Senatum sanè non licuit ingredi sine veste. Plutarch. *in Mar.* Lãprid. de Alexand. *in animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, vt à vestitu dignoscerentur: Sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus plurimum rixarum fore si faciles homines essent ad iniurias. Tum satis esse constituit vt Equites Romani à senatoribus claui qualitate discernerentur.* Meminerant Vlp. & Paul. quod scribit Liu. *l.* 33. *omnia talia discrimina, quibus ordines discernerentur, & concordiæ, & æquæ libertatis minuendæ esse.* 6. *Iudicibus conueniunt vestes ornatiores.*

Conuenit tamen Iudicibus conueniens vestium ornatus. Quòd si enim in vestibus sordeant, tenentur imminuti Magistratus. 7. *Si sorduerint, tenẽtur imminuti magistratus.*

Ad rationem conuenientis vestis pertinet vt patria sit. Marsel. *in legat. l.* 1. *c.* 23. quâ relictâ contemptus fertur Alexander, quòd Babylonicam induisset; & ille apud Tacit. *lib.* 2. *hist. quòd versicolore sagulo, braccas, tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.* 8. *Conuenit vestis patria.*

CA-

CAPVT XXXXI.

Ritè electus.

AD honores enim per virtutis viam congruè prouehi conuenit. Vnde Simmachus *epist. 14. lib. 1. Bene ac sapienter maiores nostri ædes honoris atque virtutis iunctim locarunt: commenti esse præmia honoris, vbi sunt merita virtutum.*

1. Florente Repub. populus Romanus officia conferebat; inde candidati, & de ambitu leges: translatâ deinde in Principem potestate, ille solus

Electio ad Principem pertinet.

Iura, magistratumque legit, sanctumque senatum.

Ab eo exeunt omnes dignitates, vt à sole radij, inquit Cassiodor. *lib. 6. variar. epist. 23.* quod & decisum *l. 1. D. ad leg. Iul. de ambit. & in feudis lib. 2. tit. quæ sunt regalia.*

Sed tamen solent Imperatores antequam digniora officia conferrent, iudicium requirere à præfectis prætorio, vt videre est *in Nouel. 8. & l. 1. D. ad leg. Iul. repetund. Rectores*, inquit, *prouinciarum amplitudinis eius testimonio solent promoueri.* quanquã tamen senatui populoque aliquas non limitaneas sortiendas prouincias ad speciem authoritatis relinquerent.

2. Porrò prouinciarum Rectores, vt plerique militares erant, atque Iuris ignari, solebant peritum assessorem assumere, aliaque minora officia ab eorum iurisdictione dependentia conferre. *Nouel. 35. & passim per tres vltimos lib. Cod.* quædam tamen ab Imperatore confirmari oportebat. *l. probatoriæ C. de diuers. offic.*

Nisi in minoribus.

3. In municipiis calendis Martiis noui decuriones creari solebant, *l. 28. C. T. de decur.* conuocatâ curiâ à duumuiris per nuntium, *l. 2. C. eod.* (tubâ & campanâ, quæ hodie viget, nondum vel inuentâ vel in id receptâ) duabus curiæ partibus præsentibus, *D. de decret. ab ord. facien. l. nomina 46. C. de decur.* adhibito Præside prouinciæ, *l. 1. § sed etsi D. quand. appell. sit.* nominatione per duumuiros factâ, *l. 2. & d. l. nomin C. eod.* & suffragiis probatâ, *l. spurij 6. §. fin. D. eod.* maioris curialium partis, *d. l. 46. C. eod. l. quod maior. 19. D. ad municip.* demum à Præside confirmatâ, *l. si quis 59 C. eod.* & per nuntium nominato electione significatâ

Animadversio in municipiis: vbi decuriones quo ritu creentur.

ficatâ *d. l.* 2. qui aut munus suscipiebat, aut si fas non erat nominari, ad Præsidem appellabat. *d. l.* 2. nominatus denique in albo scribebatur, *lib.* 1. & 2. *D. de alb. scrib.* Solâ autem albi proscriptione decurionem minimè factum respondit Herennius, qui secundùm legem creatus non sit. *l.* 10. *D. de decur.* Defensores autem ciuitatum ita præcipiuntur *l.* 8. *C. de defens.* ordinari, vt sacris Orthodoxæ Religionis imbuti mysteriis, Romanorum Episcoporum, & curialium decreto constituantur: quod deinde rèfertur ad prætorianam potestatem.

4. *Quo ritu in Belgicis Conciliis?*

Belgica Concilia, ni fallor, omnia in demortui fortè locum solent Principi tres denominare, ex quibus ille cui lubitum fuerit gratificatur; egredi tamen ille, cùm videtur, solet nominationem: exceptâ illâ quam fieri contingit à Parlamento Mechlinienſi, cuiusmodi rei rationem Ordines Galliæ sub Carolo VIII. his verbis sanctè comprehenderunt: *que le Roy estant chargé enuers Dieu, de respondre de la suffisance, & idoneité de ceux, qu'il met aux offices, ne s'en peult mieux descharger, que sur les principaux Officiers*: renouatam desiderantes ordinationem Caroli VI. an. 1404. quâ decretum erat, vt per Parlamentum officia iustitiæ distribuerentur.

5. *In minoribus Magistratibus?*

Et ferè minores in Belgio Magistratus, præsertim municipales aliquâ populi nominatione, præsertim in Brabantia, constituuntur, non sine tamen iudicio præcipuorum Principis officiariorum. Ad exemplum ferè *l.* 7. *C. de profess. & medic. lib.* 10. *Iudicio ordinis*, inquit, *probati, decretum curialium mereantur.* & Romæ Collegium Dialium vacante loco aliquo tres populo Sacerdotes nominabat, vnum ex iis populus eligebat. Tac. *ann. l.* 4. ita ferè in Belgio obtinet.

6. *Antuerpiæ.*

Antuerpiæ Senatores sunt 18. iidemque annui. Sub finem igitur exacti anni nominat Senatus nouem, populus nouem: horum nomina vnà cum catalogo eorum, qui durante adhuc anno Magistratum gerunt, transmittuntur ad Principem: is exempla vtriusque catalogi mittit ad Episcopum, Arcis-præfectum, & Marcgrauium (cuius officium perpetuum est, & penes quem est potestas gladij.) Ab his Princeps inquirit, quinam ex nominatis digni magis, atque Reip. vtiles sint futuri, singuli autem pro sua religione rescribũt: tum Princeps nominationem non egreditur: sed miscere solet veteribus nouos, nouisque veteres, designare quinam ex omnibus placuerint. tum designantur bini Consules.

Alibi

7. In Batauia

Alibi aliter hæc fiunt, atque aliter. vt Hollandiæ morem nostro non admodum dissimilem refert Grotius *in Antiq. Reip. Batauæ. c. vlt.* ita tamen vt populi pluriumúe judicia interueniant, melius quippe omnibus quàm singulis creditur: singuli enim decipere & decipi possunt, *nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*, inquit Plin. *in panag. ad Traian.* & Cassiod. *Dignus est*, inquit, *principali iudicio, qui à multis meruit approbari; vni enim acceptum fuisse, interdum gratia est, multis placuisse, iudicium.*

Quin imò Alexander Seuerus, vt refert Lāprid. vbi aliquos voluisset Rectores Prouinciarum dare, nomina eorum publicè proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis. dicebatque graue esse cùm id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Prouinciarum Rectoribus, quibus fortunæ hominum comitterentur, & capita.

Porrò quomodocūque pro more regionis Iudices Magistratúsve constituantur, officiorum codicillos, seu diplomata accipiunt. *l. 1. C. V d omnes Iud.* post quæ sacrilegij instar est dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator, *l. 3. C. de crim sacrileg. l Sacrileg. C. de diuers. rescript.* quia etiamsi contra leges quis promoueatur, dum scit Imperator, legibus soluit. *l. 57. D. de re iud.* Scire autem præsumitur, quia ad eum examinis cura pertinet, ad quem confirmatio, stabilitio, consecratio. *c. Venerabilem. x. de elect. c. qui Episcopus 23. dist. & tot. dist. 64.*

8. Codicilli.

CAPVT XLIII.

An Perpetuus.

PErpetuus an temporalis Magistratus magis conueniat, iam olim disputatum apud veteres, Platonem etiam, atque Aristotelem, & modernos Bodin. *lib. 4. c. 4. de repub.* rationes politicas deducit. Consen. *polit. lib. 7. c. 10.* Besold. *diss. 3. de Magistrat. c. 2. n. 5.* & Borel. *lib. 1. c. 12.* etiam quid fere vbique gentium obtinuerit. In Rebusp. temporarios satius est esse, ne diutina potestate vnus insolescat, & ad tyrannidem vergat; in Monarchia minus est periculi, plus auctoritatis in perpetuo Magistratu.

Sed

Sed rectè laudat Loiseau *des offices lib.* 1. *c.* 3. rationem mediam fortuito ab vsu repertam, scilicet concessionem Magistratus vsque ad Principis reuocationem. Vnde in Gallia Regiis officiorum codicillis ex formula inseri solet, *tant qu'il nous plaira*: quales tamen ad perpetuos refert Borel. *ibid. n.* 69. In eam rem præclara monitio Cassiod. *variarum lib.* 7. *c.* 2. *Sit*, inquit, *in vestro proposito administrationem vnius anni susçipere: nostrum est merentibus tempus augere.* quare & Capitolin. de Antonino refert, quòd successorem viuenti bono Iudici nulli dedit. & Seuerus, (vt de eo Lamprid.) si cui vnquam successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit Respub.* eumque ita muneratus est, vt priuatus posset honestè viuere. Paul. Æmil. *lib.* 1. refert, quòd Duces ab initio Comitesque à Regibus præficiebantur gentibus, ciuitatibusque, ac, cùm videretur, dimittebantur: deinde inueterauit consuetudo, vt nisi sceleris conuicti abire imperio non cogerentur. inde Officia in hæreditates migrarunt. 1. *Datus quàm diu videbitur Principi, potior perpetuo vel temporario.*

In Gallia perpetua reddidisse officia Philippum Pulcrum, periculosè voluisse mutare Carolum V. & Ludou. XI. refert *vbi suprà* Loiseau, explicatque diligenter prædictum beneplacitum Regium, & Borel. *vbi suprà*, *num.* 77. *& seq.* quando morte concedentis sub beneplacito non censeatur expirasse iurisdictio.

Siue autem tempus Magistratus expirauerit, siue successor ei datus sit, non antè tamen cessat eius officium, quàm successor aduenerit. *l. meminisse D. de off. proc.* Borel. *vbi sup. l.* 1. *cap.* 12. *n.* 64. numquam dari vacuum debet in Rep. numquam acephala esse illius administratio.

LIBER SECVNDVS

CAPVT I.

De potestate Iudicis.

INITIO generis humani omnes homines naturâ æquales erant, exceptâ œconomicâ parentum in liberos potestate, quam natura ac Deus indidit, alia ferè omnis à violentia cœpit. inde in sacris literis Nemroth 1. *Vnde capta potestas?*

robustus venator dicitur. exinde cùm imbecilliores aduersus aliorum potentiam tueri se non possent, potentiorum auxilia implorarunt, & in clientelam eorum se dederunt, defensionemque; hi illorum aduersus alios susceperunt. Ex hoc gentium populorúmve consensu Reges, Dynastæ, Iudices, Satrapæ instituti sunt primùm, atque tributa eis vniuersim potestas omnis defendendi, vindicandique, quam singulis natura permiserat.

Hoc consensu enata publica potestas, diuinâ auctoritate sancita est, ne temeraretur. Vnde illud Pauli, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Neque exindè permissum cuipiam sibi ius dicere, vel iniuriam suam vindicare, minùs in alterum potestatem exercere. *Qui priuatus*, inquit lex 3. *D. ad leg. Iul. maiest. pro Magistratu, potestatéue se gessit, lege Iul. Maiestatis tenetur.* Post Reges in partem potestatis venerunt Magistratus atque Iudices, & apud Iudæos quidem tribuni, centuriones, quinquagenarij & decani. qui Moysi dati sunt in subsidium, quo leuius ei foret populum iudicare, partito in eos onere. Singuli autem suos gradatim iudicabant: quicquid autem maius fuerat, referebant ad Moysem. Ita in plerisque regnis, Rebuspub. maiores minoresque Magistratus instituti sunt. de quibus illud Apostoli; *Subditi estote Regi, tanquam præcellenti, & Ducibus* (id est Magistratibus) *tanquam ab eo missis.*

Magistratus, inquit Festus, *à magistrando dicti sunt.*

2. *Vnde dicta?* *Potestatis verbo imperium in Magistratu significatur*, inquit lex, *significatur de verb. signif.* maiores Magistratus cum imperio & potestate erant. *leg.* 32. *D. de iniur. leg.* 2. *D. de in ius vocan.*

3. *Quotuplex?* Imperium ius gladij eminentius continebat, atque à populo nominatim, vel Principe dabatur: non iure Magistratus. *l.* 1. *D. de off. eius cui mandata est Iurisdictio.* Cuiac. *lib.* 21. *obser. cap.* 30.

Aliismixtumj mperium & iurisdictio competebat, quæ sine modica coercitione non est. *leg. vltim. dicto tit.* Alij propriam iurisdictionem non habebant: sed tantùm iudicandi facultatem. *leg. vltim. C. vbi & apud quos rest. iuint. post.* at hi Magistratus non erant, sed iudicare tantùm iubebantur; sententias exequebantur ipsi Magistratus, tribunal illi non habebant, sed de plano iudicabant;

non

non vtebantur prætoriis verbis, *do, dico, addico*, sed mandanti Magistratui ea reseruabantur.

Legis virtus est *iubere, vetare, permittere, punire, l. legis. D. de leg.* Eadem virtus est Magistratus, qui viua lex est; iubere item vocari, iubere prehendi, iubere iudicare. non hæc illi possunt, qui magistratu non funguntur. Inde Cicer. 3. *de leg. Hæc vis est*, inquit, *Magistratus, vt præsit, præscribatque recta, & coniuncta cum legibus; vt enim Magistratibus leges, ita populis præsunt Magistratus.* vereque dici potest Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum Magistratum. 4. *Quæ virtus potestatis?*

Igitur Magistratus supra potestatem eis concessam, aut extra prouinciam eis commissam priuati sunt. *l. vlt. D. de Iurisdict. omn. Iud.* ideoque oportet vt quicumque causam habuerit, à suis Iudicibus iudicetur, & non ab alienis. 11. *q.* 1. *c.* 7. 9. *q.* 2. *c. in Galliar.* 25. *q.* 2. Peregrina iudicia generali sanctione prohibentur, quia indignum est, vt ab extraneis iudicentur, qui comprouinciales, & à se electos debent habere Iudices. nisi fuerit appellatum, *c. peregrina. & seq.* 3. *q.* 6. *Nullus*, inquit Calixt. *c. nullus* 9. *q.* 2. *alterius terminos vsurpet, nec alterius parochianum iudicare, aut excommunicare audeat. Maledictus* enim, inquit lex *Deut. c.* 27. *omnis est qui transfert terminos proximi sui. Per alienam*, inquit Greg. *c.* 1. *caus.* 6. *q.* 3. *messem transiens, falcem mittere non debet: falcem ergo iudicij mittere non potest in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa. 6. q. cap.* 1. 3. *q.* 6. *cap.* 14. *d.* 71. *cap.* 2. 6. *q.* 3. *cap.* 2. 11. *q.* 1. *c.* 39. Inde enim indignatur Paulus *ad Romanos c.* 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Rectè dicunt Philosophi, omne agens debere intra sphæram actiuitatis habere patiens, vt in illud agat. & Theologi mortiferi reatus eum damnant, qui vsurpat judicium. sed & nullius momenti esse leges nostræ voluerunt quicquid à non competente Iudice decretum fuerit. *C. si à non competente.* Ex quibus id conficitur, vt sicut eum, qui iudicare debet Magistratum esse oportet, *l. eum D. de iurisdict.* ita quoque eum, Magistratum esse non sufficit, nisi sit & eius personæ, & rei de qua quæritur. non igitur assessor, aut Iudex pedaneus in potestatem Magistratus transilire poterit: non cui iurisdictio mixtumque Imperium demandatum, merum arripere, atque exercere poterit: non cui datum imperium in ciues, poterit arripere in milites: neque versâ vice. *l.* 2. *C. de offic. milit. Iud. l.* 1. *C. de off. præfect. vrb.* 5. *Extra mãdatam potestatem priuati Iudices.* 6. *Non possunt aliena vsurpare.*

7. *Præsertim merum imperium quod disertè dandum.*

Nec merum quidem imperium concessum olim intelligebatur, nisi disertè demandatum esset. & in libera adhuc Repub. parcè de capite ciuis Romani statuebatur, & magnâ ceremoniâ populoque conuocato: sed cùm res ea difficilis esset, designabantur qui causas criminales cognoscerent, qui deinde Iudices quæstionales vocabantur. Sed quibus exercitus & res militares committebantur, etiam merum imperium dabatur. *Demus*, inquit Cicero, *in Philipp. imperium Cæsari, sine quo res militaris geri non potest.* & quidem eiusmodi imperium in milites ordinariis legibus solutum erat. Polibius *lib. 6. de re milit. & domest. Rom. discipl.* adeoque in caput militis statuere poterat, qui exercitui imperabat, sine solemniis aliàs consuetis. nam res militaris moram non patitur, nascente coniuratione, secessione, seditione militum, aut hoste imminente.

8. *Semper videant an sit iurisdictio.*

Ad officium ergo pertinet eius qui iudicaturus est, ante omnia cognoscere an sua sit iurisdictio, an causa, & reus ad eum pertineat. Sapientis Iudicis Cicero inter cætera esse dicit, animaduertere quâ lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. nam nec quempiam litigatorum sententia à non suo Iudice lata constringit. *l. vltim. C. si à non compet. Iud.* quod si de causa & crimine, de quo cognoscere Iudex non poterit, statuerit, & quod gestum erit non subsistet, & in Iudicem ipsum actio dabitur. Cicero eò quòd consul supra quàm potestate eius dicebatur comprehensum, statuerat, exilio & bonis mulctatus fuit.

9. *Potestatē termini maximè seruandi, vbi officia veneunt.*

Rectè in Gallia vbi officia magno veneunt, adeoque qui ea obeunt non vt onera ea amplectuntur, quales diligentiam suam non vltra necessitatem porrigunt, sed vt frugifera munera possident, ideoque libenter terminos suos in vicinum agrũ proferunt: Franciscus I. & Henricus II. etiam respectu Notariorum (qui quandam ibi voluntariâ iurisdictionem exercent in contrahentes, & potestatem eos damnandi habent in id quod conuenerit, iuxta *l. si conuenit. D. De re judicat.*) decreuerunt: *Qu'il ne leur est loisible d'entreprendre sur les limites les vns des aultres, &c. à paine de nullitê, & de tous despens, dommages, & interests des parties, & encores de rendre le quadruple de l'emolument.* Nequeludicem excusat, quòd in ius vocati venire debeant, & priuilegia sua allegare. *l. 2. D. si quis in ius vocat. & l. 5. D. de iudic.*

dic. agunt enim eæ leges de iis, qui priuilegia habent, quæ priuata sunt, & facti, quæ licet Iudici ignorare. sed d. lex vlt. *C. si à non compet.* & lex *extra territorium D. de iuris.* loquuntur de notoriis districtuum, territoriorumque terminis, publicis causarum, personarum legibus.

In notoriis Iudicum excessibus cuilibet obsistere tanquam priuatis licet, qui aliàs crimen læsæ maiestatis incurreret. *l. quisquis in verb. cuiuslibet qui nobis militat C. ad leg. Iul. maiest. Extrau. qui sunt rebel. in lib. feudo.* bene Clarus, *lib. 9. tit. crimen læsæ maiest. vers. quæro etiam.* Magistratus enim sacri sunt, atque inuiolabiles lege Horatiâ *de sacrosanctis magistratibus.* Quamuis autem Præsides cùm excesserunt prouinciam, priuati loco sunt. *l. 3. D. de off. Præsid.* Proconsules tamen extra vrbem, vbique proconsularia insignia gerebant; & vbique exercebant iurisdictionem voluntariam, quamuis non contentiosam *l. 1. & 2. D. de off proconsul.* Quam differentiam docte notauit inter Præsides & Proconsules Cuiac. *obsera. lib. 20. obs. 37.* tamen communiter obtinuit, vt credantur Iudices extra territorium voluntariam exercere iurisdictionem, non contentiosam. esto hi differant in honorum insignibus, in inchoando magistratu, aut deponendo. 10. *Iudici excedenti notoriè obsisti potest.*

Pro sua igitur quemque iurisdictione officium exercere conuenit, non eam excedere. Defensor ciuitatis in minoribus causis, id est vsque ad 50. solidos acta iudicialia conficit, cæteras verò quæ dignæ forensi magnitudine videntur, ordinario insinuat Rectori. *l. 1. C. de defens. Ciuitatis.* neque enim pro hac summa adiri poterat Præses, nisi per appellationem, §. *& Iudicare de defens.* Parentis vicem plebi exhibet, descriptionibus rusticos, vrbanosque non patiens affligi. *l. 4. ibid.* nihil sibi insolens aut indebitum vindicans, nominis sui tantùm fungitur officio, nullas infligit mulctas, sæuiores non exercet quæstiones, plebem & decuriones ab omni insolentia & temeritate tuetur. *l. 5.* fere instar Tribunorum plebis, quales olim erant. vbi latronum feruet insania, adest disciplinæ, nec sinit crimina impunita coalescere. *l. 6.* oblatos sibi reos in ipso latrocinio, homicidio, stupro, raptu, adulterio deprehensos, expresso crimine, cum his, à quibus fuerint accusati, mox sub idoneo persecutore ad iudicium dirigit. *l. 7.* leuia crimina audit, & punit. §. *audient. Authent. eodem. d. leg. 7.* sine eius iussu aut Præsidis nemo in custo- 11. *Defensores de quibus cognoscebant.*

diam coniiciebatur. *l. neminem.* 11. *C. de Episcop. audien.* solerter curat possessores maioribus ponderibus, & mensuris à susceptoribus minimè prægrauari. *ibidem.* apud eum testamẽta, donationesque insinuabantur. Iudiciorum acta fiebant, *l. penult. eod. §. nulla in Auth. eodem.* in archiuum deferenda & à carie & corruptione seruanda. *§. præcep. ead. Authent.* tumultus sedabat, plebem curabat. *§. deinde d. Authent.* tributorum exactoribus opitulabatur, quasi Præsidis vices gerens *d. §. deinde.*

Eodẽ modo Præfectus vigilũ de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptoribus cognoscit. nisi si qua tã atrox tamque famosa persona sit, vt Præfecto vrbis remittatur. *l. 3. de Offic. præf. vigil.*

12. *De quibus Duumuiri.* Duumuiri etiam suos limites habebant, & Magistratus municipales vocabantur. *l. fin. C. de Iudicijs. l. 1. & 2. C. de magist. 25. D. ad municipal.* & sicut Consules alternis diebus duodecim, ita Duumuiri alternatim binos fasces præmittebant. Vsque ad certam summam iudicabant. *l. 4. §. si verò. D. de damno infecto l. 28. ad municipal.* ea quæ magis imperij sunt quàm iurisdictionis, exercere non poterant. *l. ea quæ 26. D. ad municipal.* si tamen ita conueniissent litigantes, de maiori summa apud eos agi poterat. *l. inter 28. D. ad municipal.* Actorum etiam conficiendorum potestate vtebantur. *l. 2. C. de magist. municipal. l. curent. D. de testibus. l. Iub. 6. de defens. ciuit.* Pignora etiam capi ob executionẽ rei iudicatæ Duumuiri iubebãt. *l. quemad. 36. §. penult. D. ad leg. Aquil.* Seruos modicè castigabant, fugitiuos ad Præsidem transmittebãt, *l. 4. D. de seruis fugit.* Liberos carceribus mancipandi, & innocentes dimittendi facultatem habebant. *l. magist. 22. D. de iuridic. iudic. l. si quis 52. §. si fugitiui. D. de furt.* An puniendi potestatem habuerint, Accursius aliique controuertunt; exercuisse ex actis Martyrum constat. Tutores dabant, si pupilli facultates quingentos solidos non excederent, *§. penult. inst. de Attil. tut. l. 3. §. de tutor. & curat. dat. ab his. l. sancimus in curationibus 30. C. de Episcop. audien.* ditioribus verò pupillis tutoribus à Præsidibus datis.

13. *Curator Reip.* Curator Reip. fundos, ædes, & publicam pecuniam curabat. *l. 1. §. 1. D. quod cuiusq.* mulctandi ius nõ habebat. *l. 5. C. de modo mulct.* prædia ciuitatis locabat, publicas res à priuatis occupatas vendicabat. *l. 3. §. 1. D. de administrat. rer. ad ciuit. pertinen.* publicas ædes, & balnea quæ restauratione indigebant, redemptoribus sarcienda locabat. *l. vlt. §. 2. D. de curat. Reip.* aut

ipse

ipse refici iubebat. *l. vlt. §. hic quoque. D. de muner. & honor.* quotannis rationem reddebat, *l. vltim. §. 8. D. de administ. rer. ad ciuit. pertinent.*

Curator Calendarij pecuniam publicam fœnori locabat. *l. 1. D. quod cuiusque. l. Gaius 11. D. de vsuris. l. vltim. §. 2. de muner. & honor.* 14. *Curator Calendarij.*

Hodie eiusmodi officia, vt pleraque alia Romani imperij, ad præcisam rationem vix vlla habent respondentia. alij mores alios limites posuerunt. Vt id generatim tantùm monendum sit, vt quisque demandatam functionem quàm diligentissimè obeat, negotia aliis commissa ne interturbet, alienæ rei ne se immiscеat.

Sed & hic locus moneret dicere de potestate Ducum, Marchionũ, Comitum, Baronum, Dominorũ altæ, mediæ, infimæ Iustitiæ, vt loquimur iam pridem; sed tractatus is extra instituti nostri præscriptum excurreret, & eas partes omnibus ademit Loiseau *des Seigneuries.* nec malè executi sunt Borell. *de Magist. l. 4.* atque sexcenti alij, qui in libros, aut materias feudorum scripserunt.

CAPVT II.

De Honore.

POtestatem honor comitatur, cùm sicut potestas ita honor omnis sit à *Domino Deo virtutum*, ab eoque vt fonte promanat in Reges Magistratus, Iudices. Deo debetur, & ob illũ potestatibus per illum ordinatis. *Omnis* enim *potestas à Deo est*, Paul. *ad Rom.* 13. ex eaque honor profluit, vt à sole lumen. sed maximè lucet in iis, quorum vitia, vt nubes, lumen non impediunt, qui dignitatem criminibus non prostituunt, *l. Curial. de decur. lib.* 10. *Cod.* qui indignitate suâ vim & ius Magistratus non demunt. *ita Liuius.* qui Magistratum non pecuniâ, aut fautoribus, sed virtutibus ambiuerunt: qui non auratis alis, vt loquebatur Euripides, volare contendunt: *Hæc enim res ipsa*, inquit Seneca *Epist. 115. quæ tot Magistratus & Iudices facit, pecunia, ex quo in honore esse cœpit, verus honor cecidit, mercatoresque & venales inuicem facti, quærimus non quale sit quidque, sed quãti.* malè illud semper recinimus; 1. *Honor potestati inest, præsertim si non auro, sed virtutibus cõparetur, retineatur.*

Aurea nunc verè sunt sæcula; plurimus auro
Venit honos.

2. Officiis ergo publicis ita honos ineſt, vt & latinè, & in Iure officia ipſa honores dicantur. *tit. de muner. & honor. Honor*, inquit Caliſt. *in l. 14. eod. eſt adminiſtratio Reipublicæ cũ dignitatis gradu.* quam non malè inuerſam voluit Loiſeau. *l. 1. de off. c. 1.* vt ſit dignitatis gradus cum adminiſtratione Reip. Honorem ſeruat Magiſtratus, ſi innocenter vixerit. auget etiam, ſi virtute excelluerit, actioneſque omnes illius à virtutis lineis ductæ vi deantur. *Authoritatem*, inquit lex. *obſeru. de offic. Præſ. dignitatis ſuæ ingenio ſuo augeat.*

3. Magiſtratui honoris cauſâ aſſurgere, & de via cedere oportet, ideo Faſces eis dati, ſecures, lictores, eorumdemque numerus pro gradu dignitatis. Hinc de Tiberio imperium inchoante: *Conſulibus aſſurrexit, & deceſſit via.* didicerat ab Auguſto Iul. Cæſaris contrario exemplo inſtructo: qui *apud Sueton. præcipuam & inexpiabilem inuidiam ſibi mouit, quòd adeuntes ſe cum honorificentiſſimis decretis vniuerſos Patres ſedens pro æde Veneris genitricis excepit.*

Dignitatem ſuam vt ſuis ipſi vitiis obſcurare non debent, ita nec pati, vt ab aliis imminuatur, ſed inſolentes compeſcere conuenit. *l. 15. §. vnde quærit D. de iniur. l. 1. D. ſi quis ius dicenti.*

4. Seuerus, cùm in Africa legatus eſſet, eum cædi iuſſit, qui temerè eum amplexus erat: Tribunus Vectium occidi, qui tranſeunti non aſſurrexerat: Aman Mardochæo crucem parârat, quòd aulâ exeunti non aſſurrexerat. Fabius filius Conſul patrem obuium equo deſcendere iuſſit, cui pater, non ſe deſpexiſſe in filio dignitatem, ſed experiri voluiſſe, an eam tueri poſſet. Vnde rectè apud Agellium *lib. 11.* in publicis locis, atque muneribus, & actionibus patrum iura cum filiorum, qui in magiſtratibus ſunt, poteſtate collata, interquieſcere paululum & conniuere, ſed cùm extra Remp. in domeſtica re & vita ſedeatur, ambuletur, in conuiuio familiari diſcumbatur, tum inter filium magiſtratum & patrem priuatum, publicos honores ceſſare, & genuinos exoriri.

Non criminibus deturpetur, nec imminuant ipſi iudices aut ab aliis minui patiantur.

5. Semper ergo in publicis ſeſſionibus, & proceſſionibus, atque vbicumque publica lux magiſtratus fulgere debet, ita

cum

eum habere conuenit, ne incusari possit imminuti Magistratus: ita minoribus se præferat, vt maioribus cedat, inter pares prærogatiuam temporis obseruet. *vt dignitatis ordo seruetur, lib. 12. Cod.*

Honores inuicem ex gradus ac temporis ordine deferant.

Etenim manifestè decretum est, eum esse potiorem, qui præcesserit, & illum subsequi quem recentius probauerit examen. *l. 1. de præpos. sac. cubic. lib. 10. Cod. Quis enim*, inquit lex 1. *de consul. lib. 12. in vno eodemque genere dignitatis prior esse debeat, nisi qui prior meruerit dignitatem? cùm posterior, etiamsi eiusdem honoris prætendat auspicia, cedere tamen eius temporis magistratui debeat, quo ipse non fuerit. Sit igitur*, ait lex 2. *C. de præfect. præt. sedes prior antè prouectis, locus conspectior, decernendi loquendique facultas antiquior, cui est splendor adepti Magistratus vetustior.*

Id quod generatim obtinet in officiis *l. 1. de præfect. præt.* militiis *d. l. 1. de præpos. sac. cub.* ordinibus, *l. 1. C. de alb. scrip.* etiam post depositum magistratum, *d. l. 1. de consul.*

Etquanquam dicta lex 1. *de offic. præt.* tempus promotionis & adeptionis codicillorum respiciat, tamen moribus nostris tempus adeptę possessionis, atque installationis (vt vocant) magis attenditur. nam tunc incipit in actu positus peragere administrationem. quam considerat lex vlt. *C. vt dignitat. ordo seruetur*, ita vt quamuis ius dicendæ sententiæ nondum sit adeptus, tamen prærogatiuam temporis retineat, & fructibus officij potiatur. *l. spurij. §. minor. D. de decur.* Adeò quidem hæc obtinent, vt si quis dignitatem resignauerit, & postmodum rursus adeptus sit, locum retineat, quem vltimò accepit. Angleus *lib. 7. otij semestris, cap. 8.* non tamen si ad tempus tantum iussus fuerit abstinere delatus, eoque cessante ad prius collegium redierit. *l. maior de dignit. lib. 12. Cod.*

6.

Honoris causa inuenta insignia Principum ac magistratuum, & quæ?

Porrò quia populus externo ritu capitur, vt sua veneratio Principibus & Magistratibus constet inuenta Monarcharum & magistratuum insignia, nobilis ceremoniis ratio Imperatoris eligendi, Regis creandi, Monarcharũ vnctio & coronatio, sceptrum, diadema, diuina nomina, & honores, apotheoses, adoratio, purpuræ, dexterę oscula, vota pro Principibus nuncupata, per vitam Imperatorum iuramenta, lampades, & foculus, ignes prælati, festiuitates, oraria, plausus, & si qua alia Regum & sublimium Principum decora: adde

Et sellam regni, trabeamq́, insignia nostri.

Sub Principibus Magistratui pro gradu cuique etiam sua insig-

insignia erant, quo spectabilior videretur. in primis toga prætexta, id est, purpurâ circumtexta, & cum securibus fasces prælati, & sella curulis.

Maiores quidem Magistratus prouinciarum, vt Præfecti, Proconsules & vicarij, mulierum imagines habebant, quæ prouincias ipsis subiectas in sinuabant; alij oppidorum. Præterea codices, qui librum mandatorum repræsentabant, & vultus Principum auratæ pilæ præfixos: aliis signa rerum quas tractabant, vultus Principum, Magistratibus in publicum prodeuntibus præferebantur, *l. 4. C. de Iniur. l. Capital. §. ad statuas D. de pœnis.* Cassiodor. *l. 6. varia. in formul. consul. Vultus etiam*, inquit, *regnantium geniata obsequij pompa præmittit.* vt hodie Archipræsules & Patriarchas præit crux Domini argentea. *cap. antiqua de priuileg. Vt sciant*, inquit Instinian. *Nouell.* 24. §. 1. & *Nouel.* 26. §. 26. *Magistratus, quomodo oporteat eos prouincias gerere, visum est nobis non solùm tradere symbola, sed etiam præscribere, quomodo Magistratum administrare debeant.*

In auditorio etiam quo tempore causas audiebant, ad augendam maiestatem Principum, cereos, seu lampades accendebant. Simile est quod iussit Iustin. vt ante sedem iudicialem sacrosancta deponerentur Euangelia, & ibi ab initio litis in omnibus cognitionibus vsque ad terminum, & prolationem sententiæ permanerent. *l. rem non nouam in fin. princ. C. de Iudic.*

Omnibus item Iudicibus cingula dabantur; maiora, minoráue pro eorum gradu; sine quibus Principem adire non licebat. nam *veneranda*, inquit Iustin. *in §. illud de Appell. in Auth. vetustatis, auctoritas ita Magistratus digessit, vt alij maiores, alij medij, alij minores essent.* & pro eadem ratione numerus erat fascium, & apparitorum, seu cohortalium, qui non gregatim aut bini, ternive, sed singuli alter post alterum præcedebant.

7. *Prætoria etiã ac solẽne tribunal.*

Erant & in maioribus vrbibus prætoria, siue ædes, in quibus iudicabatur. *Nouel.* 24. *in princip. l. omnes §. 1. C. de Episc. & cleric. l. prætor. C. de oper. pub. l. vlt. C. de Off. Rect. prouinc.* In hisce altius tribunal ad ius dicendum; illi fortè simile quale est apud Vitruuium, *l. 5. c. 1.* neque enim magistratus alibi, quàm pro tribunali iudicare possunt. *l. pen. D. de iust. & iure. l. cum sententiam vbi Bart. C. de sent. & interloc.* vnde tribunali præesse, & pro tribunali cognoscere dicuntur *l. 1. D. de Iud. l. 2. D. de re iudic.* sicut & Episcopis vt hospitium sit non longè ab Ecclesia præcipitur à Concil. Carth. *c. 7. dist. 41.* quibus tamen quocumque diocesis loco iudicare, & tribunal erigere licet. *c. cùm Episc. de off. ord.*

in

in 6. sed delegatis non licet habere tribunal erectum. Trident. sess. 24. c. 5. reuersi autem ex prouinciis Iudices ponebãt insignia. l. 1. & vlt. D. de off. Procons. cessante causâ officij, & fine venerationis.

CAPVT III.

De Iure iurando per Iudicem præstando.

AIudicaturis apud omnes gentes præstari consuetum fuit iusiurandum. nec antè iudicia suscipere solebant, quàm id conceptis more maiorum religiosè verbis præstitissent. more militum, qui (vt ait Vegetius) non priùs militare audebant quàm sacramento militiæ addicti fuissent. & postquam sacramento soluti erant, in hostem amplius pugnare non poterant. Vnde Traianum Plinius dicit consulem electum consule seniore insiurandum præbente, & solemnia verba præeunte, moribus antiquis stetisse. Summa autem iuramenti de seruandis legibus erat. vnde Liuius *lib.* 31. *Caius Valerius Flaccus, quem præfectum creauerant quia flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat, Magistratum autem plus 5. dies nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere, datus est qui iuraret pro fratre L. Valerius prætor: plebsque sciuit, vt perinde esset, ac si ipse iurasset.* & (*Asconius in Verrem*) sortitione factâ iurabãt in leges, vt obstricti religione iudicarent. 1. *Semper iusiurandũ exactum à Iudicibus.*

Apud Romanos olim in singulas causas sorte Iudices legebantur, & mox in leges iurabant. Vnde Iustin. *in l.* 14. *C. de Iud. Cui*, inquit, *non est cognitum antiquos Iudices non aliter iudicialem calculum accepisse, nisi priùs sacramentum præstitissent?* Calculum vocat tabellas quibus sententiam suam inscribebant. *Cùm Iudex sit Metellus*, inquit Cic. 2. *in Verrem, tabellam iudiciariam iuratus accipiet.* Iubet autem ibi Instin. vt Iudices in singulis causis iurent, & se dicit rem non nouam, & insolitam facere. sed tamen nouã facit, quo ad Iudices, qui nõ in singulas causas, sed in annos aut perpetuò dantur. vnde ibid. Cic. *Cùm prætor fuerit, non iurabit, quia non est moris.* 2. *Romæ olim in causas singulas.*

Conceptis ergo verbis, & tactis sacrosanctis Euangeliis, *l. rem non nouam C. de Iud.* (quia, vt Symmachus *lib.* 10. *epist.* 54. *licet omnia Deo plena sint, plurimum tamen valet ad metum delinquendi præsentia religionis vrgeri*) iurabant Magi- 3. *Conceptis verbis ad S. Euangelia.*

Magistratus in leges, & quod iustius & æquius videbitur, se facturos. *Auth. hodie. C. de Iud.*

4. Ex formula Iustin. Iurisiurandi exinde formulam sancit Iustin. *in Auth. vt Iudices sine quoquo suffragio. §. sic igitur.* & pleniùs *in Auth. iusiur. quod præstatur de his, &c.* & *in Auth. de mandat. Princip. §. oportet.*

Quò & pertinet toto Iudicij tempore seruatas sacros. literas in loco Iudicij ante sedem Iudicialem, *sic*, inquit Iust. *d. l. rem attendentes ad sacros. scripturas, & Dei præsentia consecrati ex maiore præsidio lites diriment: scituri quòd non magis alios iudicant quàm ipsi iudicantur, & etiam ipsis magis quàm partibus terribile iudicium est.*

CAPVT IV.

De Iudicis residentia.

1. Cogitur intra fines suos residere Iudex. TEmpus postulat vt Iudex desideratis iam qualitatibus affectus, potestate honoreque donatus, atque iuratus, ad actionem se accingat. in qua primum in partitione operis locũ tribuimus iurisdictioni, & litium disceptationi. Itaque cùm extra territorium ius dicenti impunè non pareatur, necessarium est, vt designati Iudices quam primùm in prouinciam proficisci debeant. Sic & electi Episcopi nisi intra breuia spacia vt confirmentur, & consecrentur sategerint, iure suo excidunt. Trid. *s. 7. c. 9. s. 23. c. 2.* atque inde Iudices residere intra prouinciam, territorium, vrbem sibi creditam, quam primùm debent. adeo vt nullus prouinciæ moderator vel Romam sine jussione Imperatoria adire possit *l. 9. de off. rectoris prouin.* nec fines prouinciæ excedere, nisi voti soluendi causâ. dum tamen abnoctare ei non liceat. *l. 15. de off. Præsidis.* vt de clericis *c. 7 de cler. non resid.* Conc. Lateran. decreuit, Ecclesiam committi debere tali personæ, quæ residere in loco, & curam eius per se ipsum valeat exercere. quod idem est decretum in ordinationibus regni Galliæ anno 1560. vt & Iudices residerent inta districtum, & per se officium exercerent. eodemque modo vetitum est, *Ne clerici vel prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.* & antiquis Canon. *Præcipimus, ne conductitiis presbyteris Ecclesia committatur, sed vnaquæque Ecclesia cui facultas suppetit, proprium habeat*

habeat sacerdotem. c. præsip. 21. *q.* 2. Refert Gell. *lib.* 3. *c.* 2. tribuno plebis nullum diem Româ abesse licuisse. Iuius *lib.* 5. Flamini Diali noctem vnam manere extra vrbem fas non fuisse. Tacit. 3. *Annal.* annuam absentiam, & proinde prouinciarum administrationem Dialibus non concedi. Et quamquam antiquitus mandari iurisdictio, optiones sumi, legati suffici, vel à senatu legi, assessores accipi, & locum tenentes constitui potuerunt, tamen Iustin. *Nouel.* 134. loci seruatores abrogauit, & in defensores ciuitatum eorum functionem transtulit; & iam vetuerat anteà ne causæ omnes, sed nec vllæ integræ committerentur, nisi exiles, & ob magna Magistratuum impedimenta. *l.* 2. *& vlt. C. de pedan. iud.* sed nec id suffecit Iustiniano: sed & addidit, vt contestatio nihilominus & definitiuus calculus ipsis Magistratibus incumberet. *Nouel.* 6. Vnde rectè hodie existimatur, ciuilem Magistratum vniuersam iurisdictionem demandare non posse: atque inde fortè accidit, vt in emendato Codice locus datus non sit *titulo de officio eius cui mandata est iurisdictio*; qui in Pandectis extat. Neque titulus *de officio eius, qui vice Præsidis administrat*, contrarium arguit: vtpote qui non probet Præsidem vices suas commisisse, sed factum id erat à Principe, aut Præfecto prætorio, Præside alibi ex eorum nutu distento. vt rectè Cuiac.

2. *Nec admissis loci seruatoribus.*

3. *Nec causarum delegationibus ex integro.*

De Magistratu ciuili ago. nam Episcopi & iure possunt, & passim solent iurisdictionem suam vniuersam demandare Vicariis, seu Officialibus. qui ideo cum ipsis vnum tribunal constituere dicuntur. *c. Romana. de appel. in 6.* cuius rei ratio facilis est, quia potestatem suam Episcopi à Christo Apostolis & successoribus datam pleniùs possident, quàm administratores Magistratuum ciuilium. vt videmus hodie Duces, Comites, Marchiones (qui vt olim nomina officiorum erant, ita nunc ipsius imperij & iurisdictionis proprietatem implicant,) Magistratus, Prætores, Iudices & quorumcumque nominũ officiales, secus quàm per leges licuit olim constituere, eisque vniuersæ iurisdictionis exercitium demandare.

4. *Etsi secus in Ecclesiasticis.*

Et quoniam nemo duo loca implere potest, & duobus locis in solidum residere, cuicumque duæ militiæ obtigerunt, siue ex armatis, siue ciuilibus, debet alteram eligere, & alterã deponere. *l.* 5. *C. qui militare poss. l.* 2. sicuti qui duo Ecclesiastica beneficia consecuti sunt, quæ vtraque residentiam exi-

5. *Neque pluribus simul officiis imponitur.*

gunt. *c. de mulcta. x. de præb.* si tamen militia, qua decedendum est, inter eas habeatur, quas licet distrahere, clementia Imperatoris concedit eam in alium transferre, & pretium consequi. *d. l. 5.* quod quia in beneficiis simoniæ ratio non admittit, per adeptionem secundi vacat ipso iure primum. *d. c. de mulcta.* subtilitas tamen cupiditatis inter concessum titulum secundi, & aditam possessionem pacificam cum fructuũ perceptione, resignationem prioris pensione reseruatâ indies interiicit. an satis ex mente canonum, examinet is cuius interest; cùm more maiorum semper soleat causa pensionis à reseruante adiici, *ne resignans nimium patiatur dispendium*; videatque ne ex secundo simul & primo *nimium affectet compendium.*

6. *Vti nec pluribus vnus assidet.* Sed nec Assessorem quem esse duorum Iudicum permittit *lex, nemo C. de assess.* & hodie Conciliorum instructiones vetant senatores ab aliis pensiones habere, aut consulere clientibus.

CAPVT V.

De causis Litium.

1. *Multæ litium scaturigines.* SCaturigines Litium multimodæ sunt, tum publicarum, tum priuatarum. remedia etiam multa, sed nulla hactenus tam efficacia inuenta, quæ radicitus noxias eas herbas possent euellere. nisi apud eas fortè gentes, vbi neque diuinæ, neque humanę sunt leges, sed omnia regum manu ac Magistratuum arbitrio gubernantur. *Regum arbitrio lites dirimebantur*, inquit Dionis. *l. 10. Peccatum*, verò inquit D. Paulus ad Rom. *7. non cognoui, nisi per legem.*

Vbi ergo publicæ & priuatæ res vt lubitũ est reguntur, his illisue addicuntur, haud equidem magnũ operæ pretium est varios litium anfractus ambagesque auerruncari. Vbi vero ex prę scripto res publica dirigitur, priuatorũ Iura legibus distinguuntur, vindicantur, possidentur; ibi partium conflictus, illarum auxilia in rem suam vtrimque deuocantium, atque interpretantium, necessariò consequuntur: Magistratuum ac Iudicum interceſſione opus est, copiisque auxiliaribus patronorum, syndicorum, procuratorum, scribarum, notariorum, solicitatorum, aliorumque id genus plurium: qui sæpe pro corrupta hodie natura vitia sua simul in scenam deferunt. vnde vulgatum pridem est, multitudinem Legum, Iure-consultorum, ac Medicorum indicia esse Reip. malè habentis

2. *Restringi eas oportet, vbi tolli nõ possunt.*

bentis. Sed quandoquidem ita cum rebus humanis agitur, vt sine morbis, sine litibus esse non liceat; illud tantùm iis, quorum cæ partes sunt, curandum, vt corpora, vt naturalia, ita politica sic purgentur, vt noxij humores, qui non omnes tolli possunt, ita tamen cohibeantur, vt quàm fieri potest minùs numerosi, minùs periculosi morbi repullulent, præsentes curentur, futuri restringãtur, medici in eam rem habeantur optimi, probatissimæ medicinæ. Medicos politicos, Magistratus inquã ac Iudices priori iam libro descripsimus. quales si haberi semper possent, optimè de Repub. curanda sperare nos iuberent. remedia, ac medicinæ pro morbis publicis, litibus, iniquam, ac cladibus publicis tertius & quartus liber dabitur; hic porrò secundus litibus priuatis; vt quæ eliminari non possunt, ita habeantur, vt quàm minimùm noceant, quàm rectissimè atque expeditissimè peraganturi.

Lis nulla, toga rara refertur a Poëtis ad vitæ beatitudinem. *Qui tecum*, inquit Christus, *vult iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Matth.* 5. Sic & ridet Martialis Gargilianum;

Ah miser, & demens viginti litigat annos
Quisquam, cum vinci Gargiliane licet

Vlpianus verecundam cogitationem eius, qui lites execratur, non esse vituperandam tradidit. *l. item si. §. 4. D. de alien. iud. mut. caus.* & Paulus hoc ipsum quod à lite discreditur in causam legitimam transactionis esse ait, licet res nulla sit intermedia. *l. in summ. de condit. indeb. Peruersi suscitant lites, Prouerb.* 16. Vnde vix vir bonus præsumitur frequens litigator. & scrupulosi quęstionem mouent, an Christiano liceat litigare. & D. Paulus quidē Corinthios reprehendit, litigantes apud infideles 1. *Cor.* 6. *act.* 25. *c. aliud* 19. *q.* 1. Sed tamē & Iudicia instituit Deus, Iudices deligēdos expressit *Deut. c.* 1. *Exod. c.* 18. *Gen. c.* 9. & seipsum assidere professus est. *Ps.* 82. *Prou.* 8. neque quisquã iniuriam pati tenetur, ac benorũ spoliationē, neque ea consilia amplecti, quæ non ad præcepta pertinent, sed ad perfectionem Christianam. Non excusauero tamen pronum ac facilem litigatorem, de re modica contendentem; minùs, quæ plus habeat expensarum, quàm emolumenti; minimè verò eum, qui causæ suæ iustitiam in conscientię suæ arbitrio non priùs examinauerit, ac ne priuato affectu obcęcetur, virum probum, Aduocatum comprimis eruditum, cui genuinum controuersię statum veridicè explicet, consuluerit: tum

3. *Laudandi qui eas execrantur.*

4. *Non tamen qui habent, semper improbi.*

porrò expenderit, an ius, quod ex facto pendet, probare Iudici poterit. ne illum aduersariumque molestiâ, semetipsum sumptibus inutilibus afficiat. Tandē cùm neque tentatâ concordiâ componi res poterit, ita in litē descendat, illiusque telâ pertexat, vt non tantū nihil, quod iniustum sit, committat, sed quaquà fieri poterit, charitatē fraternâ nullatenus offendat.

5. *Meum ac Tuum prima causa litium.*

Plerumque enim ad hæc ciuilia duella deuenitur ob humana vitia, & maximè cupiditatem, quæ terminos *Mei* ac *Tui* numquam satis obseruet. mens auari semper aurum, semper argentum sitit, semper reditus computat *c. sicut hi. dist. 47.* diuitias, litium primitias, per fas & nefas per lites quærit. *c. nónne velis. dist. 37. Vnde contentiones in vobis*, ait D. *Iacob c. 4. nisi ex concupiscentiis vestris?*

6. *II. Ignorantia.*

Accedit ignorantia, veritatis, & Iustitiæ inimica, iusti atque æqui ignara, quæ litigantes in tenebris Andabatharum more pugnantes simul committit: quæ si bonâ fide tantùm errat, quamquam nec satis consultauerit, si non aliquâ veniâ, minori tamen irâ digna est, quam quæ est affectata. *Cunctos*, inquit Cicero *de leg. consulunt, an lex sit, quæ suo possit suffragari appetitui, & cupiditati. quo fit, vt ipsa, non Iudices periti, viam litigiis præstent.* eoque laborare soleant, qui cùm de iure non satis gustarint, de puluere practico nonnihil sordidi, penè æstimant se nihil nescire; longè ab iis dissiti, qui cùm iuuentā & senio in studiis cōsumpserunt, semper tamē exclamāt, *Quantū est quod ignoramus!*

7. *III. Paupertas.*

Succenturiatur proximè his causis litium paupertas. eas gignit, ab iisque & ipsa gignitur, mater litium, & filia litium.

Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere, & pati.

Multæ sunt, inquit Lactant. *lib. de Ira Dei c. 20. quæ ad peccandum inuitant, ætas, violentia, egestas, occasio, natura.* Sed & vice versâ diuitiæ inflant, superbi alios, iustitiamque despiciunt, in lites volnuntur,

Stultitiam patiuntur opes.

Sed & pauperes Iuris subsidiis pro libidine litigandi abutuntur: cùm enim sciant Iudices debere pauperem iuxtà ac magnū iudicare, eique procuratorē & aduocatū dare, temerarias lites mouent, nihil detrahi sibi, accedere autē jure vel iniuriâ sententiæ transactione extortâ posse iactant, damnum non pati, lucrum facere posse: quæ improbitas, si quando detegatur, seuerè est punienda, nullo pauperum priuilegio dignâ.

8. *IV. Ebrietas.*

Denique apud Septemtrionales populos, quos climatis frigus

gus aduentitio calore sæpiùs refici suadet, poculorum frequentia sæpiùs rixas, pugnas, lites creat. Ebrietas comes est furoris. *c. venter 37. dist. c. sanè 15. q. 1.*

Vt cuique libido est,
Siccat inæquales calices conuiua, solutus
Legibus insanis.

Sed verò, quod sequi non rarò solet,

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est.

si modestè scyphi porrigantur, moderatè epotentur, sæpè solent animos conciliare, rancores euellere, odia remittere, iniurias tollere, lites exscindere. sed eiusmodi remedium isti malo adhibendum est, quàm cautè tractanda nouacula.

Propriùs autem litem parturit & educat malitia partium litigaturientium, & subsidiariorum. Anthon. Faber *l. 9. C. tit. 22.* duas fere statuit causas: Primam, quòd aduersarium neuter inuitet ad concordiam; Alteram, quòd ita litem tractent, quasi rerum suarum vltima cura sit, ac breuiorem vitam, quàm litem malle videantur, improbo ac malitioso ingenio, inuitis legibus, & Magistratibus eam protelent. De concordia semper tentanda *l. 1. c. 26.* latè diximus. Tela Iudicij, vt sine vitiis forensibus texatur porrò semper est cauendum. malitia sanè, & nequitia generatim abesse debet, atque à Iudiciis calliditas omnis, versutia, atque dolus. cui accedit calumnia, quæ propriè est in litibus per fraudem & frustrationem vexatio. *l. si caluitur de verb. sign.* vnde iura malitiæ ac calumniæ abfuturum juramentũ prædicant & ridet Martialis;

Et delator es, & calumniator,
Et fraudator es, & negotiator,
Et fellator es, & lanista; miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

Apage qui ita litigant, ideo litigant. Vetat D. Paulus 1. *ad Thess. 4.* nequis opprimat, aut circumueniat in negotio fratrem suum. Neque verò dolo, & malis artibus causam bonam licet tueri, nisi admodum circumspectè, atque ita omnino, vt prudentia serpentina numquam comitẽ non habeat simplicitatem columbinam. *qua de re Couar. latè, 1. Var. c. 2. aliique.*

9. *Vt falsitas, mendaciũ, simulatio.*

Falsitas, mendacium, simulatio omnino à Iudiciis absint, testes falsi, & instrumenta. quin & allegationes, quæ vero non subniti sciantur. Sed & illa arcana, quibus aliud dicitur, aliud intelligitur. *Vir bonus*, inquit Gellius, *lib. 11. c. 11. præstare debet,*

debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat. & Plautus *in mercat. Mihi scelus quoque videtur, me perenti proloqui mendacium, in aliis vanitas, inconstantia, stultitia.* Et mentiri quidem in Iudicio mortale, nisi à circumstantia excusetur, peccatum esse multi tradiderunt. *in c. nequis arbit. 22. q. 2. c. quisquis. 11. q. 3. c. 1. de crim. falsi.* Socrates sanè mori, quàm mendacio se excusare maluit. & Papinianus itidem mori, quàm fratricidium defendere falso iure. & Thomas Morus quàm regio diuortio iniustè assentiri, vt alij tum assentatores.

10. *Vt litigantes laborāt suis vitiis ita & qui eis subseruiunt.*

Nunc porrò quod attinet ad subsidiariorum vitia, credendum est non deesse qui partium affectus induant, instillent ipsi, ac nutriant,

Queis lites pendere diu, vindemia quædam est.

Quibus, vt describit Cassiod. oculi Argi, manus Briorei, Sphyngarum vngues, periuria Laomedontis, Vlyssis argutiæ, Sinonis fallaciæ, fides Polymnestoris. qui in litibus nihil curant præter bursim hydropicam, clientes exugunt; vt

Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo;

qui *tenuerunt linguas suas loqui mendacium*, qui nec litigaturos ad litigandum inducunt, iniustam causam vt iustam suadent, lites ex litibus serunt, crudâ adhuc studia vt Apollines venditant, conuitiis & strophis litigia cumulant, procacitate ac maledicentia animos exacerbant, piratica pactione quotam stipulantur, multis muoueris, incidentibus quæstionibus, exceptionibus incompatibilibus, supplicationibus non necessariis, falsis criminibus aduersus testes obiectis, malitiosis Iudicum recusationibus, præuaricationibus lites agunt, & augent.

Sed & Procuratores sunt quidā concinnatores litium, accipitres pecuniæ, mures aliena rodentes, rabulæ, ad rauim vsque vt Stentores clamantes, vultures togati, corui fori, sycophantæ Phormiones. quibus succedunt litium institores seu solicitatores, Octauio Vestrio Ianizari dicti, cautelarum architecti, consiliorum inquisitores subtiles, & detectores.

Succenturiantur & Notarij quorum sæpè imperitæ notæ armamentaria sunt litigantium, pereunt contrahentium & testantium voluntates, dum sæpè clausulas, quarum vim ignorant, actui contrarias, aut à mente contrahentium alienas, instrumentis suis inserunt, sermonem ambiguum proferunt.

11. *Ignorantia & negligentia Iudicū.*

Ad extremum Iudicum ignorantia, & negligentia qualitatumque, quas priori libro exegimus, defectus, litibus alendis

sub-

subseruit; quarum protelationem illis Iustinianus *in l. properandum C. de Iud.* non parum affricat. *Nullus*, inquit, *tam audax inueniatur, qui possit inuito Iudice litem protelare.* Rapaces, violentos, ac sordidos omitto, & pretio addictam fidem, atque religionem habentes. *Omnium*, inquit Cicero, *rerum turpissimum, maximeque nefarium, ob rem iudicatam pecuniam accipere.* quò ducit nundinatio Magistratuum, omnis improbitatis principium, & finis. *Nouella* 8. quibus nefas videri non potest quod emerint vendere. & si reuerà turpiter censendi sunt accipere. *c. non sum* 14. *q.* 5 vnde *Isai. c.* 1. *Principes tui infideles, socij furum, diligunt munera, sequuntur retributiones.* vt equum tollant, non æquum dicunt, addicunt, casus pro amico fingunt, refingunt, neque pro diuersis litigatoribus idem iudicant, cùm vnicum & idem verum sit, & iustum. vel non ausi offendere quemquam litigantium, multas ipsi ambages mæandrosque quærunt, & in ipsis vtilitigantes non excutiunt, inferioribus Iudicibus sine causa inhibent, causasue auocant, contra *l. nemo c. de iurisd. omn. Iudic.* Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 20. Denique negligentiâ suâ & somnolentiâ lites quasi veterno torpidas ad finem non propellunt, aut ipsi ius dicere tergiuersantur, magno procul dubio delicto. *l. si quando C. de rest.* incertas & ambiguo sermone plenas dictant sententias, vt Oedipo sit opus, nouisque sportulis; aut ita festinant, vt cæcos pariant catulos. Omitto imperitiam, & erudiri negligentium ineptiam. quò spectant multæ passim hodie inferiorum Iurisdictiones, glebis asscriptæ, quibus præsident ad stiuam nati, & qui non nisi alieno iudicio sapiunt. Quibus tamen aliquid tribuendum est, propter superiorum distantiam, & sumptuosas prosecutiones; dummodo de re ciuili, & modici momenti agatur. Nam criminales certè maiori maturitate opus habent, si æquum olim visum fuerit ciuem Romanum non nisi à toto populo Rom. capite posse damnari. Sed de his mox plura.

Nunc porrò coronidis loco & id dicendum, populum ipsum litium non exiguam causam esse, quando longo vsu & abusu consuetudines irrationales introduxit, ac mordicus defendit, quibus irretiuntur litigantes, & difficulter iure saluo extricantur. Eiusmodi in criminibus sunt multorum scelerum impunitas, præsertim blasphemiæ, homicidij pecuniaria dumtaxat punitio, frequens remissio, veneficij negligens, aut nimis festina punitio. in quo crimine credere illud Iuuenalis licet: 12. *Irrationabiles consuetudines.*

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio sera est.

Sagarum per aquam probatio, correarum delationi seu nominationi nimia fides tributa, nouarum nuptarum satrapæ delibatio aut redemptio, oblatum vasallis à domino matrimonium vt debeant inire, ne filiæ sine regis licentia elocari possint, ne competenter à parentibus dotentur, vt adulteria, nisi coacta non puniantur, vt rei sine defensionibus torqueantur, vt damnatus ad mortem, si à virgine in maritum petatur absolutus sit; nisi fortè in minoribus delictis: carceratorum dura tractatio, naufragorum direptio, aduenarum non æquo cum incolis iure exceptio, luxus publicus, & prodigalitas, conuiuiorum, vestium, ædificiorum nimius sumptus, quotidiana nouitas. vnde vsura, debita ingentia, quæ viui, aut mortui nequeant exoluere. inde cessiones, & hæreditatum repudiationes, creditorum de concursu & præcursu contentiones ita assiduæ, vt in prandio obsonia. oppignorationes, fideiussiones, mutuo malo, dum cuique suum non sufficit, pereuntium, immoderatæ dotes:

Veniunt à dote sagittæ:

tum priuatæ, *cùm dotata regit virum coniux*; tum publicæ, exhaustis parentibus, ac ad egestatem redactis, & creditoribus mariti post carecta reiectis. vt Iuuenali iam non sufficeret

Protinus ad centum, de moribus vltima fiat

Quæstio:

Mille non sufficiunt, priuati summas hodie excedunt, ad quas ante pauca secula non ascendebant Reges & Principes, vt filiarum Regum Galliæ dos ad centum millia Francorum antiquitus restricta. Lomneau *enses Maximes l. 1. c. 7.* at mox

Infelix humili gressu comitatur egestas.

Inde fœnus animæ funus, quod Germanis olim Tacitus ignotum tradidit, at hodie nimium vbique notum, omnesque depascitur nationes, etiam sub nomine eius quod interest, redituum, censuum, aliorumque titulorum, quos hinc paupertas, inde cupiditas inuenit. His inquam vitiis atque consuetudinibus, quas populus aut probat, aut non satis improbat & exscindit, seu qui eius nomine rerum potiuntur, causam litium præbent, struem immensam aggerunt.

13. Processus. Atque hisce potissimùm causis originem ac generationem accipiunt lites, aluntur, longæuam vitam, ac ferè immortalem accipiunt à tela & filo quo ducuntur, & producuntur in Nestoris annos; ordine inquam iudiciario ac processu, in

cuius

cuius vestibulis, ac porticibus tamdiu sæpè partes deambulant & concurrunt, vt pluries amplius temporis spatium insumant, quàm Iustinianus indulserit causis ipsis finiendis, earumque instantiis perimendis; tum quòd vel Iuris ordo non seruetur, vel scrupulosè nimiùm seruetur, non amputatis omnibus ambagibus non necessariis ad litis contestationem, causæ statum ritè cognoscendum, definitiuum calculum porrigendum, eiusque tandem executionem maturandam, tot subterfugiis, dilationum comperendinationibus, & processuum gryphis intricantur lites, vt ex labyrintho Dædali citiùs euadas, & nodos Gordios exsoluas, quàm has aranearum telas.

Sed & primam instantiam tardo molimine decurrisse non sufficit; succedunt appellationes, causæque de nouo aguntur, maiori animo quàm de Marcello Hannibal prædicabat, quòd siue vinceret, fortiter victis instaret; seu victus esset, instauraret cum hostibus certamen. vt nulla litigantibus quies, nisi post annos Platonicos apud Rhadamantum sponderi possit; vsque adeò, vt altiùs iam progressum sit litium, & fori malum, quàm vt curabile esse credatur. *Definit*, inquit Senec. *esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores fiunt.*

CAPVT VI.

De Litium remediis.

Nihilominus quod obtineri omni ex parte non potest, saltē vt quatenus potest, & quo se vsq; vires humanæ extendunt, habeatur, satagendū est: nimirū vt scaturigines obturentur, vnde lites exiliunt; & quæ eruperunt, ita excipiantur, vt quàm minimo tempore viuere permittantur; vitiorumque humanorum, ex quibus nascuntur, à quibus nutriuntur, pœnæ à legibus propositæ diligenter infligantur, quin & exasperentur edictis Principum, Magistratuum decretis, Iudicantium arbitriis, vt quanto altiùs creuit malum, tanto penitiùs eradicetur.

Igitur primum aduersus lites remedium est Patientia, quæ ea, quæ vitare non possimus, leuiora facit. eam totius Philosophiæ robur meritò vocat Plato;

1. *Remedia aduersus lites: 1. Patientia.*

—— *Patientia cunctos*
Hos superat casus

nec

Nec malè quidam oculum vitæ prudentiam, sal vitæ amicitiam, baculum vitæ Patientiam dixit. Sed ab eo Philosophico remedio nec longè abesse oportet Theologum aduersus tum publicas tum priuatas lites; quod quotidie Ecclesia in Hymnis Ecclesiasticis vsurpat, Deum precando, vt extinguat flammas litium, ne litis horror insonet, dissoluat litis vincula, adstringat pacis fœdera. Accedant his Concionatores, & auditoribus suis frequenter inculcent illud *Eccl.* 28. *Abstine te à*

2. *lite, & minues peccatum.*

II. Malitiæ vindicta.

Politica porrò & juridica remedia sunt, vt imprimis malitia ipsorum litigantium omni modo compescatur. ac præsertim vtile foret restituto Censorum officio acriter eam notare, impartiumque vitia, malignitatem, ebrietatem, iurgia, periuria, religionis contemptum animaduertere, & quà patet officium Iudicis, his vitiis, vnde fluant lites, obsistere, & diuini verbi præconibus earum in sacris sermonibus detestationem commendare. Iudex porrò in iis, quæ coram se occurrunt, nequaquam desit, atque litigantium temeritatem, sycophantarum, redemptorum litium damnatione in expensas, & damna, infamiâ in bonæ fidei iudiciis, pœnis plus debito petentium & Sacramenti religione deterreat, non dissimulatis pœnis quas leges proponunt:

Primò, ne potentiores aut sycophantæ transcriptis in se aliorum actionibus vexent, atque in primis Aduocati alijue pragmatici cum litigatoribus quocumque modo pacisentes, sub eorumque vmbra & nomine alios per fas & nefas exagitantes. *l.* 6. §. 2. *l.* 5. *C. de postul. l.* 53. *D. de pact. l.* 6. §. 7. & *l.* 7. *D. mandat. l.* 1. §. *D. de ext. condit.* Deinde Iurisiurandi religione litigantes compescant, quod maximum diuinarum causarum remedium Iustin. appellat *l.* 2. §. *C. de iur. propt.* quod non malè in vsum actiùs reuocandum contendit Thpld. *d. l.* 14. *c.* 14. quamuis hodie consuetudine penè emortuum sit, sed talis consuetudo non mouit Lucium III. *in l. nouerunt x. de Iureiur.* neque ius prius *in c.* 1. & 2. *x. d. tit.* Bonifac. VIII. *in c.* 1. §. *fin. eod. in* 6.

Tertiò, vt quem temerè aduersarium suum in judicium vocasse constiterit, viatica, litisque sumptum aduersario reddere iubeat. *l.* 79. *D. de Iud.* ideſt, damnium omne, & impensas litis. *l.* 1. *D. ad* 5. *C. Turp.* §. 2. *Instit. de pœn. temere litigant.* quamuis initiò iustam causam putauerit se habere, & in medio litis cursu iniquitatem deprehendens, peruicaciter propositi tenax fuerit

rit Vasq. *l.* 1. *controuers. c.* 41. Guid. Pap. *q.* 137. & si quis vexandi aduersarij causâ instrumenta, quibus ius suum liquet, serò protulerit, quamuis vincat, expensis mulctetur. *l.* 4. *C. de fruct.* Eódem pertinet, vt in causa appellationis non expensarum tantùm ratio habeatur, sed & mulctę temerario appellanti indicendæ. *l.* 6. §. 4. *l.* 19. *C. de appel.*

Nec abs re foret in vsum reuocari plus debito petentium, & in quibusdã causis, quę fateri oporteat, inficiantiũ pœnas, & infamiam in actione bonę fidei damnatorum. quorum tanta hodie temeritas non esset, si ex talibus iudiciis notandos sese, atque ne ad honores dignitatesque proueherentur impediendos, pręscirent. multi potius transactionis alicuius periculum facerent, quàm atrę notę aleam subirent. nunc perinde concurritur, ac si athletę làudis promerendę gratiâ è carceribus prosilirent.

Aduersus Cupiditatem admodum profuerit seuera ani- 3.
maduersio in eos qui *Mei* ac *Tui* terminos improbè mouerint; *III. Cupiditatis.*
furtorum, rapinarum, damnorum iniuriâ datorũ, aliorumque priuatorum delictorum rei fuerint. quò refertur & illorum nequitia, qui sub velamine contractuum, aliena rapiunt. Vnde tam seriò leges ex bonæ fidei contractibus damnatos infamiâ notant. quæ si in vsum reducerentur, magna litibus amputandis nouacula daretur. in cæteris contractibus quacumque aliâ ratione, nequitia aliena concupiscentium coërcenda est.

Huc etiam refertur, vt Ecclesiastici ac seculares Iudices intra veteres Iurisdictionum suarum terminos se contineant, placidè alteri alteros ferant, aciuuent; cuique suum gladium relinquant, cuique suus sufficiat. Dei ordinationi resistit, qui potestatis sic diuisæ terminos transilit. Absint malè illi feriati, qui Imperatorem optant, qui Ecclesiæ jurisdictionem auferat: absint & illi qui vtramque extra finis spiritualis necessitatem ad clerum trahant; absit maximè Parthenius ille, qui litibus publicis exscindendis summum illud remedium adfert, vt Cæsar Pontificiam omnem auctoritatem ad se trahat. cùm nihil potentius esse ad publica dissidia, quàm huiusmodi de rebus Imperatorum ac Pontificum contentiones, tristia plurium seculorum exempla docuerint.

Porrò Ignorantia etiam castiganda est eorum, qui temerario furore in lites proprias, aut alienas proruunt: qui non *IV. Ignorantiæ.* sine fucis de re consultant, & verum ipsum sine vero studio

scire,

scire, aut potius nescire quærunt.

5. V. Paupertatis medela. Sed & Paupertas ad res nouas & lites mouet, atque illatas maximè retardat. Vnde Plato: *Pellendæ ex ciuitate diuitiæ, pellenda etiam paupertas: illæ enim delicias, otium, & ambitiones adferunt, hæc autem lites, seditionem, & turpem quæstu.* De ea è Repub. tollenda *l.* 3. *c.* 9. fusiùs. cùm illa inter litigantes priuatim consideratur, occurrit illud; *Iudica in iustitia pauperes. Isaiæ.* 11. benignitate legum retardanda est, ne in lites ebulliat, rescriptis moratoriis, dilationibus annalibus, quin & quinquennalibus iuuanda. quam non decoctor luxus, sed fortunæ asperitas infelicibus debitoribus aduexit. satius enim ita pauperem subleuari, cùm aliquo incommodo debitoris, quàm vtrimque obstinatis animis collidere, & post longos insuper sumptus inanem facere actionem, quam debitoris excludat inopia. Sed & pauperibus actoribus & reis subueniendum à Iudice, ne ius suum teneantur derelinquere indiscussum, iussis Aduocatis, Procuratoribus, Scribis, Notariis, aliisque Iustitiæ ministris, vt gratis eorum causas amplectantur, atque promoueant, quas iustas repererint, recepturi mercedem vel à Deo, qui sibi factum imputat, quod vni ex minimis factum est; vel à Republica, si ita laudabiles eius mores ferunt; vel à paupere, si ex lite victor iustam prædam retulerit, vel aliàs ad pinguiorem fortunam deuenerit.

Meminerit tamen semper Iudex illius *Exod.* 23. *Pauperis quoque non misereberis in judicio*: sic *sumus viduis in iustitia debitores, quòd aliis iniustitiam facere non debemus. c. ex tenore x. de for. compet.* Iustam igitur causam pauperum amplectantur, ne opprimantur; non opprimant, ne vexent; ne ad iniquam transactionem adigant aduersarios.

6. VI. Aduersus ebrietatem. Lites ab Ebrietate nascentes compescuerit, qui ipsam ebrietatem. quo in Imperio pertinent constitutiones editæ in Comitiis Augustan. *an.* 1500. 1530. 1548. *tit. de compot.* & apud Belgas Caroli V. quâ & decretum, nullum crimen per illam excusari, sed duplici pœnâ plecti. & Maximilianus II. ebriosos ab Imperij officiis exclusit. Basilides Moscus publicè ebrios in carceres impegit, neque emisit, nisi triduo ante paschalurgia, pugnæ, lites coram Baccho, ac deinde Iudice excitatæ, cum omni acerbitate inspiciendæ sunt. improbitas pœnitentiæ vigit, non vt alia aliam generet. aliàs huiusmodi ex ebrietate lites tentandæ sunt, vt conciliatæ sopiantur. quod si quis remuerit, tum mihi iustum,

quod

quod aliàs dubium, Anthonij Fabri iudicium *l.9. Cod. tit.* 22. vt renuens postmodũ siue superet, siue cadat, semper expensas luat; vt de contumace leges statuerunt. Rectè Aristoteles 8. *Ethic. c.* 1. & 2. *Politic. c.* 2. ait, legum latori circa amicitiam magis & concordiam, quàm circa iustitiam studendum. Archidamus Rex Laced. duos amicos litigantes in fanum vocauit, arbitrum sumere iussit, ipse sumptus, vetuit inde discedere, quoad in amicitiã bonâ fide rediissent. vt non adeò aliquando ridicula sit cautela Cæpollæ Iudici permittentis litigantes in carcerem compingere, donec conuenerint. sanè in re liquida quemquam ius suum cogere abdicare iniuria fuerit. in obscura lite sumptibus, incommodis, professionis suæ quemquam lucrorumque impedimentis eximere, publicè priuatimque vtile. Noui viros quosdam præclaros, qui, inter mercatores nostros præsertim, arbitri nodos ad modũ Alexandri discindere, quàm apices & argutias persequi maluerint. quod vtrisque satius esset aliquid de jure remitti, quàm morâ, lite, mercaturæque impedimentis retineri. neque ab eo agendi modo admodum dissidet *c. nisi essent x. de præbend.* & laudat ibi Innocentius III. etsi non ex Iurisdictione, sed tanquam ex prouidentia factum.

Lites concinnare, telam malitiosè texere, fila subtilia nectere, calumniari, tergiuersari dolis, malis artibus grassari, falsitate, mendacio, simulatione obrepere, vera falsis intexere, falsa veris, laruam induere, personatum agere, omninò præcauendum est. nuda est veritas: veritatis amantes Iudices si terribiles se iis præbuerint, qui his vmbris causam suam commendauerint, facilè eas noctuas dissipabunt. si sola Catonis præsentia Romanæ iuuentutis insolentiam potuit in theatro Veneris continere. nec dubitabunt id sibi incumbere, qui meminerint se iurare se *cum veritate lites dirempturos, l. rem non nouam. C. de Iudic.* adeoque id affectaturos quod eò ducit. cui quidpiam demandatum est, ea omnia censentur esse commissa, sine quibus ad alterũ perueniri non potest. Ea igitur omnia, sine quibus ad veritatẽ perueniri nõ potest, omnibus eà modis quærenda Iudici. vmbræ, ac noctuę discutiendæ. inde iuramentũ veritatis, quæstiones, & tormenta, à legibus inuenta sunt. & testes censuris ad veritatem dicendã coguntur. *x. de test. cogend.* & si veritatem peruerterint, falsi pœnâ puniuntur. *l.* 4. §. 1. *ad leg. Cornel. de falsi.* Falsus orator caret impetratis.

7. VII. *Aduersus Iudicij processus vitia.*

Sed & qui Iudici mentiri præsumpserit, causa vt cadat, in pari vtriusque partis casu, quasi contra mendacem sit præsumendum, admodum ratio suadet. Sed & pœna mentienti in iudicio con-

ſtituta eſt, de qua Tuſcus *V. Mendax. concl.* 188.

Enimverò accuratiſſimum remedium foret iterum Cenſorum hîc officium impendere, qui litigantes tam principales, quàm ſubſidiarios, mendacio, &, quę eò refertur, ſimulationi deditos notarent, ac cenſoriâ pœnâ coërcerent.

VIII. Ad verſus vitia ſubſidiariorum.

8. Quod nunc pertinet ad ſubſidiariorum vitia; Ad officium Iudicis pertinere tradit Vlp. *l.* 9. §. 2. *D. de offic. proconſ. non diſſimulare ſi quos cauſarum concinnatores vel redemptores deprehendat: Si Iudex*, inquit Iuſtin. *Authen. de Iud. c.* 7. *aliquam ſenſerit malignitatem ab aliquo miniſtrantiũ fieri, expellat quidẽ auditorio ſuo eos, qui non cũ vtili opinione cauſis vtuntur.* Incumbet ergo ei vt Procuratores, Aduocatos, alioſq; litium ſubminiſtros intra legum præſcripta coërceat, ne cauillentur, malignentur, tergiuerſentur, ne lucro ſuo ciuilia illa bella ſerant, aut gerant. & Procuratorum quidem, vt hodiè ſunt ingenia, ſępè lucri cauſâ, ſæpiùs negligentiâ multus ſudat labor in fuga reorum, in texendis dilationibus, proferendis iis in ferias alioſque terminos, quibus condemnatio, quam ex longinquo vident, prorogetur, qui etiã actorũ partes agunt, dilationes à reis petitas, ita oppugnant, tanquam qui vincere nolint; vtpotè ſalariũ aucupantes in ſingulos terminos conſtitutum; & cùm cauſam, litẽ, totumque negotiũ procurare deberent, vix aliud agunt, quàm vt terminos judiciarios obſeruent, clientibus curam, & ſollicitudinẽ cauſæ, & eos frequẽtandi neceſſitudinẽ relinquunt. Iudicis erit ſordidè malignũ hunc animũ ſeriò compeſcere; conſuetudinẽ malignè ſordidã abrogare, vt, quod voluerũt enixè Impp. *nemo ex induſtria protrahat iurgia; nam ſi Iudices*, inquit Iuſt. *in l.* 11. §. 1. *C. de Iud. voluerint, nullus tam audax inuenietur, qui poſſit inuito Iudice litẽ protelare.* Iubet proinde Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 10. *in fin.* Iudicibus omnibus terminandis cauſis quantâ fieri poterit breuitate ſtudeãt, ac litigatorũ artibus, ſeu in litis cõteſtatione, ſeu alia parte differenda, modis omnibus occurrant. & ſicut jure ciuili cauſis terminandis, ſeu inſtantiæ finiendæ terminus fuit præſcriptus; ita idem Conc. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. mandat, vt lites omnes intra biennium terminentur, alioquin liceat partibus ſuperiorem Iudicem adire.

9. In Aduocatis porrò cauere etiã Iudices conuenit iure-iurando in ſingulas cauſas *l.* 14 §. 1. *C. de Iud.* ſi videbitur exacto, ne cauſæ improbę patrocinentur, ſiue ab initio, ſiue poſtquam progreſſâ lite talem deprehenderint. ſed neque vanâ ſpe fallant litigantes. vt Ciceronem imitentur, qui *lib.* 2. *de Orat.* ita de ſe refert: *Soleo dare operam, vt de ſua quiſque re me ipſe doceat, & vt ne quis alius adſit, quò liberius loquatur, & agere aduerſarij cauſam, vt*

ille

ille agat suam, & quidquid de re sua cogitauerit, in medium proferat. Itaque cùm ille discesſit, tres personas vnus sustineo. summâ animi æquitate; meam, aduersarij, iudicis. Ita fiet quod promittit Fab. *Fingat,* inquit, *apud se agi causam, & quid eum mouisset de eadem re pronuntiaturum, id potentissimum apud quemcumque agetur existimet, & eum rarò fallet euentus, aut culpa Iudicis erit.*

Dubiam causam si defendant vt probabilem, (vt sine crimine possunt. Sot. *de Iust. & Iur. l. 5. q. 8. art. 3.*) clientem suum certiorem reddent, vt deliberare possit, litis euentum exspectare, aleæúe se subiicere, an transigere malit; quod tum suadebunt in dubio semper Aduocati, si viri boni sint. 10.

Verbositatẽ etiam eorũ constringent, Iudices, cogentque, vt *hæreant semper in causa, & quod Iudici probandum est, omissis cæteris argumentis, in eo mentem orationemque defigant,* Cic. *l. 2. de Orat.* vbi scilicet sit rei summa: nam ferè accidit, vt in causis multa dicãtur, de paucis judicetur. Fab. *lib. 5. c. 13.* quod si tenerent Aduocati satis, & curarent Iudices; vitarentur ingentia scriptorum volumina: quorum lectio à Iudicibus plus nunc temporis requirit, quàm iure exigat tota causarum actio, & iudiciorum agendorum apud Romanos ratio atque vsus postulabant. quod insigniter probat Marcelli exemplum, *in l. 3. D. de his quæ in testamentis delentur.* quod accuratè proponit Thuld. *de caus. corrupt. Iud. lib. 4. c. 18.* boni Medici est non sanare tantùm, sed & celeriter. *sed indocti dicunt omnia, doctis est electio, & modus.* Fab. *lib. 2. c. 18.* qui paulò pòst: *detrahere doctrinã aliquid orationi, vt limam rudibus, & cotes hebetibus, & vino vetustatem.* cui rei valde nocet hodiernus vsus Aduocatorum, salaria pro numero pagellarum, articulorum, vel linearum taxandi, ac si ignobilis pictoris tabulas, æquo cum Apellis pretio æstimes. quod stomachabundus exagitat Thulden. *d. lib. 4. c. 11.* 11.

Vt hodie res sunt, quantum absumus à dignitate Romanæ Reip. adeoq; causarũ, senatorũ, oratorũ, & iure-consultorũ, legis Cinciæ generositas laudari, nihil eius sperari potest. sed neque immota manst apud Romanos Rep. *nunc mole & magnitudine suâ vacillante.* Tac. *lib. 1.* quanquã enim res sanctissima sit ciuilis sapientia, & quę pretio nũmario non sit æstimanda, nec dehonestanda, *l. 1. §. 5. D. de ext. cog.*) nã si in dignitate positi lucro pecuniaq; capiãtur, veluti abiecti, atq; degeneres inter viliſſimos numerabuntur: *l. 6. §. 5. C. de postul.*) tamen & Nero permisit, Suet. *c. 17.* vt litigatores pro patrociniis certam iustamq; mercedem darent. Obtinuit ergo, vt in honorariũ centũ aurei capi possent. *l. 1. §. 11. D. de ext. cog.* sed rectiùs, ex *l. 1. §. 10. D.* 12.

eod. in honorariis Aduocatorum ita versari Iudex debet, vt pro modo litis, pro Aduocati facundia, & fori consuetudine, & iudicij, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat. Fori consuetudinē admittit lex, sed non quæ ad corruptelam pertinet.

13. Itaque quantisper in pagellas, articulos, lineas æstimationē, quæ passim ferè inualuit, è foro mittere non possumus, saltem Iudices quem concinnasse causam, & in plures pagellas, & periodos citra causæ meritū, produxisse deprehendent, lucro quod inde sperauerat, priuent, si quem strictis verbis causam amplè comprehendisse, & laconismo veritatis simplicitatē iuuisse, præmio vltra pagellarū numerū, pro studio, & non diuagata facundia donari curent. multi enim verba extendunt, quòd alioquin digna studio merces esset defutura. ita fiet, quòd sponte Causidici verbositate carere volent, & ad cōpendia redigentur Iliade maiora volumina. de quibus, si vmquam de aliis Callimachus, rectè dixeris, *magnū librum, magnū malum.*

14. Alterum Causidicorum vitium maledicentiam etiam compescent Iudices, agentque *vt Aduocati ita præbeant patrocinia iurgantibus, vt non vltra, quàm litium poscit vtilitas, in licentiam conuitiandi & malè dicendi temeritatem prorumpant; agant quod causa desiderat, temperent se ab iniuria. l. 12. C. de except. nam si adeo procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patiatur. nec enim conniuentia commodanda est, vt quisquam negotio derelicto, in aduersarij sui contumeliam aut palàm pergat, aut subdolè. l. 6. C. de aduoc.* adeò quidē vt nec cōsensus, aut mandatū eius, cuius causa agitur, Causidicū ab iniuriæ pœnis excusare debeat, nō magis quàm mandatariū homicidā alterius iussio, nisi fortè quę proponuntur ad causę defensionē faciant.

15. Sed & silentium seruari vbi tribunal est Iuditum, tum dignitas eorum, ac reuerentia exigit, tum ratio; ne aures Iudicum obtundantur, ne causas dicendas non audiant, ne non intelligant; ideoque rectè Isaiæ *c. 32. Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium.* Quod si igitur nimium obstrepant Aduocati, & verba clament, non rationes: remouere eos Iudex potest; vt fecit Antonin. Imp. *in l. proximè. D. de his quæ in testam. delen.* Speculator *tit. de aduoc. n. 12. vers. nam Iudex.* ita & refert Ant. Pannon. *de dict. & fact. Alphonsi, lib. 4. c. 38.* cùm Medicus quidam Gallus, acutissimus quidem, sed sophista, ad agendas causas accessisset, forumque omne sophismatibus inuolueret, Alphonsum ei forum prohibuisse, decreto addito, vt lis omnis quam ille susciperet, iniusta censeretur.

ferretur. sic Origenes ciniphes & ranas, quibus Ægyptij sunt percussi, vanam dialecticorum garrulitatem, & sophistica argumenta intelligit *c. 7. dist. 37.* gaudet veritas simplicitate, audiatur modò, & introspiciatur. non clamoribus protegenda est, non vt bellum buccinas admittit, non ei placet

——— *Clamorque virûm clangórque tubarum:*

non mores Næuoli;

Cùm clamant omnes, loqueris tu, Næuole, semper:

reciprocam vult causæ dictionem modestam, non strepitum inciuilem, sed silentium reliquorum, quorum vices, aut functio non est loqui. Vnde apud Romanos Secretarium dicebatur locus, in quo causæ judicabantur. Constantinopoli Silentium locus consilij erat. Paul. Diac. *hist. miscell. l.* 21. refert Leonē celebrasse silentium in tribunali decem & nouem accubituum aduersus imagines. erat & schola seu collegium Silentiariorum, qui curam haberent, ne quis in palatio strepitus excitaretur, sed silentiū seruaretur. Apud Persas silentij quoque numen colebatur.

Hæc vitia à stirpe reciderentur, si & causidicorum aliorumque pragmaticorum moderatus esset numerus; boni tantùm, non vaniloqui, non turpis lucri cupidi, non qui primoribus tantùm labris Astrææ fontes gustauerint, non quorū opinio vllatenus est imminuta: sed qui ita se habuerint, vt per hunc gradum meritò illis ad altiores dandus sit ascensus, vt pluribus exequitur Thulden. *d. lib.* 4. nam suprema illa quam desiderat judiciorum emendatio, ab alio quàm à supremo Principe, qui omnia possit & velit, ea vix dum sperari potest. 16.

Eademque cautio circa Notarios, Scribas, & Solicitatores adhibenda est. quos olim Cato fragili pennâ victum quæritantes in ordinem redegit, vitia coercuit, fastum & arrogantiam repressit. 17. *Notariorū.*

Denique vt à capite & corde vita fluit, adeoque temperatura vitæ omnis, & sanitas; ita in judiciis frustrà quæras malorum succisionem, si caput sit languidum, si Iudex inquam ipse laboret, si vitiis ipsis vrgeatur, quę in aliis exscindere eum oportet, cuius non tantùm negligentia illa in aliis prætereat, sed exemplum in reliquis parturiat. 18. *IX. Iudicū.*

——— *Exempla parantur,*
Cùm Iudex, alios quod monet, ipse facit.

Ad Iudicem itaque pertinet rerum omnium diligentissimè satagere, quibus breuissimus cuique liti cursus detur, fomenta & occasiones litium tollantur, & quidquid 19.

est remorarum, secundùm leges ipsę saltem dirigantur, & dirimantur, secundùm communem legum ratione nixam interpretationem. officium non nundinatione, aut ambitu adeptum, non malis artibus quęsitum melioribus exequatur, ex forma iuramenti regat, consulat, judicet. omnes quidem Deum ipsum iudiciis suis interesse sibi persuadeant, illum solum & Iustitię præcepta præ oculis habeant, ab eo pœnas sibi imminere etiam illi credant, qui nulli hîc rerum gestarum dare rationem tenentur. alij porrò meminerint se vel ad syndicatum vocandos, vel alias ad pœnas iniustè per sordes, vel malitiam iudicantium. improbi scilicet vt cingulo exuantur, & honore priuentur. *l. Iudices. C. de dign. l.* 12. sed & qui officio defuerint, emolumentis, quæ ex eo acquisierint, spolientur. *l. Iud. C. de annon. & trib. l.* 10. & superiores quidem siue per appellationem, siue aliàs aditi diligentissimè despiciant, ne inferiores in litibus cognoscendis & finiendis delinquant. Principes etiam consultissimum est non tantum optimos quosque rebus iudicandis admouere, sed rescisere an sibi similes maneant, an in melius mutentur, quales Magistratus ostendat viros, quin & ipsosmet interdum, quantum maiora Reip. negotia patiuntur iudiciis interesse & præesse. Fecit id Augustus, Seuerus, Traianus, Adrianus, Anthoninus, multique alij Romani Principes, Carolus Magnus, Lotharius I. Philippus Augustus, Carolus Sapiens, Ludouicus XII. aliique Germanorum & Francorum Reges, Robertus III. Schotorum Rex, Carolus Audax Belgarum Princeps, Parlamento Mechliniæ à se instituto iuri ibi dicundo sæpissimè ipse præfuit, eoque Iustitiæ, & Imperij Belgici à patre conditi supremam ipse potestatem insigniter stabiliuit.

20. Sed & illud superiores Iudices seruare oportet, & mirum in modum ad minuendas lites facit, si, vt ipsi inferiores Iudices neminem opprimant, aut concutiant, diligenter animaduertunt: ita etiam ipsos litigantes, qui dicere solent, se malos Iudices fuisse perpessos, perperâ & iniquè iudicatum, quamuis manifestâ veritate fuerint superati, appellationis remedio, non ad euadendam sed inferendam oppressionem abutentes, non damnatione tantum in expensas, quæ liberaliter contra tales sycophantas taxandę sunt; sed etiam mulctâ insigni ob temerariam & malitiosam appellationem castigent. Ita abhorrebunt à litibus formidine pœnæ; iudiciis, ac Iudicibus sua constabit auctoritas, & honor: qui omnibus Iudici-

bus

bus est impendendus. *l. om. C. quando prouocare non est necesse c. vt debitus de appellat.* id enim agendum est diligenter, quod Cicero 3. *de leg.* monet, vt subditi non solùm obtemperent, obediantque Magistratibus, sed vt eos etiam colant, diligantque: & quod monet D. Paulus *ad Gal. 5. si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem consumamini.*

Quò etiam refertur, ne Iudices superiores facilè aduersus 21.
inferiores querelas recipiant, decreta inhibitiua, & causarum auocatoria emittant, vnáve iurisdictio quomodocumque alteram extra iuris præscripta ne impediat, sed iuuet potius, atque in vnum conspiret: vt plures equi currum iustitiæ trahentes loco quique suo.

Enimverò aduersus inueteratas consuetudines irrationa- 22.
biles, litium plurimarum genitrices, quę populari errore inducuntur, insurgere eos oportet, penes quos rerum summa, & populi regimen. Neque eam in rem quidquam efficacius, quàm vt omnes passim obseruatę consuetudines ad Principem mitti iubeantur, vt in eius sanctiori concilio examinentur. quæ contra rationem sunt, reprobentur; quę ratione nixæ, emologentur. Ita sæpiùs constituêre Principes nostri, quorum Belgicæ ditiones sunt omnes consuetudinariæ; & nouissimè Albertus & Isabella *edicto an.* 1611. Nascituris porrò prauis consuetudinibus iterum resuscitandum atque opponendum est Censorum officium, qui mores sensim obrepentes aut validè prodeuntes sistant, disturbent, atque exterminent. luxum publicum, priuatumque notent, in decoctores animaduertant, filios familiàs prodigos, & Macedonianos creditores coërceant, omnes qui censum nisi post omnia calendaria maculata non putant, qui vsuris res augent, & qui absorbent. Vnde exinde creditorum inter sese, & cum debitoribus lites. quibus illud censorium Martialis præcinendum foret;

X. Aduersus consuetudines irrationabiles.

Et Iudex petit, & petit patronus,
Soluas censeo Sexte creditori.

Huiusmodi decoctorum lites vt breuibus terminis circumscribantur, & solutio mox indicatur, ideo expedit; vt ea amaritudo à residui consumptione deterreat, aut saltem tempestiuè creditoribus quod suum est tribuatur. aliàs commiseratio crudelitas est. vt & illa Romana, quæ debitorem pluribus creditoribus secandum dabat, terrebat tamen. Ago de decoctoribus; nam aliis debitoribus per fortunæ iniquitatem in-

fælicibus non sunt auferenda miseranda iuris remedia, sed nec illa tamen, quod sæpè solet, litibus implicanda, quę iuris beneficium inane reddunt.

Vsurarum voraginem & vsurariorum, qui fœnerando judaizant, hydropicam, & nunquam expletam sitim si Magistratus, quantum necessitas permittit, præsciderit, magnam etiam partem litiũ abegerit: si Montes pietatis, qui aut gratis, si sufficiant eleemosynæ, aut modico interusurio quantum aceruus pecuniæ redituũ, sumptuum, expensarum annexum dumtaxat habet mutuentur; populi pauperies magnum subleuamen senserit, vt experientia Belgica testatur.

24. Si dotium immensam largitatem Principes restrinxerint; multas familias conseruauerint. Mahomet quidem sine dote sponsas nubere voluit, sed difficile id impetratu. Apud Romanos non omne patrimonium in dotem dare licuit. Apud Venetos, Massilienses, Polonos summa quę excedi non possit, præscripta. saltem ad ratam aliquam verè possessi patrimonij dotes restringi, admodum proficeret familiis non exhauriendis, & litibus minuendis; atq; virtuti ante nummos quęrendę, ac denique concordiæ publicæ, vt videtur Plauto;

Si opulentiores pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum
Et multo fiat ciuitas concordior,
Et inuidia nos minore vtamur, quàm vtimur.

Nunc litigatur de dote promissa non numerata, nunc de inofficiosa, nunc de soluto matrimonio repetenda, nunc ad inopiam marito vergente conseruanda, nunc de illius ante alios creditores prælatione, nunc de rerum in dotem datarũ iniusta æstimatione, & sexcentæ aliæ quæstiones mouentur, cessaturæ cùm virtus vxorum maius in dote momentum feret, quàm pecunia.

25. Sed & delictorum, quę paulò antè proposuimus, aliorumque impunitas magnam segetem litibus submiuistrat. demeti eam ergo oportet, & materiam mali subtrahi, in aliaque crimina omnia & reos quàm diligentissimè inquiri, & puniri. modis tamen à iure, & specialiter famoso *c. qualiter & quando. x. de accus.* approbatis. Qualis non fuit Conani Schotorum Regis arca perforata, in templo cuiusque vrbis posita, in quam cuilibet incognito libellum accusatorium immittere, additis criminis consciorum nominibus; & reo damnato parte media bonorum delatori cedente. sed neque nebulonum fraudes probandæ,

bandę, neque Principes per prędmia delatores excientes; *apud quos plena*, inquit Polyb. *omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine.* *Delatores*, inquit Tacitus 4. *Annal. hominum genus publico exitio repertum, & pœnis numquam satis coërcitum.* & Tiberius *quidem tantum licentiæ delatoribus dedit, vt plerique criminis postulati ante judicium supplicium præuenerint.* Sed probius remedium Platonis, vt delatores publici, viri probi, iuratique ordinentur, ad perquirenda maleficia, *lib. 3. de leg.* & ad eum morem apud Ecclesiastica tribunalia testes synodales, & promotores instituti, & in foro seculari sculteti, bailliui, drossardi: qui ex officio crimina persequuntur, quasi publico nomine. sed de his alibi.

Impræsentiarum autem sufficit monuisse, crimina quàm 26.
diligentissimè persequenda, nec flaccidè, sed ex Iuris rigore, cum lenitate punienda; idque quàm celerrimè, vt vulnus per crimen Reipub. inflictum, antequam putrescat, vindictam remediumq; accipiat. rarò enim medicina prodest, si venenũ in corpore diu latere permittatur. crudelitas acerbissima est, quę trahit pœnam;

Morsque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.

Quos tenet carcer inclusos, aut conuictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuturna non maceret. *l. 5. C. de custod. reor.* vbi Gratianus Iudicem desidem, ac resupinâ ceruice tantùm titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna decem auri libris mulctat. Legale spatium criminalibus litibus terminandis biennium est, atque ad breuius restringi potest si rei per se causam dicant, & sine fucis causa peragatur. Et quidem in appellationum instantia Pius V. sanxit, vt nisi intra menses sex expediantur, Iudex primæ instantię pecuniariam pœnam possit exequi, sine appellationis præiudicio. In Prouincia Mechlinienſi curiæ Ecclesiasticæ ex statuto obseruant, vt sententię quę nõ excedunt 50. floren. executioni mandentur, & in criminalibus cùm eam summam mulcta excedit, expensarum tamen fiat executio. & Trid. *sess. 24. c. 20.* nisi infra biennium causæ Ecclesiasticæ fuerint terminatæ, facultatem facit partibus superiores adeundi, qui causam in eo statu assumant, & quam primùm terminent. idemque Concilium appellationes reiicit, à sententiis non definitiuis aut definitiuarum vim habentibus.

Et apud Belgas plerisque locis in criminalibus non admit- 27.
titur appellatio in iudiciis secularibus. Optandum tamen es-

set

set ne à paucis rusticis eæ sententię ferrentur, sed causæ coram iis instructæ pro reorum commoditate, & ne inferiorum dynastarum Iurisdictio exscindi videatur, ad suprema Principum tribunalia, aut criminales aliquot assessores perpetuò à Principibus designandos mitterentur, ex quorum censura sententia diceretur. quoniam de capite hominis nulla cautela nimis cauet. quare & captura nec leuibus indiciis, nec leui causâ faciẽda est, nec squallida, obscura, seu aliàs prȩter custodiam incommoda, neque compedibus & manicis facienda est. nam id ad tormenta & pœnas pertinet; iuxta *Psalm.* 149. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus. & nobiles eorum in manicis ferreis.* Sed nec ad torturam deueniatur nisi ex indiciis legitimis, claris, & delicto proximis. quorum copia reo etiam non petenti fiat (quanquam Interp. edicti 1611. data 28. Nou. 1611. in criminalibus id vlteriùs non fieri iubeat, quàm sit hactenus consuetum) de corpore delicti constet: moderata humani Iudicis arbitrio, & pro qualitate ætatis, sexus, roboris torquendi, sit tortura. nec repetenda, nisi ex vrgentioribus nouis indiciis, nec vnquam ferè vltra vicem tertiam, nec ad complices nominandos; neque enim eculeo ea nominatio exigenda est, quæ & sine eo facta exilis fidei habenda est.

28. Denique vbi appellationes admittuntur, satius esset sine intermediis ad supremos Iudices acta referri, & si ab interlocutoriis appellatum fuerit intereà, non omitti instructionem causæ criminalis, quo nihil temporis depereat reo liberando, vel publicæ vindictæ, quam bis dat, qui citò dat; nam vt impunitas delicta prouocat, ita & dilatio, quæ temporariam vehit impunitatem.

Sed & delictorum, litiumque criminalium occasiones amputandæ sunt. Lupanaria omnino, vbi possunt, tollenda. Ludi & aleæ prohibendę, vnde nascuntur tumultus, rixæ, cædes, iurgia, iniuriæ, conuitia: quarum actionum vbi mors secuta non fuerit, ex tabulis legum Brabantiæ officiario prompta mulcta est, & apud Antuerpienses huiusmodi inter partes actionibus cognoscendis, & maximè componendis Iudices speciales dati sunt, sub nomine *Pacificatorum*. Sed & otiosorum adeoque vitiosorum inspectio necessaria est; nam ex otio exæstuat magna malorum cohors, & inde litium. quibus prȩcauendis Ægyptij apud prouinciarum Prȩsides profiteri tenebantur, vnde viuerent, quî se familiamque alerent, quam artem,

tem, aut disciplinam exercerent.

Ad extremum, processus ipse & stylus iudiciarius à næuis suis omnibus est purgandus, in eoque Iudicis industria summoperè præstat; in eo quidem corrigēdo, si cubi per vitia temporum nostrorum est corruptus: alioquin in eo quàm accuratissimè obseruando, vbi non est vitiatus. Generalissimum porrò vitium in longæuitate, ac ferè immortalitate litium consistit, vnde & vniuersale Concilium Trid. monet *sess. 25. c.* 10. omnes Iudices, vt terminandis causis quantâ fieri poterit breuitate studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu aliâ parte differenda, modis omnibus ac termini præfixione, aut competenti aliâ ratione occurrant. Cui celeritati promouendæ præconem in judiciis optat Anthon. Fab. *C. l.* 9. *tit.* 22. qui litigantibus semper inclamet *Hoc age.* vt dilationes non necessarias non exigant, neque Iudex concedat. Feriæ etiam non in populo festę, & quæ vocantur festa palatij, tollendæ sunt, aut saltem minuendæ, ex ratione apud Tacitum *lib.* 3. *si pro benignitate Diuis grates agerentur; ne totum quidem annum supplicationibus sufficere; ideoq; oportere diuidi sacros, & negotiosos dies: quibus diuina colerentur, & humana non impedirentur.* Et litigantes per sese potiùs audiantur, quia lites, vt rumores, & fama, eundo crescunt. & quantum fieri potest, summariè semper procedatur. Sed & Faber alterum breuiendarum litium remedium suggerit Compromissum. de quo iam pluries, sed maximè *l.* 1. *cap.* 26. alij alia. nemo autem admiserit monomachiam, similesve modos olim vulgares, hodie apud Polonos, Moscos, & quosdam alios populos etiamnum vsitatos: quæ furiosa sunt remedia & Dei tentatiua. Comitia etiam populi subito arbitrio iudicantis periculosa sunt. nullius rei bonus author populus censetur, nisi boni ductores præeant. 29. *Processus. stylus.*

CAPVT VII.

De breuitate & ordine Iudiciorum.

ALlaborare Iudices quàm diligentissimè oportet, vt sciant quæ inter partes controuersia agitetur, id est, statum causę intelligant: eò enim omnia dirigi oportet, vt rectè Eschin. *in oratione contra Xenophontem* à Iudicibus petit, ne Demosthenē permittant euagari, sed dicere de ipso statu 1. *Causæ status notatur.*

ſtatu cauſę cogant. *Errant conſilia noſtra*, inquit Senec. *epiſt. 71. quæ non habent quò dirigantur.* ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt. Et quanquam Thulden. *de cauſ. corrup. Iud. lib. 3. c. 13. 14. 15. 16.* multa præclarè de cognoſcendo & conſtituendo cauſę ſtatu diſſerat, quędam tamen ex antiqui-

2. tate rediuiua facit, quibus poſteriores ſanctiones, prędertim Canonicæ, diſtinguendis, illuſtrandiſque laborioſam operam dederunt, quarum fructum non parum perditum iremus. dum enim iure negat alias dilationes dari, quàm quę quęrendis probationibus, & teſtibus debeantur, redigit omnia in vnam ſcenam. & ferè quomodo popularia judicia olim agitabantur. A quibus non longè abeſt Plato, *lib. 33. de leg. dial 9.* *Coram accuſante*, inquit, *defendenteque quàm proximè ſeruatâ ipſorum dignitate Iudices ſedeant, omnes adſint, taliaq; judicia diligenter audiant, in quibus cùm prima oratio ab accuſatore fuerit habita, defenſor alteram dicat, deinde ſenior de Iudicibus quæ dicta ſunt omni adhibitâ diligentiâ ſufficienter examinet; poſt eum cæteri omnes conſiderent quodcumq; ab aduerſariis dictum vel non dictum perquirendum ſinguli putant; qui autem nihil diſcuſſione ſuâ dignum cenſent, alteri examinationem relinquant, ac tandem in Veſtæ ſacrario ſcripta, quæ tunc concluſa fuerunt, inſertis omnium Iudicum ſignis deponantur. Poſtridiè rurſus eodem in loco congregati, eòdem modo exiſtiment iudicentque, & ſignis appoſitis omnibus quæ dicta fuerant, deponant; cumque hoc ſimiliter tertiò fecerint, ſignis, teſtibus, ſufficienter aſſumptis, ſacrum ſinguli ferentes ſuffragium, iureiurando per Veſtam verè iuſteq; pro viribus ſe judicaturos affirment, atque ita huic judicio finem imponant.*

Et Budęus *in annot. poſter. in l. muner. §. Iud. D. de Muner.* anti-

3. quum Iudiciorũ morẽ, qui Romæ viguit, explicat. Crudè ſanè Thulden. omnes quæ non ad probationes pertinent iure Romano dilationes reiici autumat; nam vt nihil dicatur de ſpatiis citationum, eremodiciis, vadimoniis, miſſione ex primo & ſecundo decreto: reus comparens delationem habet viginti dierum pro deliberatione. *Auth. offeratur. C. de litis conteſt.* Dilatoriis vtitur, iiſque ad litis cõteſtationẽ. *l. excep. C. de probat.* nec ſine dilatione de ſatiſdationibus ſtatuitur, de ordine cognitionũ, de excuſandis contumacibus, de admittendis vel reiiciendis, qui alieno nomine judiciis interueniunt, de aptitudine libelli, de illuſtrãda editæ actionis ſpecie, de mutuis petitionibus, de tergiuerſantibus ad conteſtationem cogendis, datur & dilatio ad liſtendum aliquem in judicio. *l. ſanciii. C. de fidei.* Quid? quod Iuſtin. *Nouel. 115. §. ſed & hoc.* altero litigatore

diſcep-

Ita breuiter, vt non confuſè.

disceptationi renuntiante, si alter dicere quippiam adhuc velit, mensem jubeat indulgeri, & secundum, deinde adhuc & tertium. Neque iuuat lex 7. & 10. *D. de feriis l.* 1. & 2. *C. de dilat. l.* 45. *de Iud.* nullibi enim quod is tradit asseritur, nec quia producendis testibus spatia dantur, ideò reliquis actibus negantur, fateor nunquam tanta friuolis fuisse data quanta hodie.

Scrupulosas ceremoniarum iudiciariarum præstigias, quibus & ipse Iudex fascinetur, vt quasi sensus motusque impos, penè nihil officij præstare possit, nisi quod partes exegerint, postquam iam mutuâ pugnâ lassæ procubuerunt, veteribus ignotas fuisse concesserо, resecandasque esse, quod porrò tempora judiciis distinctè peragendis inuenerint necessarium, non id omne conuellendum est, non præsertim Canones longâ sapientissimorum Pontificum lucubratione laborati.

Sed sanè Platonis forma vt vnâ oratione actores, vnâ rei defungantur, bene se habeat, vbi de facto constat, de iure quæritur, verbi gratia post duellum Horatiorum & Curiatiorum solus ille, qui victor euaserat, in publica lætitia sororem, ob sponsum interemptum lugentem, occidit. factum liquidum erat. querebatur iustáne satis indignatione sororem priuatus occiderat. an meritis in Remp. delictum condonandum esset. poterat accusatio, poterat defensio vnâ vtrimque oratione peragi, vnâ die, vnâ consultatione sententia ferri. vti Innoc. III. *c. ad nostram de iureiur.* rectissimè dicit de ordine Iudiciorum procedere, vt in manifestis Iudiciarius ordo non obseruetur; verissimus sæpiùs censetur ordo non seruare ordinem *c. de manifest.* 11. *q.* 1. *c. scelus. ibid.* 4. *Vnus congressu potest in notoriis causa peragi, ac vbi de facto constat: non item in ceteris.*

Sed varietas negotiorum vlteriores congressiones introducit. aliquando actioni resistitur solâ negatione, aliquando ea exceptione eliditur, aliquando aliâ allegatione opus est adiuuandi rei gratiâ, quæ replicatio, & duplicatio dicitur, & denique triplicatione, aliisque vlteriùs. *Institut. de exceptionibus & replicationibus.* cùm quidem solâ negatione reus se defendit, expedita res est, iniunctâ actori probatione & dilatione breui in eam concessâ; sed vbi exceptiones, repliationes, duplicationes, triplicationes, & cæteræ obuoluuntur, longiora spatia causa exigit.

Quid si iure Romano vtatur reus. *l.* 9. *C. de except. Si quidem*, inquit, *intentionem actoris probatione deficere confidis, nulla tibi* 5. *Simul & semel omnia proponenda.*

tibi defensio necessaria est. Quòd si is nimium fuerit confisus, productis testibus eorumque testimoniis resignatis deprehendat actorem intentionem probasse sufficienter, confectâ nunc vnâ lite, aliam ingeret reus exceptione propositâ, in qua cùm fiat actor, *huic esse locum exceptioni monstrari conuenit. d.l.9.*

Igitur actor nunc reus confidat etiam exceptioni deesse probationes, eamque adeò inficietur, oportebit à reo testes produci, à Iudice audiri, interrogari; quæ ab iis dicta erunt publicari. quòd si tum rursus liqueat exceptionem esse probatam, actor replicationi se accinget: inficiabitur rursus reus: testimoniis probabit actor, & deinde vlteriùs pro negotiorum varietate, quot in vno actu scenæ, quot in vna actione iudicia!

Rectiùs iure Canonum *in c. pastoral. x. de excep.* & moribus nostris quæcumque reus alleganda habet, simul & semel, vt loquuntur, proponere iubetur, probationes simul vtrimque fiunt, sub præscripto vtrisque termino, testimonia simul resignantur, in ea testesque simul dicitur, simul testium fides propugnatur, testimonia in speciem contraria conciliantur, simul & iudicandi calculus porrigitur.

6. *Stylus vulgaris procedendi.*

Tametsi porrò in his non vniformis vbique stylus, & ordinis iudiciarij filum; plerisque tamen in locis in eo conuenit, vt petitionem proponat actor, respondeat reus: replicet actor si videatur, duplicet reus; acta deinde ad Iudicem deferantur. is si quid in Duplica noui sit ad summam rei pertinens, super eo triplicandi actori, & deinde quadruplicandi reo facit facultatem. actis denuo repetitis si de facto conuenit, in quo causæ status versatur, de iure pronunciat Iudex: si in facto dissentiant litigatores, probare eum iubet ad quem spectat, & vtrumque quidem si ita oporteat; designatis etiam capitibus, si in paucis rei summam consistere animaduerterit, vt reducat in viam quadrigas sæpè vagabundas, & litigatores in circuitu causæ ambulantes: indeterminatè alioquin, si multa admodum sint capita, vt sæpè accidit in iis, quæ non viâ regiâ ad metas suas deducuntur, sed per coniecturas, præsumptionum, indiciorumque diuerticula, atque aliàs cùm in vna causa diuersi quæstionum status apparent.

Siquidem cùm extra iuridicialem statum agitur, causæ decisio ex probationibus dependet, difficiles eæ sunt, per positiones distinctas iuuari solent. eas fateri vel negare cogitur aduersa-

uersarius. confessio in iure facta summa probatio est, adeò vt pro iudicato confessus habeatur.

Negatorum fidem facere oportet, actorem priùs quidem, quia eo non probante reus absoluitur; etsi is nihil prestiterit. Sed eo asserta probante reus exceptiones, in quibus censetur actor, probare tenetur: alioquin intentionem actoris non elidet. sed per mores vterque simul, quod sibi incumbit, probat.

Euidentia facti, delatio juramenti, presumptio iuris, vice probationum sepè sunt, quę alioquin propriè per testes & instrumenta conficiuntur.

Testium fidem Iudex æstimat: pars obiicit, si quid eorum integritati derogat. rectè ante auditionem; sed plerumque protestatur tantùm integras sibi fore exceptiones. & si ex illis testibus decisio causę pendet, permittitur opponens eas probare, & alter in contrarium probare integritatem.

Iudex ipse testes audit, aut si per alia negotia non licet, aut illi alibi habitent, Iudici loci committit, seu alteri, qui ei examen remittit. Parte presente, aut contumace iurant testes veritatem se dicturos, quantum eis innotuerit.

Producuntur intra præscriptam dilationem, trinam saltem, & audiuntur si Iudici vacat: sin minùs, iurant intra id tempus, & pòst examinare potest Iudex cùm vacat. ita quidem pure; Mynſ. *cent. 6. obſ. 57.* seu cùm aliter fieri nequit. aliàs satius presenti & recenti iuramento moueri, neque dimitti iam aduersario notos in pericula præuaricationum.

Instrumenta, chyrographum, epistola, cautio, apocha, seu qualiscumque scriptura rem gestam continens, ad probationem producuntur. inde hîc documenta vocantur. scriptura priuati scribenti hęredibusque nocet, vt si quis tastamento modum sui patrimonij adscripserit, non autem aliis. Publica autem actis publicis comprehensa seu coram Magistratu gesta continens, & publicis scriniis tradita plenam fidē facit. Proximè accedunt instrumenta Notariorū, quiin voluntariis quadamtenus hodie Iudices sunt. sed ea & testibus firmari debent. per alios testes infirmantur: secus quàm strictè publica. Priuata etiam testiū subscriptionē desiderant, vt priuato scripturam suam negante per eos probari possit. Id quidem

hodiè neceſſariò non ſeruatur, ſed ſcripturâ negatâ magnas patitur difficultates comparatio literarum. de qua *l.* 20. *C. de probat.*

In his omnibus ipſa autographa ad fidem faciendam requiruntur. exemplum, index, copia, calumnioſa ſcriptura vocatur. *l.* 2. *D. de fid. inſt.* ſeu quæ calumniandi anſam præbeat. inde & inſtrumentum non habet fidem ex referente, niſi & illud relatum producatur. *Nouel. vt ſponſal. larg.* 119. §. *& hoc inſup. Auth. ſi quis. C. de edend. l. vlt. D. de prob.* Depoſitio autem apud acta inſtrumentis perpetuam fidem conciliat. *Nouel.* 73. §. *vt autem. verſ. de quibus. l. hac C. de donat.*

Poſt probationes, diſceptationeſque mutuas ſuper fide teſtium atque inſtrumentorum tandem quouſque voluerint auditi vtrimque concludunt negotium litigantes: aut ſi alter tergiuerſetur, terminus ei præſcribitur; ſecundus etiam & tertius; ac Iudex cauſam pro concluſa habet, neque exinde quid facti coram illo allegatur, ſed iuris allegationes ſecretæ, quæ de actis non ſunt, & quas Iudex ſupplere deberet, ad iuuandam eius diligentiam porrigi poſſunt.

Si nimia olim difficultas negotij, non ex facto, ſed ambiguo iure videbatur, ipſi Principi relatio fiebat *l.* 1. *& tot. tit. C. de relat.* reſcriptis Codex eſt plenus. Hodiè id non paſſim permiſſum. *Nouel. vt Iud. non expect.* 125. *Auth. nouo Iure C. de relat.* non tamen vetitum ſemper. Sed cùm extricare rem marte ſuo queunt Iudices, & poſt magnos ſumptus nimia eſt dilatio. Quam cauſam præfatur *d. Nouel.* 125. & mores admittunt relationes, & alicubi ſub pœna nullitatis iniungunt. nec decretales aſpernantur. *c. intimati de appell.* Atque hæ de litibus ſunt relationes, communicanturque partibus, adiunctâ totâ cauſæ ſerie, & litis actis *l.* 3. *C. de relat.* aliæ ſunt relationes de negotiis publicis. de quibus infrà *l.* 3. *c.* 9.

7. *Cauſæ principali breues termini præfigendi, nec illius curſus per incidentes quæſtiones remorandus, ſed illæ ſuo marte procedant.*

Id porrò in omnibus litis partibus pro ſuprema lege vſurpari poteſt, vt quæ ad principalem cauſam pertinent, quàm breuiſſimis ſpatiis circumſcribantur; acceſſoriæ porrò de ſatiſdationibus v. g. aliæque liticulæ incidentes, curſum illius non remorentur, niſi omnino tales ſint, vt cauſæ principali præiudicent, atque illis non cognitis hęc cognoſci non poſſit; quam ſi quidem breuiter expedire conuenit, multò minimè hærere oportet in acceſſoriis diſcutiendis.

8. *Litis inſtructiuæ dilationes ſint peremptoriæ.*

In omnibus autem vtiliſſima eſſet Antoninæ conſtitutionis obſeruatio *in l. orat. D. de feriis*, denuo ſancita *in l.* 1. *in pr. C eod.*

à qua

à qua non distat. *l. fin. D. eod. c. constuulit. x. de off. delegat.* non nisi semel dandam esse vnius rei in judicio exequendæ dilationem. Denique necessarium est, vt Iudex teneat cognitionis suę rationem, non litigatorum affectibus obsequatur prorogantibus causarum spatia prætextu iudiciariæ obseruationis.

9. *Partes per se litem voce cõtestentur.*

Enimuerò breuitati litium valde proficeret partes initio litem contestari voce, non scripto, & per sese si possint; sin minus, adsint saltem, subsidiario oratore vtantur, atque ita causa tota initio agitetur. si de tribus capellis eam esse viderit Iudex, ex tempore expediat; si grauis momenti, & dubij juris, de facto tamen conueniat, permittat vtrique breui scripto atque intra paucos dies jus suggerere; sin autem ex scripto iudicandum est, & legitimę causę constitutio facienda, schedæ apud acta deponantur, refellantur vtrimque, contradictaque dissoluantur, & continuò judicandi potestas fiat. In statu autem causæ inficiali ad testes deueniatur, &, vt suprà diximus, pergatur. vt rectissime Imbertus ad mores nostros triplicē hunc causarum statum constituit, exequiturque; juridicialem, legitimum, & inficialem. *Institut. for. lib. 1. c. 36.*, &, Lagus *in Methodo Iuris tit. de lit. contest. sub fin.* vt in Oratore suo Quintil. pluribus locis de statu differit, definit, diuidit, & explicat.

10. *Leuis causa ex tempore, & cùm de facto constat post breue motiuũ, vbi de facto quæritur breue itidē ad probandum, refellendũ. saluandum termini figantur.*

Censeat autem semper Iudex, pro causę necessitate, scripto, an voce peragenda sit: ordinario, an extra-ordinario cursu, semperq; meminerit Iustin. *const. 12. Nou.* precepta Præsidi dantem iubere, vt Iudici *studio sit, vt causas cum summa æquitate cognoscat, ac breuiores quidem, & maximè quæ vilioris conditionis hominum sunt, sine scripto decidat, & diiudicet, & mutuâ inter se homines contentione liberet.*

11. *Pleraque hodie causæ de plano, & ad formam Clementinæ Sæpè, expediri possent.*

Nam paucæ sunt causæ hodie, quibus non possit nimia ordinis judiciarij obseruatio relaxari, & sufficere, quę *Clem. Sæpè de verb. sig.* proponit. In qua Constit. singula pœnè verba monita singula ad Iudicem ferunt; eò autem pœnè tendunt omnia, vt lites fiant quàm breuissimæ. eum scopum si sibi semper Iudex proposuerit, si eò actionem suam iudiciumque omne direxerit, multum sanè Reip. priuatęque singulorum commodauerit.

12. *In sua cuiusque ciuitate ideo defensores ciuitatũ, & pedanei Iudices ad leues causas.*

Sic & Iust. *Nouel. 80. c. 2.* Defensori (quale officiũ nunc valde passim desiderari potest) iniungit, *vt procuret incidi negotia, vt nõ longitudo eis fiat temporis, & maximè agricolis, & cum omni instantia Iudices vrgeat, cum festinatione eos contentionibus absoluere, & litibus libera-*

liberatos, in suas ciuitates remittere. & Nouel. 79. Sed etiam, inquit,

13. Maximè lites pauperum, agricolarum, monachorum & clericorum.

accelerari lites sancimus monachis illatas, vt non mens eorum occupetur circa litis sollicitudinem, sed velociter liberati sacris operibus obsecundent. sed & de clericis *Nouel.* 83. iubet cum magnanimitate, & velociter lites eorum decidi, vt non propter *eiusmodi causas sacris amoueantur obsequiis, & cùm oporteat Deum placari, & decentia sacerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turbis, atque inhærente tumultu litigantium animabus, si tamen de criminibus conueniantur; si quidem ciuilibus, non transcendente lite mensium duorum spatium* (quantum absuut hodie mores!) *ex quo litis contestatio fit, quatenus breuis imponatur causæ terminus.*

Eandem ob causam Iust. defensorum ciuitatum resuscitauit energiam, & auxit, vt singuli in suis locis breuem litium expeditionem nanciscì possent. *Fit enim,* inquit, *in Auth. de defens. sic congruentia vtilis, si Iudicum sumant officium ciuitatum defensores, & Prouinciæ Præses videbitur quidem Iudicum Iudex potiùs esse, & hoc honestior apparere. quanto enim quis præest melioribus, tanto maior ipse & honestior est. audient quoque leuiora crimina, & castigationi competenti contradent, & eos, qui in maioribus criminibus capiuntur, detrudent in carcerem, & mittent ad Prouinciæ Præsidem. sic enim fruetur vnaquæque ciuitas curâ iudiciali, & omnis gens sub maiori constituta Iudice maiorẽ sentiet prouidentiam.* Eademque ex causa Iudices, *Auth. de Iud. c. 3. Audient,* inquit (pedanei Iudices) *omnes quidem litem vsque ad trecentos solidos existentem, sub schemate annotationis. sic enim velociùs lites iudicabuntur, & circulis cognitionalibus, ac temporis contritione omnes litigantes liberabuntur.* vt in Prouincia quidem ideò etiam causas decidi idem Iustin. *Nouel. 9.* mandat, *Quid enim,* inquit, *durius quàm læsum circa sublationem bouis aut equi, iumentorum alicuius, aut pecudum, aut, vt exiguum dicamus, domesticæ gallinæ, hunc cogi non in qua auferitur prouincia litigare, sed alibi currere, & ibi probationes eorum, quæ pertulit exigi, & aut plures expensas pati, quàm rei æstimatio est, aut inopiam ingemiscentem ferre;* eundemque ad finem sedere pedaneos Iudices continuò iubet *c. 3. matutino mox, & meridie, & vespere audientes causas.* Sub schemate annotationis audire pedaneos iubet vsque ad 300. solidos (in antiqua auri caritate) quod rectè Ant. Contius sine scripto interpretatur, idest, sine scriptis vtrimque voluminibus. sed tamen per notas breues allegationes consignabantur; aderant enim Iudicibus serui publici, qui in notas capita allegationũ referebant, vnde & Notarij sunt dicti. compendiosa signa erant, quibus integer sensus inerat, in-

14. Sub schemate annotationis vsque ad 300. solidos.

tegræ

regræ periodi significabantur. hoc modo causæ minores notis tantùm, non scripto agitabantur. Ad eum finem pertinet quod *d. Clem. sæpè* dicit petitionem faciendam sine scriptis, siue verbo, actis tamen continuò inserendam.

15. *Sic tamen ne quid necessarium omittatur.*

Sed & tamen cauere Iudicem oportet, ne breuitas noxia fiat dum prolixitatem fugit. *non sic tamen*, inquit, *Iudex litem abbreuiet quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur*; non ita litigatores angustè concludet, quin causam suam dicere, testibus, instrumentis se munire, ceteraque omnia ad eam necessaria expedire possint. nec partibus suis etiam deerit Iudex, *sed interrogabit*, inquit Clemens, *partes siue ad earum instantiam, siue ex officio, quandocumq; hoc æquitas suadebit*. Consonat *lex* 21. *D. de interrogat.*

16. *Competentibus non inutilibus dilationibus.*

Et Plato in formula supra scripta Iudicibus interrogandi officium iniungit, sicubi causa discussione eguerit. vt Clemens VIII. dum omnes nullitates sustulit *const. incip. lit. 5. Id. Feb.* 1592. satis scrupulosos litium labyrinthos ex consequenti expeditos voluit. excepit tamen Clemens tria genera nullitatum: eam quę est ex defectu citationis: quæ ex defectu mandati: denique quæ ex defectu iurisdictionis. nam & has naturæ leges sanxerunt. inauditus enim nemo damnari potest. non auditus etiam est, pro quo falsus tantùm Procurator interuenit, & sine iurisdictione nemo ius dicit. Priuatus si quid statuat, tyrannus est, Ipse Deus ordinem iudicij seruauit in Adamo & Gomorrhæis, *Genes.* 18. in Achan, *Iosue* 7. in villico, *Luc.* 16. Ad illum; *Adam vbi es?* in secundis, *Clamor multiplicatus est. Descendam & videbo, &c.* in tertio sorte extractâ, & vocato eo atque confesso, prolato furto, constito de corpore delicti. & vltimus diffamatus erat; *Quid audio de te, &c.* In vltimo iudicio generali citatio erit per tubam generalis. D. Paul. *ad Thessal. c. 4. in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, &c.* Rectè *Eccl.* 11. *Antequam scruteris, ne reprehendas: intellige prius, & tunc increpa.* Igitur fatendũ est Leges nostras iubere inducias quàm pauciſſimas, atque breuiſſimas litigatoribus dari, atque Iudicem curare oportere, vt omnes controuersiæ quàm citissimè dirimantur. *l. oratione. & l. vlt. D. de feriis l. 1. & 7. C. de dilat. Nouel. vt cùm de appell.* 115. §. *sed & hoc. Auth. Iubemus, C. de Iudiciis.* maturo tamen & non præcipiti judicio. *nam quia dubium non est*, vt ait Cicero 4. *in Ver. quin omnes omnium pecuniæ sunt in eorum potestate, qui judicia dant, & eorum qui judicant*, præcipitatio sanè in judiciis maximè pernitiosa est.

17. Et quanquam apud Turcas, alioſque barbaros, nec actionum formulæ, nec judiciorum normæ, vt apud nos locum habeant, & ſint qui probent eiuſmodi expeditionem, tamen dubium non eſt, quin ea ſummam ſæpè iniuſtitiam inuoluat, neque eſſe ob aliquorum abuſum cæleſtem virtutem è terris eliminandam. vt multa Dei beneficia poſſidemus, quibus nullatenus carere velimus, ideo quòd aliqui abutantur. vt malè etiam ſenſerunt, qui medicinam, eiuſque profeſſores omnes è Republ. profligabant, ideo quòd aliqui non rectè eâ ſcientiâ eſſent vſi. vt nugiuendulus liber Octauij. Piſani, contra Iureconſ. ſimileſque, non ſeriâ lectione, ſed riſu dignus ſit, & non aliud tempus mereatur, quàm quod ſeriis ineptum eſt.

Nque iudiciorum omnis forma vt apud Turcas tollatur.

18. Quod porrò quæritur apud Agell. Debeátne Iudex inter cognoſcendum id, quo dicto quæſitoque opus eſt, dicere, & quęrere, etiamſi cuius id dici queríue intereſt, neque dicat, neque poſtulet? *Patrocinari enim*, inquit, *prorſus hoc eſſe aiunt, non judicare.* Sed Imperatores Diocl. & Max. *in l. vn. C. vt quæ deſunt Aduocat.* de eo ambigi noluit: *Non dubitandum eſt*, inquiunt, *Iudicem ſi quid à litigatoribus vel ab his qui negotiis aſſiſtunt minus fuerit dictum, id ſupplere, & proferre, quod ſciat legibus & iuri publico conuenire.* Id quod tamen per poſtrema verba non pauci reſtringunt, vt non ea ſuppleat Iudex, quę facti, ſed quę Iuris ſunt; ſed ego exiſtimo longè aliam fuiſſe Imperatorum mentem. certũ enim eſt, Iudicis officium eſſe, ſecundùm leges iudicare, quamuis litigatores idiotę fuerint, per ſe cauſam dixerint, adeoque conſtitutiones nullas, ſenatuſconſulta, plebiſcita, leges nullas allegârint, vtpote quas neſciant. neque eâ de re dubitari vnquam potuit, aut Imperatoriâ deciſione opus fuit. Sed de iis ſupplendis, quę facti ſunt, meritò dubitari potuit, & dubitauit apud A. Gellium Phauor. Id deciſum voluerunt Imperatores, ſi quid minus fuerit dictum, id ſupplere aiunt. non quòd Iudex quod narratum non eſt à litigatoribus, ipſe narret; etiamſi antè priuatim rei notitiam adeptus eſſet, ſed quod ſuis Iudicibus Plato pręcepit *lib. 33. de leg. dial. 9. vt conſiderent quodcumque dictum, vel non dictum perquirendum putant.* Atque ita Alex. *in l. 3. C. de tranſact. Iudex*, inquit, *quæret de quanta pecunia nominatim tranſactum ſit.* Scilicet eâ inquiſitione opus erat, vt ſciretur num pecunia, quæ petebatur, ſub tranſactione comprehenſa eſſet. Facit ęquitas *l. 21. D. de interrogat. Clem. ſæpè. vers. interrogab. de verb. ſignif.* Si enim cauſa cognoſcenda Iudici demandata eſt, omnia demandata eſſe intelli-

Quando Iudex quærere debeat, à partibus nõ explicita? & ſupplere?

telliguntur, sine quibus ad notionem veniri non potest. Sed hæ, inquies, partes patroni sunt, non Iudicis; imò Iudicis: si litigatores aut patroni defuerint partibus suis, quò minùs Iudex liquidum causæ statum deprehendat. id verò cùm generatim Iudici commissum intelligitur, non rei causam, non actoris sustinere, non huic, non illi suffragari, aut vllius fauori quidpiam dare dicendus est; sed inuestigare rei, de qua quæritur, veritatem, suæ notionis subsidia poscere. laudatissimum est Salomonis exemplum: quantâ solertiâ suppleuit, quod dëerat litigantibus matribus de prole viua & mortua, quæ tamẽ aliàs defectæ probationibus dimittendæ fuissent.

In omni ergo Iudicij parte vbi Iudici videbitur non satis propositum esse, non satis disertè distinctum, vt definiri possit negotium, interrogando supplebit id, quod noscendo causæ statui dëest, & probationes exiget, quarum defectus definitionem remoretur. hinc ea, quæ praxis *Puncta officij* vocat, nascuntur, & frequentissima sunt apud nostratia tribunalia. perquirente Iudice ea quæ causæ desunt, & litigantes totâ aliquando viâ aberrantes dirigendo: non id datur personis, sed causæ, sed Iustitiæ. Porrò ex facto ius nascitur, factum obscurum sit, tantisper oportet vt ius partium Iudici non minus obscurum sit: factum interrogando Iudex excutere, vmbras iuri depellere, lumen causæ adferre, decisioni facem accendere possit: qui, si non velit, si damnet eum quem absoluere, si absoluat quem damnare face eâ accensâ debuisset; aut si non liquere dicat, quis inquam officio functum dixerit? si cœnatum hospitem quamuis lautè, per tenebras, non prælatâ à famulo tædâ quis dimiserit, non functum amico officio dixeris, si nec viri boni quem vides errantem viam non monstrare, si non boni hospitis, boni viri officium præstant qui hoc negligunt; boni Iudicis sanè officium non præstiterit, qui contempserit. Apud subsellia non errare, non hospes esse, sed in luce veritatis ambulare, sed habitationem firmam habere vult Astræa; aures illa non tantùm habet, sed & oculos acres: non audire tantùm eius mystam oportet, sed & acriter perspicere, vbi controuersiæ veritas hæreat, eruere interrogando, perquirendo eam ex obscuris, & demũ proferre, quod statu negotij iam cognito sciat *Iudex legibus, & iuri publico conuenire.*

Hæc tamen ita agere Iudicem oportet, vt nec grauitatem 19.
suam offendat, nec litigatores dicentes interrumpat, dicturos *Seruatâ semper grauitate.*
fortè

fortè quod quærere volet: neque enim vno hiatu omnia dicuntur. præcipitis id esset, non celeris tantùm, non grauis. quin nec ipsis partibus permittere Iudex debet, vt inuicem se cõfundant, medios sermones intercipiant, sed loquendi vices seruent, atque ipse suas: scilicet non in singulas periodos, sed in finẽ, cùm non aliud à litigantibus expectat, quæ scire vult, quę clariùs explicari reseruet, ac proponat. ita etiam, vt ex rogandi modo nihil eius quod sentiat deprehendi possit. non oculi, frons, vultus, lingua animi indicium præferat ante sententiam.

Præter hæc magnum momentum adfert rei bene cognoscendæ, bene iudicandæ testium inrerrogatio, si ab ipso Iudice fiat. in ipsa actione energia est, quæ non se effert in imaginem scripti testimonij. Vnde rectè Imperator Adrianus rescripsit se testibus, non testimoniis credere; atque iterum testimoniis apud se locum non esse. sanè frons, oculi, vultus, vox, gestus, apparens religionis reuerentia, aut neglectus, constantia, titubatiovè testimoniorum fidem firmant, vel eleuant. Vnde idem Imp. *Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, itemque ex sententia animi tui te æstimare oportet, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris.* Dispiciet enim ipse Iudex qui simpliciter visi sint dicere, vtrum vnum eundemque meditatum sermonem attulerint, an ad ea quæ interrogantur ex tempore verisimilia responderint. *l. 3. D. de test.* quę tanti fecit Iust. vt in causa criminis testes etiam in alia prouincia morantes coràm exhiberi jusserit. *Nouel.* 90. *c.* 5. non ei suffecerit examinari à Iudice regionis. Ratio est apud eundem Adrianum. *nam ipsos,* inquit, *interrogare soleo.* Si occupatissimus Imperator tanti fecerit testis præsentis examen, non facilè debent Iudices, quibus minor rerũ moles incubat, à partibus suis illud reiicere, aliisue causæ iurisue imperitis demandare, qui nesciant, quid pro notione negotij, quid pro testium exploranda fide, ex variis rei gestæ circumstantiis interrogandum sit. Quòd si porrò ità Iudex aliis negotiis distineatur, vt huic dare se non possit, vices saltem suas non imperito alicui Scribæ, sed Iureconsulto non ignobili committat, qui si quid in vultu, gestu, sermone testium extra quod scriptum est deprehenderit, quò religio iudicantis moueri, vel causa penitiùs nosci possit, non omittat ad viuum referre.

An nomen actionis edendũ sit? Sed & coronidis hîc loco lubet quęrere, quia traditum est, ad officium Iudicis pertinere, sine actione agentem à limine

Iudicij

judicij repellere, & ineptum libellum rejicere, an si actor certam actionis speciem non proposuerit, id Iudici præstandum incumbat? nam variè disputatum est; actorem, nisi actionem exprimat, audiendum non esse. & olim quidem necessarium fuisse nihil dubitatur. quando & impetrare actionem, & nec syllabâ quidem prescriptâ cadere oportebat. sed id sublatum est. & Thuld. quidem nouissimè *de caus. corrup. Iud. lib. 3. c. 13.* qui Iudicia hodierna multis superfluis exoneranda rectè tradidit, contendit neque spolianda esse necessariis, atque inter hęc editionem esse actionis speciatim signatæ. quòd Imperatores ex vetere iure formulas tantùm impetrationesque sustulerint, non actionum speciatim signandarum necessitatem.

Enimuerò necessarium id non esse ratio suadet, dummodo ita factum narretur, & petitio applicetur, vt hanc ex illa nasci (nam ex facto ius oritur) constiterit. disertè ita Alex. III. rescripsit *c. 6. x. de Iud.* dummodò negotiorum natura, & specialis actionum ratio non secus exigat. qualia sunt, quę egregiè exequitur Lagus *in methodo Iuris, tit. de libell.* & vlteriùs obiicit Thulden. qui tamen rectè addit etiam iis casibus quibus actio disertè exponenda sit, non seuerè illud requiri vt nominatim fiat, sed satis esse si ita circumscribatur factum, vt intelligi perspicuè possit, ex qua causa agendi quis litem reo intendat.

Potrò Imperator sublatis formulis, & impetrationibus, quòd actionem nihilominus negotio competentem esse voluerit, non significat nomen actionis se desiderare, sed causæ propositionem, ex qua ius persequendi in Iudicio quod sibi deberi existimat actor, intelligatur. quò modo dicimus neminem sine actione experiri, vel alicui competere actionem. *l. si pupil. §. videamus, D. de negot. gest.* quid enim, cùm non in antiquam syluam reducamus judicia, sed prescindamus tantùm luxuriantes palmites, si eos qui rei suę superesse gnari satis sunt, & eloqui possunt, voce siue scripto causam suam agere alibi per se voluit, & nos assentimur, cogemusne eos, qui in Astręę adyta numquam penetrârunt, sed simplicem veritatem exhibere naturâ tantùm & rerum vsu didicerunt, juris vocabula, quæ nec mediocriter eius periti omnia nouerint, proloqui; vt Anabaptistę scripturas recitant? haud dixero. *Simpliciter*, inquit Alex. *& purè factum ipsum, & rei veritatem secundùm formam Canonum, & Sanctorum Patrum instituta inuestigare curetis.*

CA-

CAPVT VIII.

De sententia dicenda, & ordine votorum.

1. *Ordo Solitus incipere à dignioribus.*

POstquam in lite satis vtrimque dictum, scriptúmve est, ad Iudices acta deferuntur, qui sacrum, vt vocat Plato, suffragium ferentes, iudicio finem ponunt. atque ordo quidem in dicendis suffragiis non idem vbique neque semper fuit. diuersimodè etiam ipsi Romani sunt vsi, sed maximè pro dignitate fuit primo ordine sententiam dicere. & quia rogabantur sententiæ, prærogari dicebatur, qui priori loco, & inde prærogatiua. *In municipiis eorum*, inquit Papinianus, *in l. spurij 6. §. vlt. D. de decur. potior causa habetur in sententiis ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragiis iure decurionis decorati sunt: sed & qui plures liberos habet, in suo collegio primus sententiam rogatur, cæteroſque honoris ordine præcellit.* Coactâ verò curiâ quisque prout dignior erat altiore loco sedebat; tum duumuiri, si res difficilior erat, nominatim singulorum sententias inquirebant, ordine seruato, qui in albo scriptus erat. *l. 1. D. de Alb. scrib. l. 3. § restitutus D. de decur.* Sed rectè Dionysius Halicarnassus *lib. 6.* & Dion. Cassius *lib. 36.* existimarunt periculosum esse secundùm ordinem dignitatũ singulos gradatim consuli, vt assuetum refert in senatu Romano Agell. *lib. 14. c. 7.* perire libertatem iuniorum, aut inferiori gradu consistentium, cùm necessitas sequendæ sententiæ à maioribus ingeritur, quorum authoritas cęteros pertractura sit.

2. *Liberior à Iunioribus.*

Inde Piso apud Tacitum, *Quo loco censebis Cæsar? si primus; habeo quod sequar: si post omnes; vereor ne imprudens dissentiam.* Ariopagitæ globolis ideo definiebant. quos hodie sequuntur Veneti. albo absoluunt, atro condemnant.

3. Romani viuâ voce sententiam dicebant, illustres quidem Senatores *l. fin. D. de senat.* alij discessionem faciebant, in eam partem quam sequebantur. & quod maiori parti placuerat, in tabulas referebatur, senatus-consultum vocabatur, aut decretum decurionum. sed & postmodum tabulis & scripto tacitè vota ferebantur. quod malo exemplo introductum Plinius *l. 3. epist. ad mess. max. & l. 4. ad eundem* queritur; prudenter tamen Titus Arius, cùm Iudicio domestico Cæsarem adhibuisset, scripto sententiam proferre voluit, ne omnium sententia fieret, quæ Cæsaris fuisset. Senec. *1. clem. c. 15.* necminùs

rectè

rectè in supremis Galliarum Curiis sine ordine vota rogantur, prout quisque Relatori proximus assidet. Cicero *act. 6. in Verr. Mos est*, ait, *Siracusanis, vt si qua de re ad Senatum referatur, dicat sententiam qui velit: nominatim nemo rogatur, & tamen vt quisque honore, & ætate antecedit, is primus solet suâ sponte dicere: idque à cæteris ei conceditur; si quando taceant omnes, tunc sorte coguntur dicere.* Alibi Iuniores dicunt sententiam priores. Gam. *dec. 1.*

Resecandum est quidquid metum adferre potest, quicquid in dicendo libertatē onerare. *l. 1. §. onerande D. quar. rer. act. Non enim*, inquit Chrys. *solus ille est proditor veritatis, qui transgrediens veritatem, palàm pro veritate mendacium loquitur; sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronuntiare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit, proditor est veritatis. c. nolite timere 11. q. 3.* 4. *Remouendum quicquid officit libertati, & veritati.*

Quare & ad libertatem etiam voti pertinet, vt rationē quis non deserat quòd à parte contraria numerū videat. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. Exod. 23.* Veritatē semper Iudex omnibus quæ hac in vita chara habere potest, anteponere debet, neque in pectus dimittere quòd *veritas odium parit.* amicus sit Plato, amicus Socrates, magis sit amica veritas. cogitet se cætera omnia ante aram Iustitiæ sepositisse. Et quoniam non tam bene cum humanis rebus agitur, vt meliora pluribus placeant, non turbetur si contraria aliqua sententia communis esse dicatur. Sunt & communes contra communes: sunt & opiniones sine examine receptæ, ad modū quo auiū quò vna volat cæteræ sequuntur: ideoq; non numero, sed rationi deferendū est. *l. ob carnē. §. fin. D. de test.* Dec. *cons. 481. n. 12.* vbi multa Panorm. inter quęst. suas *q. 4. vers. itē multum.* Thes. *dec. 57. n. 10.* 5. *Quæ nec ob numerum deserenda.*

Modus votum dicendi & hoc comprehendit, vt laconicus sit. nam veritas in paucis consistit, neque oportet prudentioribus dicendi locum auferre. Rebuf. *in l. feminæ §. senatores n. 1. de senat.* Inter prudentes odiosa verbositas. sufficiunt intelligenti pauca. *Narrauerunt fabulationes, sed non vt lex tua. Psal. 110.* Sed & nullus debeat immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis vanisq; aut obstinatis disceptationibus contēdere, sed quicquid dicatur sic mitissimâ verborū prolatione temperetur, vt nec audientes offendātur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur. Trid. *s. 2.* 6. *Laconicè dicendum.*

Et quanquam sit rara temporū felicitas, vbi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere liceat. vt Tac. *1. hist.* tamē credat semper, quod vbi ad se redeunt; *voluntas Regū labia iusta. Prou. 16.* circūspectè ta- 7. *Et circumspectâ libertate.*

mē loquatur Iudex, nō dicax sit, neq; acerbis facetiis quempiā irrideat, maximè Principem. *nam earū apud prepotentes in longum memoria est, præsertim, vbi multū ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.* Tacit. *lib. 5. & 15.* sed ita se habeat, vt dicendi modus dulcoret amaritudinem audiendæ à Principibus veritatis. nam *simplicitas & libertas ni adsit modus in exitium vertuntur.* Tac. *hist. lib. 3. & sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prou. 15.* quare *Eccle. c. 4. Noli citatus esse in lingua tua.* Vbi & quomodo vtile aut necessarium est liberè verum promatur, & si dicendi modus rei dicendæ ingratum saporem temperet; Reip. consulitur, & priuatę dicentis, atque Iustitiæ. quod si fieri nequit, quin priuatim ineatur mala gratia, neque in opportunum tempus res differri potest; tamen veritatem non abdicare oportet, Iustitiam non offendere. præponderat enim publica dicendi necessitas priuatæ dicentis vtilitati. Ob quam rectè Salust. *Ego ita comperi omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: vbicumque gratia, timor, voluptas, ea corrupére, post paulò imminutas opes, ademtum imperium, seruitutem impositam.*

Curare ad extremum Iudicē oportet, vt sententia certa sit, non ambigua, aut aliquo dubio respersa. *§. curare. Instit. de action. tot. tit. de sent. quæ sine cert. quant.* & quia sententia libello conformis esse debet, reiicitur libellus obscurus, incertus, generalis. *l. final. C. de anal. except.* Iudices qui ambiguis, incertis, obscuris verbis vtuntur, non litem finiunt, sed alias serunt, generant, sumptus augent, disceptationes producunt, & sportulis suis tantùm prosunt.

Igitur accuratissimâ actorum discussione factâ, eorumque ad leges circumspectâ applicatione, ne quid ab iis discrepet, ritè conceptis verbis in tabellam sententia refertur, & iuxta Constit. 45. Extrauag. Leonis, Iudicis manu obsignatur, & ore Iudicis proprio, nisi Illustris sit, qualis & Episcopus habetur, aut hodie ab actuariis pronunciatur; absoluendo, aut condemnando in id quod in iudicium deductum fuit, non aliud. etiam in litis sumptus, damna, & id quod interest, si iustum, æquumque fuerit. Calumniæ quidem, & temeritatis hæc pœna est. ideoque iure quidem sine dolo & culpa, vt in re facti, aut iuris admodum obscuri litiganti non imponitur. sed Edictum an. 1611. *art. 9.* non facilè id admittit. Taxat hodiè expensas Iudex, actoris libello comprehensas, earum quantitate à reo diminuendo contradictâ.

CA-

CAPVT IX.

De Appellatione eiusque Instantia.

SI condemnatus iniustè iudicatum putat, remedium habet appellationis ad superiorem Iudicem, aut delegantem, à quo non iurisdictio, sed cognitio tantùm delegata fuit. concessum omnibus quibus non interdictum. non concessum contumacibus, non confessis, non ter prouocantibus, non de momentanea possessione, non de re quæ dilationem non ferat, non ab interlocutoria reparabili, alimentis, visitatione, correctione, aliisque casibus diserto iure vetitis. 1. *Appellatio iuris remedium.*

Interponendum intra decem dies à pronunciatione, aut scientia, & copia Notarij, coram quo inscriptis fiat; nam si viuâ voce coram Iudice, illicò fieri debet. 2. *Quî interponendum?*

Admittendum à Iudice, datis dimissoriis, additis actis, & si visum, causâ cur sic iudicauerit. sine dilatione: saltem infra dies triginta, nisi casus sit, quo non liceat appellare. quando Iudex reiicit appellationem, &, si causam adiecerit, Iudex appellatus de negotio non cognoscit antequam cognouerit de appellatione. 3. *Q. admittendum?*

Inchoandum apud superiorem oblatis dimissoriis, & actis intra tempus à Iudice aut stylo præscriptum. à iure bimestre datum appellanti à pedaneo, aut delegato, semestre ad magistratus, biennium olim & dein annus ad Principem. alioquin exinde fatales dies currunt. 4. *Quî inchoandum?*

Prosequendum intra præscripta similiter tempora. alioquin appellationem fata illa ad interitum vrgent, sententiam firmant. quam tamen adhuc examinari aut roborari aut corrigi vult Nou. 126. §. *in omnibus*. quam non vbique vsus seruat, sed causæ desertione contentus est; seruat tamen, vt si appellans tergiuersetur, appellato liceat præuenire, litem introducere, & prosequi. sed iure Pontificio ea tempora à Iudice præscribi possunt & coarctari, & à superiore ex iusta causa aduersus lapsum restitutio dari. *c. ex ratione.* latè ibi Phil. Franc. *de appell.* Panorm. & alij *eodem tit.* 5. *Qui prosequendum?*

Moribus fori secularis, apostoli nõ petuntur, instantiæ prima & aliæ perpetuæ sunt. tempora tamen certa introducendæ appellationi præscripta sunt, ita vt alioquin ea deserta habeatur.

Si ex iisdem actis appellans ius dici petit, Iudex mox ea discutit: bene pronunciat iudicatũ, vel malè; corrigitque, vel 5. *Quî cognoscendum?*

confirmat: expensis etiam & mulcta *l. eos. §. ne temere C. de app.* temerè appellantem castigat. Quòd si quid non dictum priùs allegare probareque velit appellans, id ei permittitur; factâ & appellato eâdem facultate. modò non ad nouum caput pertineat, sed coniunctum sit iis, quæ apud priorem Iudicem proposita fuere. *l. 4. C. de temp. app.* emendare enim actionem in eodem iudicio. *§. sin minus Instit. de act.* non alio potest. vt illud est in quo mutatus est Iudex. neque testes produci possunt super iisdem omnino aut directè contrariis capitibus, super quibus in prima instantia alij auditi sunt. *c. fraterninatis. x. de test. Clem. vlt. eod.*

6. *A quibus inconcessū.* A summis tamen tribunalibus appellatio interdicta est. vt olim à præfecto prętorio. tum vt aliquando liti finis imponatur: tum quia creditum est, summos Iudices pro sapientia ac luce dignitatis suæ non aliter judicaturos esse, quàm ipse Princeps foret judicaturus. *l. 1. D. de offic. præf. prat.*

Sed & friuola appellatio vetita est, sine ratione interiecta, & protelandi tantùm causâ, in eamque reiiciendam, & per eam tergiuersantes puniendos, Iudices vt incumbant strenuè Reip. conuenit.

Nec minùs ne à rebus minimis iudicatis appellatio foueatur; nam non minùs iniquum quàm absurdum est, quod sæpè euenit, vt super minimis causis maximi Iudices inquietentur, & homines propter minimas causas magnis fatigentur dispendiis, vt forsan totius litis æstimatio ad sumptus judiciales non sufficiat. *Auth. de appel. §. illud etiam.*

7. *Qui maturandum?* Appellationum causæ si fieri potest ex iisdem actis decidantur: sin minùs, propositis vna schedulâ grauaminibus, & alterâ justificationibus, vel nouis factis, si ex eorum consideratione sententia mutanda est, breuissimis tamen omnia terminis per agantur. atque in criminalibus semestri, iuxta constitutionem Pij V. aut saltem biennali, iuxta Conc. Trid. expediant, neque tertiò prouocare vnquam liceat, neque in correctione, aliisque singularibus causis, neque nullitas sine allegatione iniquitatis, aut citationis, mandati, aut Iurisdictionis defectu attendatur.

8. *Appellationi affinis supplicatio.* Affinis appellationi est supplicatio, cùm à summo Principe eiusue Senatu judicatum est. quæ non nisi semel permissa est, *l. 5. C. de prec. Imp. off.* si supplicabatur intra decem dies, iudicati executio suspendebatur, nisi satisdaretur. & iure quidem ex supplicatione procedebatur sicut ex appellatione.

Pro-

Propositio etiam erroris seu reuisio vicina est, sed non nisi ex iisdem actis fit, & iudicatum interim executioni mandatur. *Propositio erroris.*

Restitutio etiam in integrum aduersus rem judicatam minoribus datur. *C. si aduers. rem iud.* & executionem suspendit *C. in integ. rest. post ne quid noui.* *Restitutio.*

Querela etiam nullitatis ex Iurisdictionis, aut personæ litigatorum non qualificatæ, formæue iudiciariæ defectu executionem suspendit. *l. si Prætor. §. Marcel. D. de re jud. l. vlt. C. si ex fals. inst.* nisi tres fuerint sententiæ conformes. *l. vlt. C. de ord. cog. Clem. vt de re jud.* ea tamen nullitas vt in tribunalibus Ecclesiasticis hodie ex causa Iurisdictionis, mandati, citationis (ex Clem. VIII. decreto) proponi tantum potest, nec in vlla causa alia attendi, ita nec in sæcularibus frequentatur. Imbert. *Enchyr. ad V. nullum quando.* *Querela.*

Appellatio ad Iudicis iniuriam non pertinet. *l. 20. de appel.* ideoque nec indignè ferre Iudicē conuenit, si quis ab eius sententia appellauerit, neque de se quis tam eximiè sentire debet, quasi labi non possit. dummodo innocentes manus, animum ab omni passione alienum, sine ignaua imprudentia ad causæ notionem, sententiamque dicendam attulerit. nam vt ex consilio, ita & iudicio non fraudulento nemo obligatur. sed ad fraudem reducitur insignis imprudentia, atque lata culpa. 9. *Inuitanē vrere non debet.*

Graue non oportet videri cuiuscumque retractari iudicium, quia veritas exagitata sæpius magis splendescit in luce: & pernicies reuocata in judicium grauius, & sine pœnitentia condemnatur. nam fructus diuinus est iustitiam sæpius recensseri. c. Graue 35. q. 9. & Conc. Sard. *Episcopus, qui aut iustè, aut iniustè aliquem eiecit, patienter accipiat vt negotium discutiatur, vel vt probetur sententia eius à pluribus, vel emendetur.* quæ Innocentij & Concilij Sard. monita optandum esset, vt expenderent multi Iudices, qui excandescunt vel ad sonum appellationis à suo judicio interpositæ, vel ad inhibitionem pertinacis progressus; ad definitiuam autem judicij sui emendationem, perpetes sumunt simultates, & Iudicibus, præsertim delegatis, qui post eos in aliam iuerunt sententiam, verbis perpetuò, atque re ipsâ infesti sunt. tanta certè philautia, non charitatem, quæ non cogitat malum, non justitiam redolet.

CAPVT X.

De executione rei iudicatæ.

1. *Executio rei iudicatæ.*

CVm sententia lata, & rata est, nullo appellationis aut alio remedio suspensa, rei iudicatæ fit executio; siue per actionem iudicati *l.3.§.vlt.D. eod.* siue implorato Iudicis officio: vt passim hodiè vsus seruat. nisi hanc imploratione̅m, cum Gudel. *in comm. Iur. nou. l.3. c.6.* ab illa actione non distinguamus.

Intra quæ tempor.?

Damnatis olim diuersa tempora concessa sunt, hodiè non seruantur. nisi quæ stylus aut Iudex dederit. cùm res iussa est restitui, quæ in promptu est, nulla mora contumaciæ permittenda est. *l. debitorib. 18. D. de re iud.* alioquin idoneum tempus tribuitur. eo lapso per executores, &, si opus, per manum militarem, *l. qui restituere. D. de rei vind. l. si quis iussus D. ne vis fiat ei qui in poss. miss.* res aufertur, aut pro pecunia exhibenda pignora capiuntur, distrahunturque. mobiles primùm res, dein immobiles; denique iura & nomina. mores eum iuris ordinem non seruant, sed quod promptius se offert, executioni subiiciunt. per licitationes plus offerenti addicunt, etiam ipsi victori. *l. 2. C. si ex caus. iud. pig.* nonnumquam possidenda pignora creditori traduntur donec ex fructibus satisfiat; & alicubi immobilia aliter distrahi omnino non permittunt mores, alicubi non nisi multo pòst tempore, ex fructibus summa confici non posset.

Per detrusionem etiam in carcerem cogitur damnatus sententiæ parere, & excommunicationem, si remedium aliud non supereſt. Trid. *s.25.c.3.*

2. *Affi. i. confessio.*

Speciem rei iudicatæ habent confessio in iure facta, bonorum cessio, transactio, iusiurandum, arbitri laudum, voluntaria contrahentium condemnatio, contractus Iudicum sigillis muniti, instrumenta guarentigionata, & præsto est Iudicum officium illud ex hisce postulantibus.

3. *Creditorũ prærogatiua.*

Cùm pignorum precium omnibus creditoribus non sufficit, preferuntur hypothecarij personalibus. inter hos causa crediti, inter illos ratio temporis quo pignus datum est, potius ius facit, siue specialis sit hypotheca, siue generalis: ex conuentione, vel in causam iudicati accepta: siue expressa, siue tacita. nisi quòd apud nos conuentionalis nisi coram Iudice

rei

rei sitæ facta reale ius non tribuat aut prælationem, nec generalis sine immobilium designatione. saluo tamen dotis, & fisci priuilegio, eiusque qui in ædificij restitutionem, militiæ emptionem, aut vt ad priuilegiarium creditorem peruenerit, pecuniam dedit. Omnium creditorum exactam rationem habet Iudex in distributione precij., ex pignorum distractione redacti, *iuxta titulos D. & C. Qui potior in pign. &c.* quorum priuilegia breuiter complectitur Gudel. *Iur. nouiss. l. 4. c vlt.*

CAPVT XI.

Recidiua monita de seruando ordine iudiciario, præsertim in litibus criminalibus, & quæ ex officio Iudici incumbunt.

EXegimus quæ ad morem modumque iurisdicundi spectare videbantur, quasi per Indicem & transcursim. quo filo Iudex telam iudicij texendam habeat. qua in re nec illud Apostoli reiiciendum puto, 1. *ad Corinth. c. 14. Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.* Ordo sanè iudiciarius anima est iurisdictionis: dummodò meminerimus in causis quibusdam iuris ordinem esse, nullum ordinem seruare. *Est*, inquit Cicero *pro Rabyr. Posth. sapientia Iudicis in hoc, vt non solùm quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum sibi permissum meminerit, sed etiam quatenus commissum sit.* quo scilicet jure, quo ordine, quo ritu, more maiorum, an forma specialiter mandatis prescripta. adeò vt & Fulliucius *Quæst. mor. tom. 2. tract. 40. in 8. præcep. c. 6. n. 199.* Iudicem ob ordinem juris non seruatum obliget ad restitutionem; verbi gratiâ, si inquisiuit cùm iuris ordo non permitteret: si confessionem extorsit, cùm indicia idonea non essent, &c. post Less. *de Iustit. l. 2. c. 29. d. 18.* Ampla spacia paterent si in eam dissertationem descendere luberet, quę de toto ordine iudiciario concinnari posset. *& nos suprà hoc lib. c. 7. satis pro instituto diximus. Plura extant insignium authorum volumina in eam singulatim rem diserte scripta. ad ea maria, quibus lubet haurire, dimittimus.* Apud nos ex edicto Principum 12. *Iul.* 1611. *art.* 3. 4. 5. qui stylum habent emologatum, mandata, & instructiones suas exactè seruare debent, & si quid mutatione eget, ad Principem referre: qui non habent emologatum, ad curiam Prouincialem recurrere: eo

1. *Ordo iuris seruandus.*

2. *Belgæ stylũ præscriptũ aut ordinandum seruant.*

eo interim vsuri, quo vtuntur superiores illius territorij. sed *art.* 46. pro securitate maiori decernitur, vt in criminalibus causis Iudices, qui ordinarium certumque stylum procedendi non habent, eo vtantur qui decretus est pro suo prouinciali Concilio. omnia enim hîc Concilia Prouincialia stylum, ordinationes, & instructiones à Principibus præscriptas pridem habent; inter reliquasq; instructiones non infimum locum ea obtinet, quam Carolus V. Imperator Batauis dedit, 20. Aug. 1531. quam insigni libro, quem Synopsin praxeos ciuilis appellat, excussit Paulus Merula. Affines alias instructiones comparauit, & in ordinem iudiciarium analiticè digessit.

3. *Præsertim in iudiciis criminalibus.*

Porrò quia *omnia*, ait Cicero *pro Cæcinna, judicia aut distrahendarum controuersiarum, aut maleficiorum puniendorum causâ reperta sunt.* in illis minor cura est, in his maior. non tantùm quia in illis de re minori, pecuniola, agellóue agitur, in his de statu, de vita hominis; sed & quòd in ciuili controuersia ipsi litigantes periculo suo expendere debent, iure, an iniuriâ agant, defendántve, & pœnis suis coërcentur temerè litigantes: at in iudiciis criminalibus, iisque quæ Iudex ex officio instituit, non alieno ductu, sed suo marte Iudex progreditur. &, vt in bello non solet iterum peccandi locus superesse, vt Lamachus respondit veniam oranti errati in prælio commissi: ita vbi de re criminali agitur, vix est vt errore commisso res in integrum possit restitui. *Est* ergo *sapientis Iudicis cogitare sibi tantùm esse permissum, quantum commissum sit & creditum, & non solùm sibi potestatem esse datam, verùm etiam fidem habitam esse meminisse, posse quem oderit absoluere, quem non oderit condemnare: & semper non quæ velit ipse, sed quid lex & religio cogat, cogitare.* Ita Cicero *pro Cluentio.* vult lex & religio quod iustum est etiam iustè fieri, insontem rectè absolui, reum ritè condemnari.

Maranta quidem *tractat. de ordin. iudic. part.* 6. *s.* & *peruenitur & c. n.* 106. *n.* 208. enumerat 65. casus in quibus Iudex procedit ex officio, qui eapropter delicatiori diligentiâ sunt tractandi; nos generatim comprehendemus sub nomine causarũ criminalium, non rigore nominis ad scelera restricti, sed per antithesim litium ciuilium, & pecuniariarum. In criminalibus ergo iudiciis Iudex aliorum motu & metâ carens, (nam rarò hodie accusatio cum inscriptione fieri solet; denuntiatio etiam magis ad Euangelicam referri solet quàm iudicialem, quę delatores ad expensas temerarias obligat) agmine quadrato incedere debet, ne recta iustitia vllo vndecumque insultu detrimenti

trimenti quippiam capere possit. Et nos quidem iterum Edicta Principum, & Instructiones dirigunt, & nominatim Edictum an. 1611. *art.* 38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.

4. *Inquisitione speciali.*

Enimuerò id imprimis cauendum, ne quis temerè in numerum reorum vocetur. tametsi enim Iudices etiam Episcopi habeant in suis Diœcesibus liberam potestatem adulteria & scelera inquirendi, vlciscendi, & iudicandi; *c. perniciosam de off. Iud.* prouincias & diœceses suas obire iubeantur, & visitare, de vita & conuersatione subditorum quærere; *c. Romana de censib. in* 6. non tamen speciatim de authore criminis inquirere possunt, nisi super eo fama ipsius læsa sit. *c. cùm oporteat de accusat.* adeò vt generatim rogare, non nuncupatim, tantùm possit; & rogati etiam iurati occultum authorem deferre non possint. Less. *de iust. lib.* 2. *c.* 29. *de iudice dubit.* 14. *n.* 118. nullus est pro crimine, super quo non laborat infamia, seu clamosa insinuatio processit, puniendus; quinimò super hoc depositiones contra eum recipi non debent. *c. inquisitionis. 5. tertiæ de accusat. c. qualiter* 2. *ibid.* nequidem tametsi duo vel plures testes iurati asserant *d. c. inquisitionis.* nisi fortè quis crimen confessus sit, aut commiserit in iudicio, aut patefactum sit ex generali inquisitione, aut aduersus bonũ publicum sit, vt crimen læsæ Maiestatis Diuinæ vel humanę. Less. *ibid. d.* 15. *Scipio minor Caium Liuium prætereuntem cùm vidisset: Hunc, inquit, virum scio peierasse: verùm quoniam nullus eum defert, non possum simul esse & accusator, & Iudex.* Plut. *in Apoth.* Praxim sæcularium Iudicum contrariam, vt infamia præuia non requiratur, excusat Less. *ibid. n.* 131. & Fuliucius *d. c.* 6. *n.* 191. iidẽ tamen requirunt vt Iudex non inchoët ex se iudiciũ, sed aliquid præcedat, quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem ex officio procedere cogat, quod vices infamiæ suppleat. Duodecim id genus causas conglomerat Fuliucius *n.* 193. & Less. *dub.* 16. non admittit tamen Lessius eandem praxim in Prælatis Ecclesiasticis *dub.* 15. *n.* 140. præsertim aduersus personas Ecclesiasticas. vtpote quorum propalati defectus plus Reip. noceant, quàm correctio profit. vt omittamus Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 5. innouasse dictum cap. *qualiter & quando*, & ab omnibus obseruari inssisse.

5. *Carcere decernendo.*

Quòd si tam seriò exigitur ne quis inquiratur, in ius vocetur sine præuia infamia; quanto magis cauendum est, ne citra pręuiam infamiam, necessitatem, & criminis grauitatem, quis in carcerem compingatur, qui per se infamat? quapropter Prælati clericos temerariè, vel per iniuriam incarcerantes

tes in excommunicationem incidunt. *c. si clericos de sent. excom. in 6.* & rectè Marcus Antonius Genuens. *in praxi c. 29.* tradit, Neapoli non incarcerari clericos, nisi adsint probationes sufficientes ad condemnandum, vel saltem ad torquendum, dummodò clericus non sit suspectus de fuga. ob quam & Trid. in atrocioribus delictis necessariam detentionem admittit. *sess. 25. c. 6.* detentionē vocat Concilium, non carcerem. adeoque addit: in omnibus casibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. & bene d. Edictum *an. 1611. art. 39.* vetat officiariis cuiquam iniicere manus, qui fixos habet lares, nisi in flagranti delicto deprehenso, aut ex Iudicis decreto, cui ex informationibus *iuxta art. 38.* semiplena probatio delicti, aut vehemens suspicio suaserit, aut accusator formalis requisiuerit, vbi is admittitur.

Iterum breuibus dilationibus peragendi sunt rei, peccantque grauiter qui morarum tædio, carcerū, aliorúmve incommodorum fastidio, eos affligunt, & non æquè in excusando, quàm accusando laborant. quod vtrumque inculcat d. Edictum *art. 40.*

6. Tortura. Multò autem magis peccant Iudices, si non sufficientibus indiciis neque ex iuris ordine prescripto reum quæstionibus subiecerint. quę sufficiant breuiter differit Less. *d. 17.* repetit Filliucius *n. 195.* pluribus exequitur Farinac. *tract. de indiciis, & tort.* aliique.

7. Condemnatione. Maximè autem in ipsa condemnatione peccatur, si præter ordinem iuris crimine deprehenso confessione illicitè extortâ reus plectatur *arg. l. antep. in fin. D. de quæst.* vbi ob quæstionem illicitè habitam Imp. sententiam irritauit. Less. *d. 18.* Filliucius *n. 199.* qui vtrique *sequent. cc.* prosequuntur Iniurias quæ fiunt in iudicio ab accusatore, teste, Aduocato, reo, &c. quas hîc prosequi non est huius instituti. dummodo id repetamus spectare ad Iudicem, compescere omnes eos qui adyta, & sanctitatem iustitiæ temerant suâ improbitate. sibique Iudex semper illud Deuteron. *c. 16.* dictum obseruet, *iustè quod iustum est prosequeris.* non iustè prosequitur, qui ordine à iure præscripto non prosequitur.

Super hęc autem si non ad mensuram delicti imponatur plagarum modus, pœnaque ad culpæ proportionem non exigatur, si is cui parcendum fuit ob delicti, personæ, sexus, ætatis, aliásve circumstantias, ad rigorem plectatur, si cuius

pœna

pœna aſperanda potius fuit, parcatur.

Ad profundum autem peccatorum venit, ſi inſontes puniat, ſontes impunè dimittat ſciens, prudens, cùm de cauſa ritè liquet. de culpa lata, quæ dolo comparatur, leui, leuiſſima in cauſa capitali cognoſcenda iudicandaque, non ſinit hic locus multa dicere. hoc ſanè caſu vitandæ huiuſmodi culpæ, valet illud Democriti, *Optimus Iudex eſſe iudicatur, qui citò intelligit, & lentè iudicat.*

Dixi initio huius cap. exegiſſe nos curſim quæ ad morem modumque iuris dicundi pertinent; ad dictionem inquam ipſam iuris. nam quod attinet ipſa cauſarum iura, non fuit animus ea tangere: Oceanum ingredi, tota Iuris volumina inuoluere: ea in pectoris ſcrinio habere Iudex debet, & cauſis in ſuum prętoriũ delatis applicare: & *habere*, inquit Cicero *pro Cluent. in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, & inuidiam, metum, cupiditates omnes amouere: maximi æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt.*

CAPVT XII.

De Stipendiis.

QVo minus per ſordes iudicetur, & appellationibus materia ſubtrahatur, ſtipendia publica ſtatuta ſunt. *tot. t. C. de. Annon. & capitat.* Iuſtinianus ſanè munerũ capturã ſeuerè prohibens, à fiſco ſtipẽdia Iudicibus dari iuſſit: à litigatoribus accipi aliquid vetuit, prętерquam Iudicibus pedaneis. *Nouella* 82. *c.* 9. & *Nouell.* 15. *c.* 16. vbi fere idem de defenſoribus ciuitatum dicitur. & quatenus idem in Francia olim obtinuerit, bellè refert Loyſeau *de off. lib.* 1. *c.* 8. quomodo ſportulæ atque huiuſmodi emolumenta pro Iudicum opera in voluendis actis, examinando partium iure, dictandiſque ſententiis, ſucceſſerint. & ſanè optandum erat, vt iure & antiquis moribus res ſtaret. iniquiſſimum enim eſſe Cic. cenſet Iuſtitiæ mercedem petere: ſed & illud tamen iniquiſſimum, vt labor in damno ſit. Itaque dum Iuſtinianus fiſco onus ſtipendiorum impoſuit, fiſcus locuples erat, ſeu meliori fortunâ, ſeu maiore parcimoniâ, ſeu frugaliori œconomiâ. nam belli ſumptus res eius geſtæ ſummos etiã fuiſſe plus ſatis arguunt. vnde & nulli ſalarium tribuebatur, niſi iubente Principe. *l. nulli. C. de*

1. *Rectè à fiſco dandæ.*

*depræb.sal.l.*10. maturè perpensis meritis. Hodie vbique fere terrarum Principes non sufficiunt aulicis oneribus, cùm & olim domaniales reditus bellis insuper gerendis sufficerent. tributa populorũ, subsidia belli, etiam in alias causas abeunt, vt vix digna Iudicum stipendia à fisco solui queant, vix dum alicubi pars aliqua nisi ex mulctis, aliisque id genus subsidiis, maximè in Gallia. vbi etiam ipsa Iudicum officia sub hasta veneunt, & qui emunt, vtinam mercaturæ suę incremento lites non seminent! Magna profectò olim stipendia fuisse Iudicum discimus ex *tit. Cod. de Annon. & capitat.* atque aliunde passim.

2. *Magistratus in prouinciã euntes instruebantur necessariis.*

Vetus institutum fuit, vt Resp. Prę sidibus annonas, & pecoribus eorum alimenta subministraret. *l.*2 *C. de curs. publ.* quin & Magistratus exeuntes mulis, tabernaculisque, & omni supellectili instruebãtur. Liu. *lib* 52. Augustus verò magistratui prouinciarum pro supellectili ac cæteris necessariis certam pecuniam numerauit. vnde vtensilia locari desierunt. ita vt posteà cùm Iudices promouerentur, argento, & necessariis instruerentur, mulis, vestibus forensibus, domesticis, balnearibus, coquis, &, si vxores non haberent, concubinis.

3. *In officiis occisi remuratio.*

Quòd si quem in exercitio officij sui occidi contingat, officium eius hæredibus relinquendum est, vt iudicatum refert in apparitoribus Loiseau, *des offices l* 1. *c.* 12. *n.* 33. quod & decisum in militibus, *tit. de filiis officialium qui in bello moriuntur. C. lib.* 12. Hi enim qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. *§. filiis. Inst. de excus. tut.* eiusmodi mortuorum vitam in memoria viuorum positam esse inquit Cicero *Phil.*7.

CAPVT XIII.

De animaduersione in Iudices.

1. *Magni magistratus officij tempore non accusabantur.*

QVi de appellationibus cognoscunt, sententias emendant, nonnumquam & ipsos Iudices pro sua religione, si per dolum aut sordes eas dictauerint, aut aliâs litem fecerint suam. nam quo rectiùs judicent, non desunt leges vltrices. quominùs tamen Auctoritas Iudicum vilesceret, eius saltem qui imperium habebat, & iubere poterat in carcerem duci, durante magistratu in jus vocari, vel accusari is non poterat. *l.*2. *D. de in ius vocand.* quanquam Panicirolus *in Commentariis ad Notitiam Imperij de magistratibus municipalibus c.* 8. *in fin.*

fin. de duumuiris idem, dum magistratu fungebantur, asserit. *per l. pars litter.* 48. *D. de Iudic.* quam non de solis Atheniensibus magistratibus, vt Alciat. *dispunc.* 4. *c.* 6. nec de Prætoribus, aut Præsidibus, vt alij, sed de omnibus magistratibus municipalibus, qui à Græcis ἄρχοντες vocabantur, intelligit.

Præsides quidem alióue nomine prouinciarum rectores, depósito magistratu per dies quinquaginta in prouincia manere debebant, responsuri omnibus qui de eis quererentur. Ita etiam Borel. *lib.* 1. *de magist. c.* 12. *in fin.* refert practicam magnę Curiæ Neapolitanæ, quòd pendenti officio accusatus de concernentibus administrationem, liberetur cautione de stando iuri, tempore syndicatus, in quod Curia causam remittit, rectius, quàm quòd alij paulò antè ab ipso citati, suspendendum magistratum putant statim atque accusatur; eum verbi gratiâ qui perpetuus est; nam Zeno *in l. vlt. C. vbi senatores.* statuit, ne qui in crimen vocati ante probationes, iniurias patiantur. Ideóque si illustri dignitate fulserint, *sedendi quoque*, inquit, *in aliqua secretarij parte, quæ Iudicibus inferior, altercantibus superior esse videatur, habeant licentiam.* & iterum, *sedendi cùm celebratur cognitio in secretariis iudicantium ius consequantur.* cuius legis formam in judicando Duce Bironio seruasse scribitur senatus Paris. Vetatur vel excandescere Iudex aduersus eos, quos malos putat. *l.* 19. *D. de offic. præsid.* Disertè etiâ Papin. *in l. libertus. §. in quæst. D. ad municipal. Magistratus*, inquit, *capitalis criminis accusati pristinam dignitatem interim retinent.* tametsi illius legis dispositionē in Gallia non seruari refert, & queritur Loiseau *des offices, lib.* 1. *c.* 14. vbi latè incommoda tum suspensionis accusatorum, tum inquisitionis aduersariorum, tum nouimembris rigoris, quem Gallica praxis & fere nostra exercet contra accusatos, supra quam iure Romano permissum sit.

2. *Accusatis vsque ad sententiam dignitas seruatur.*

3. *Etsi praxis multis locis contraria.*

Enimurò vt abusus Gallicis Iudiciis absint, vt optandum est; ita neque eò concedendum, vt nulli cognitioni magistratuum actiones subiici censeantur; ne impunitatis confidentiâ laxatis habenis in innoxios grassentur; fas atque nefas pari loco habeant; ne populum concutiant liberè, si repetundarum agi cum iis non possit. ne pecuniam publicam interuertant, si de peculatu teneri non possint: ne fictis criminibus insontes supplantent, si falsi accusationem non vereantur. ne per sordes, supinam imprudentiâ iudicent, si litem suam facere non possint, & in vicem aduersarij succedere, *l. vlt. D. de extraordinar.*

4. *Sed ea ritè temperanda.*

cogn. vel quantum videbitur religioni iudicantis teneri illi, qui iniquo iudicio læsus est.

5. Sed vt redeamus ad accusatum Magistratum; vt neque suspendi eius exercitium durante accusatione æquum est, ita neque in perpetua spatia criminalem quęstionem protrahi, sed intra annum olim, & biennium saltem, ex prorogatione Iustiniani terminari oportebat. *tit. vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur*, ne perpetuo Respub. careat viro, ad res agēdas idoneo. quamobrē solo anni lapsu reus delatus absolutus erat, & promotionis capax, qui non damnabatur *l. reus delatus D. de mun. & honor.* Et per sacros Canones enormia tantùm quædam crimina id priuilegij habent, vt clericus accusatus à sacris functionibus abstinere debeat, donec se purgauerit, vt hęresis simonia, &c. alioquin pœna suspensionis non nisi causâ cognitâ irrogatur. *c. Presbyter 15. q. 6. versic. & quod nisi fecerit, interim non videmus suo debere Presbyterum, vel diaconum officio priuari.*

6. *Depositio magistratu per 50. dies in prouincia morandum.*

Sic & constitutum est, ne clerici deficiant ab Episcopo accusato, priusquam sub luce obiecta constiterint, & sententiâ damnatus sit, *c. 1. & 2. 8. q. 4.* Rectè igitur Iudices post depositum magistratum 50. dies in prouincia commorari debebant, eorumque Consiliarij, Cancellarij, & Ministri. *l. 3. de assess.* ius tamen dicebant vsque ad aduentum successoris. *l. 10. de off. proconsul.* nec priùs deponebat imperiū decessor, quàm successor in Metropolim venerat, licet prouinciā attigerat. *l. 1. de off. præf. Aug.* non tamē vltra tres mēses poterat hęrere. *l. 2 ad l. Iul. Maiest.* Dion. *l. 53.* &, quod notandū morosis Iudicibus, huiusmodi controuersiæ ciuiliter vel criminaliter ventilatæ intra viginti dierum spatium debebant terminari. *l. 1. de off. diuers. Iud.* Ex diuerso autem, inquit Iustinianus *in Auth. vt Iudices sine quoquo suff.* etiam pœnis eos omnium amarissimis subiugamus, si eos qui puris vsi sunt manibus, & fiscalium exactionem cùm omni detulerint subtilitate, posteà deponentes administrationem iniuriari præsumpserint, & non cum omni fauore post legitimū tempus prouinciam relinquentes deduxerint.

7. *Inquisitio in Iudices Hispana.*

Hodie Iudiciorum antiqua ratio contra Magistratu functos obsoleta est, quæ olim potentissimos quamuis in officio retinebat, vel audaciam pręuaricatorum insigniter multabat, morte, exilio, vel aliâ pro meritis pœnâ: successit in monarchia Hispaniæ vsus mittēdi in prouincias qui inquirant in acta Prę-sidū, aliorúmue Iudicū, & qui ea quæ cōperta sunt ad Conciliū regiū referant, pro ea gente in Hispania institutū. cuius iudicio

bene

bene meriti liberaliter munerantur: qui autem negligenter versati sunt, desidè abiectoque animo officium administrarunt, vel iniquè sunt grassati, pro demerito castigantur. *quæ*, inquit Bellus, *profectò præcipua est causa & ratio, quâ sacratissima hæc Corona conseruatur, & magis indies exaltatur.* an æquè hodie præmia & pœnæ pro meritis dentur, & Coronæ bene sit Bellus alius examinet.

8. *In Iudices animaduersio.*

Alexander Seuerus solebat dicere, paratos se semper digitos gerere, vt si quem Iudicem improbum obuium haberet, oculos ei erueret. optimè; nullum enim malum grauiùs affligere potest Remp. quàm Iudicum improbitas; quid enim si à quibus medicina expectatur, venenum prębeatur; à quibus vera doctrina, falsa doceatur? quo argumento Christus, *si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* numquam ergo nimia esse potest in Iudices inspectio, vigilantia, animaduersio. Primùm Reges ipsi, atque Principes vniuersim eam curam suam esse putent, deinde magni sub ipsis magistratus, atque gradatim inferiores singuli in suos. atque in primis Ecclesiastici, quos ipsos Episcoporum titulus iam ab Apostolis vsurpatus, id est speculatorũ functionis suæ monet, & singuli quidem quatenus eis auctoritas commissa est, scilicet Archiepiscopis monendi, corrigendi Episcopis, non amouendi data nunc est auctoritas, sed in grauioribus causam instruendi, & ad Sedem Apostolicam instructã mittendi, quæ dęfinitiuum calculũ ferat. Trid. *sess. 24. c. 5. s. 13. c. 6. 7. 8. sic l. 2. de off. præs. August. Præfectus*, inquit, *Prætorio augustalis ordinariorum sub se Iudicum examinandi flagitia, & super his referendi, non amouendi, vel puniendi habeat potestatem.* & iterum, *l. 1. de off. Com. sac. larg. Palatinis*, inquit, *hæc cura debet esse præcipua, vt periculo proprio notariis destinatis super negligentia Iudicum, si ita res exegerit, conquerantur, ne eorum sit impunita desidia.* Ex aduerso tamen aliud statutum est in Præf. Prætorio Orientis *l. 3. dict. tit. Si quos*, inquit, *Iudices, vel propter aduersam corporis valetudinem, vel propter negligentiam vel furtum, vel simile aliquod officium sublimitas tua inutiles esse reperiat: his ab administratione remotis & vice eorum aliis subrogatis, furibusque pœnis legitimis subactis, ad nostræ mansuetudinis sententiam non crimina, sed vindicta referatur.* Nullus ergo præscriptum Iurisdictionis suę modum excedat, diligentẽ suorũ inspectionem negligat nullus. si quis scintillã neglexerit, quæ inde incendiũ excitarit, & humanis & diuinis legibus resarciendo detrimẽto erit obstrictus.

9. Prudenter etiam suprascriptis de causis cautum erat, ne

Ne Iudices in prouincia negocientur.

prouinciarum rectores extra ea, quæ ad victum petinent, quidpiam emerent, ipsi, vel qui circa eos erant: aliâsue contraherent, donationésve reciperent, etiam per interpositam personã, nec ratificari eæ possent, quamuis consensu post depositos fasces adiecto, vel quinquennij lapsu *l. 1. de contrac. Iud.* sed & illud prudenter non minus Senatus-consulto cauebatur, vt de his quæ prouincias regentes, comites, aut liberti eorum, antequam in prouinciam venerint, contraxerant, parcissimè ius diceretur. *l. 16. de off. præsid.* ita vt præter victus commercia quę vitari non possunt, nulla daretur ansa aut vmbra Iudicibus malè in administratione versandi, & puris seruatis manibus judicia & munia iustè & sanctè exercerent; si secus accidisset, minas legum non euaderent.

10. *Episcopi circa Iudices vigilare etiam iubentur.*

Sed & quò pleniùs contra malignitatem Iudicum prouideretur, Iustin. *in Auth. vt Iud. sine quoque suffragio.* postquam multis eos monitis & mandatis instruxerat, in fine addidit edictũ ad omnes Episcopos: *Tuæ*, inquit, *igitur sit reuerentiæ, & cæterorum, hæc custodire: & si quid transcendatur à Iudicibus, ad nos referre, vt nihil contemnatur horum quæ sanctè à nobis statuta sunt.* & iterum, *in Auth. vt nulli Iudicum liceat habere loci seruatorem. Omnem*, inquit, *damus licentiam locorum sanctissimis Episcopis & Primatibus ciuitatum, huiusmodi præsumptiones prohibere, & studere, vt hæc omnia sine impedimento & sine dispendio secundùm legem virtutum procedant, & de his nobis nuntiare.* Sed neque id tantùm per formam facultatis, aut moniti Iustin. proloquitur, sed addit: *Vos autem si negligentes non referatis, rationem reddetis apud Deum pro aliorum iniustitia, si quod non agnoscentibus nobis damnum apud vos hominibus inferatur. Sed oportet præsentes vos prouincijs, & proijs, ac reliquis detestantes manifestos nobis facere & rectos Iudices & transcendentes hanc legem nostram, quatenus vtrosque cognoscentes, hos quidem puniamus, illis autem repensemus.* Quinimò Iudices per Episcopos ad officium adiguntur *Auth. vt differentes Iudices audire interpellantium allegationes, cogantur ab Episcopis hoc agere.* & vlteriùs *ibid. c. 1. Iubemus sanctissimum Archiepiscopum audire cum clarissimo Iudice, vt ambo per amicabilem conuentũ dissoluant quæ dubia sunt.* & infrà: *si tamen contigerit quendam nostrorum subiectorum ab ipso clarissimo prouinciæ Iudice lædi, jubemus eum adire sanctissimum illius ciuitatis Episcopum, & ipsum indicare inter clarissimum illius prouinciæ Iudicem & eum qui putatur lædi ab eo.* Enimuerò nescio an odiosa magis hæc essent hodie si fierent; an damnosa sint, quia non fiunt.

LI-

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De Legislatiua.

PRincipio officij sui olim Prætores edictum proponebant, ex quo ius dicturi erant. quo exemplo non incongruum nobis visum fuit, si hunc librum, qui de administratione politica Iudicis est acturus, auspicaremur à legibus. Enimuerò jure certo, quàm manu regiâ administrari Remp. satius esse iam docuit pridem experientia. & gentium eò quasi vnanimem consensum traxit, *arg. l. 2. in prin. D. de orig. Iur.* quia reges, vt sint boni, & qui non litigantium, sed æquitatis solo affectu ducantur, tamen rectiùs se habent, si architectos imitentur, qui lineâ vtuntur, & libellâ, boni quamuis & periti. nam, vt Cic. ait *l. 9. epist. fam. ad Patt. omnia sunt incerta, quando à Iure discessum est.* Caligula iactauerat se effecturum ne I. C^ti. quid respondere possent, præter eum, id est, non nisi eo vt oraculo consulto, eius rescripto impetrato: incommodum secutum refert Tac. *lib. 11. ann. in princ. Cuncta*, inquit, *legum & magistratuum munia in se trahens Princeps, materiam patefecerat prædandi.* Hæc est apud bonos etiam illa indecisa æquitas, si eius ab imagine à quouis obiecta lex vinci possit. quam deprecati sunt Allobroges à Francis. I. vt ne permitteretur Senatui extra ius certum atque præscriptum ad boni atque æqui bullas transilire. vt Coras. *ad l. benignius. D. de leg.* nec summis tribunalibus permittit ius ex æquitate vel interpretari, quod alij concedunt, *Auth. hodie C. de Iud.* & Doctores passim. 1. *Satius legibus, quàm regum arbitrio regi.*

Legibus Romanis nihil non decisum est, quod ad Remp. tuendam pertineat. sed quamuis ius finitum esse debere non malè monet *l. 2. D. de Iur. & fact. ignor.* illæ mole ruunt suâ, & facit Rom. legum numerus, vt pauciores sciantur, & mutata Rerum-publ regnorumque forma, vt quę diuersis officiis sunt adscripta, nisi eorum curam lucrum comitetur, pauci ad se pertinere existiment. vt ferè id passim videamus leges multas facili consilio & salubres valuis Ecclesiarum & postibus Prætorio- 2. *Sed paucæ esse sint.*

toriorum affigi, paucas executioni committi. Fruſtrà prę-ſcribit ægrotis pharmaca Medicus, ſi ea non ſumant, ſi pharmacopæorum officinas ſchedis impleant, in ſtomachum ægrum nihil immittant.

3. *Executioni mandentur.*

Itaque in omni Repub. conſtituenda cùm primis curandum eſt, vt leges & magiſtratuum edicta executionem inueniant, ſubditi vt ſint factores verbi, & non auditores tantùm. *quia ſi quis auditor eſt verbi & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultũ natiuitatis ſuæ in ſpeculo; conſiderauit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit: qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Ita Iacobus *c.* 1. ſanctè de lege ſancta. Sed & ſuo modo idem in lege & rebus profanis obtinet, ſi in ſpeculo tantùm leges idoneas conſideramus, neglectâ curâ praxeos, atque executionis, Platonicas & Vtopicas leges, bellè expendimus, dandas illis orbibus, quos adhuc quęrit Alexander. manum operi admouere, manum mittere ad aratrum oportet, non philoſophari tantùm. Pręcepta omnia & leges elanguidę ſunt, ſi non accedat cura obſeruationis, ſi fine ſuo deſtituantur,

Si non conceditur vti.

Rectè igitur D. Ambroſius *de* 24. *manſ. Lex Dei exactiſsimâ quâque cenſurâ examinanda, & omni quâ poteſt maiori ſedulitate ſeruanda.* & prudentiſſimè Iuſtin. *in Auth. de prouinc. Præſid. Non tantùm*, inquit, *decenter leges ferre ſummo bono eſt, ſed etiam ſancita accuratè cuſtodiri & ad effectum deducere, tranſgreſſoreſq; competentibus pœnis ſubiicere.* Bene Tertul. *Quale eſt vt præcepta conſtituat non executurus? vt dicta prohibeat, non vindicaturus? permiſſum tacitè quod ſine vltione prohibetur.* & iterum, *Fruſtrà inſtituiſſet, ſi obſeruari noluiſſet: & fruſtrà obſeruari voluiſſet, ſi vindicari noluiſſet.*

4. *Paucitas legum quibus, cur, curæ fuerit.*

Corruptiſsimâ Repub. plurimæ leges, vt ait Tacitus: & Strabo *lib.* 4. Zaleuchum Thuriis paucas olim & ſimplices leges dediſſe, ſed alios ſecutos, qui alias per ſubtilitatem & ſuperuacaneam curam adderent: ex quo factum ſit, vt celebres magis quàm boni euaderent. Romuli, regumque Romanorum paucas leges fuiſſe veriſimile eſt. Libellus XII. Tabularum exiguus fuit, quem pueri in ſcholis ediſcebant, vt neceſſarium carmen. ſed, vt inquit Seneca, *epiſt.* 45. *non opus adhuc erat remediis diligentibus, nondum in tantum nequitia ſurrexerat, nec tam latè ſe ſparſerat; poterant vitiis ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia; nunc*

nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta quanto valentiora sunt quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim; deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem.

Primùm Iulius Cęsar, deinde Adrianus destinarunt multitudinem legum ad optima quæque & necessaria resecare; sed iniquitate temporũ distracti fuerunt. Adrianus tantùm Saluij I.C. laborem probauit, qui edictum perpetuum composuit, ex eoque Prætores ius dicere voluit. Theodosius propiùs tentauit; Iustinianus immensa volumina, quæ in librorum duo millia, versuum autem tricies centena extendebantur, Pandectas contraxit, & Codicem edidit; vetans ne imposterum ea commentariis onerarentur; Paratitlis tantùm permissis. *Proœmium & confirmatio digestorum & ad Tribonianum, & ad magnum senatum.* Carol. Mag. & Alphonsus Hisp. Rex, eadem in re laborauit. Sed & ipse Iust. quidem Nouellis verbosis magnitudinem Codicum auxit, deinde barbararum omnium gentium colluuies imperium distraxit, & leges illas silentio inuoluit; alij alias ediderunt, donec leges Romanæ rursus ante aliquot sæcula ex vndis illis caput extulerunt, & in scholis apparuerunt, atque in regnis iis, quę Romanum imperium excusserant, pro sua æquitate admissæ sunt, in supplementum vernaculi cuiusque iuris; quasi precario. eaque talionis ratione, quâ apud Romanos constitutum fuerat, vt qui sub eo imperio degerent, Romana iura, quin & officiorum nomina susciperent. *Auth. De Armenicis, & vt ipsi per omnia Romanas sequantur leges. & Auth. de descript. quatuor præsid. Armen.* adeò vt hodie in ipso Latio, in ipsa Roma posteræ Imperatorum constitutiones energiam suam non agnoscant, & in ipsa Germania splendidum magis nomen, & decus gerant, quàm virtutem sentiant. 5.

Hinc nata tam innumera non regnorum tantùm, & prouinciarum, sed singulorum districtuum, territoriorum, ciuitatum, oppidorum, pagorum, villarum statuta, quibus discendis nulla iam sufficit ætas, nec ad doctrinam pertinent, nisi in suo quæque climate. & sæpè peruerso hodie iuris omnis & rationis modo. nam quod domi suę natum esset, quod diuturni mores consensu vtentium comprobassent, cuiusque ciuitatis ius dicebatur: hodie iis qui ditionum aut vrbium statuta conscribunt, non sufficiunt vsu receptæ consuetudines, vt eæ in scriptum redigantur, sed officio suo non bene sibi functi videntur, nisi magnam partem Pandectarum, & Codicis in li- 6. *Vnde tam multa statuta?*

libellos suos contraxerint, sed & quarumcumque externarum gentium scita, vsus, & abusus in suam œconomiam traduxerint, etiam ea quæ patriis nominibus explicare non possint. Quo morbo Belgæ etiam nostri laborant, faciles exterorum morum, idiomatum & vestium admiratores & receptores, adeò vt & omnem morem suum nonnihil inolitum priuilegij nomine vestiant, quę si quis attigerit, sacer mox & intestabilis censetur. erat optandum, vt quę vera priuilegia non forent, in vnam consonantiam componerentur. & fuisse creditur aliquibus Principibus id propositum, sed ne quem motum ciërent distractis.

7. *Recognoscenda illa, & probanda aut reiicienda.*

Quod fieri commodè potuit, fecit Albertus Pius, qui an. 1611. controuersa quædam Iuris Romani decidit, quosdam ex moribus belgicis meliùs dispositi; & omnes non emologatos hactenus à Curia, scriptos ad eam transmitti voluit, examinandos; & porrò vt singuli qui de rebus & fundis statuunt suis territoriis concluderentur, & suas in iis vires dumtaxat exercerent. vtinam Deus vitam ei longiorem dedisset! vt cętera ex Iure hodie & moribus hîc controuersa maturâ deliberatione composuisset.

Vtinã sic vbiq; res eo reduceretur, ne leges retia litigantiũ, & thesauri contentionum, lucra patrocinantiũ audirent: & superfluis resecatis liquida claritate iustitię breui constitutionũ epitome consultum esset. vt nec opus foret tanto pragmaticorũ exercitu, qui vt singuli viuant, ne singulos litigantes depascantur, qui si omnes toto Christiano orbe in militiam armatam numerarentur, inundationi Turcorum opponi possent. Paucæ, claræ, & decisæ leges & sciri faciliùs & obseruari possent, si modò & illud caueretur, ne tam superstitioſę litium negotiorumque essent actiones. qua de re alibi diximus. neque absonum est ei fini iudicium Besoldi optantis erigi Collegium quod de Iure responderet, quoties partes in facto conueniunt. vt in Saxonia esse ait, & in Turcia quod Testam vocant.

8. *Breues Leges.*

Paucitatem legum ex vicino imitatur Breuitas. *Legem breuem esse oportet quo faciliùs ab imperitis teneatur, veluti emissa diuinitus vox iubeat, nõ disputet.* Sen. *ep.* 94. quare & addit; *nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius quàm lex cum prologo.* & Plato censuit, *l.* 4. *de leg.* Proœmium legis naturâ nullum esse, nec XII. Tab. habuerunt. tametsi in iure nostro secus multas leges cum causa impulsiua & finali explicata, aliisque rationibus additis latas videamus,

deamus, maximè Iustinianæas, & præsertim Nouellas; moti hi credi possunt vt faciliùs legem persuadeant, non imperent tantùm, vt non voluntatis esse solum, vt quidam volunt, sed & rationis videatur. Azor. *Inst. mor. p.* 1. *l.* 5. *c.* 2.

Huc & pertinet, clarę sint leges. non ambiguæ, simplices, eodē modo edicta clara esse & perspicua oportet atque manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineant, *c. erit autem lex. dist.* 4. *vnde Deut. c.* 27. *& scribes super lapides omnia verba legis huius planè & lucidè.* Lex enim non debet ambages continere, sed veteres abrumpere. *l. fin. C. de interdict. & relegat.* Adeoque ne vel in syllabis hæsitetur, non sensu tantùm legis, scribi eam oportet extensè sine notis seu breuiaturis, *l.* 1. *C. de vetere Iur. enucl.* Qui scribunt leges captiosas, vtuntur statera dolosa, cuius abominatio apud Deū, *Prou. c.* 2. quibus comminatur Isaias *c.* 10. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis?* sed & leges eo sermone latæ quo populus vtitur, vt intelligantur (quamuis Romani è maiestate esse putarint latino ferri, eumque omnes scire) eo publicentur, vt ligent, non eloquentes, sed præceptiuæ. 9. Claræ.

Iuris iter longum, iustitiæque breue est.

Vitium legis, inquit Quintil *l.* 2. *c.* 4. *aut in verbis, aut in rebus est. In verbis quæritur, an satis significent, an sit in his aliquid ambiguum. In rebus; an lex sibi ipsa consentiat, an in populum ferri debeat, an in singulos homines: maximè verò cōmune est quærere, an sit honesta, an vtilis; nec ignoro plures fieri à plerisque partes, sed nos iustum, pium, religiosum, cæteraque his similia honesto complectimur; iusti tamen species non simpliciter excuti solet; aut enim de re ipsa quæritur, vt digna ne pœna vel præmio sit: aut de modo præmij pœnæue, quia tam maior quàm minor culpari potest; vtilitas interim naturâ discernitur, interim tempore.* 10. Non ambiguæ, iustæ.

Saluti publicæ, quæ priuatam continet, inuentę sunt leges. Cicero *lib.* 2. *de leg. Constat profectò ad salutem ciuium ciuitatumque incolumitatem, vitamq; omnium quietam & beatam, conditas esse leges, eosq; qui primum eiusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis, susceptisq; honestè beateq; viuerent, quæq; ita composita sanctaq; essent eas leges videlicet nominarunt.* 11. Vtiles, honestæ.

Et Plutarchus; *In ciuitate quædam ad honestatem, quædam ad necessitatem pertinere*; honestorum summum & primum esse

τὴν

τὴν εὐνομίαν, necessariorum τὴν εὐπορίαν affluentiã. & Diodor. Siculus *lib.* 1. *histor. Optimæ leges censendæ sunt, quæ non opibus maximè homines cumulent, sed quæ morum humanitate, rerum ciuilium prudentiâ, quàm instructissimos efficiant; quæ ita publicam tranquillitatem conseruent, vt priuatim ciues omnes virtutis semitam sectentur.* quæ priuatim ad vitia ducunt, occasiones, & causæ rescindendæ

12. *Ad bene viuendum ducentes.* sunt. qui priuatim est bonus, publicè bonum fore credendum est: qui malus priuatim, publicè bonus non erit. Vnde Arist. 3. *polit. c.* 6. dicit finem ciuitatis esse, bene viuere; neque enim esse potest bonus ciuis, qui omnino non sit bonus homo. & *c. vlt. polit.* vult tam Principem quàm ciues habere virtutem, sed in ea Principem excellere. Impiè ergo ait Marchiauellus aliquid religioni posse detrahi, vt pax & prosperitas conseruetur. sed nec ille, nec eius doctrina ad eum pertinet, qui testamento suo pacem nobis consignauit, *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* mundana pax illa est. & *mundus eum non cognouit.* & cùm finietur mundus, non ille eum cognoscet, aut confitebitur coram Patre suo.

13. *Pro genio gentis.* Genium porrò cuiusque gentis legislator considerabit, & qua ad virtutes inclinabit, iuuabit: qua ad vitia, obstabit; & tantũ seueritatis legibus addet, quantũ vitia creuerunt. fiunt enim leges, *vt earũ metu humana coerceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. c.* 1. *dist.* 4. & maximè Ecclesiastici legis-latores peccata corripere, & peccantes corrigere debent *c. nouit. x. de Iud.* Debent enim leges accomodari ad Remp. non Respub. ad leges. vnde exactis Româ Regibus exactæ leges regiæ *l.* 2. §. 3. *de orig. Iur.* Cognoscenda gentis natura legislatori, vt medico morbus ęgri; inde lex illa Mosaica ad geniũ Iudææ gentis lata, & proinde illa optima à prudentissimo legislatore, non tamen optima simpliciter, & quoad omnes gentes, quæ adeoque nec moribus eam retinuerunt, aut receperunt, quamquam & in ea sint quamplurima moribus contrariis meliora.

Leges iustas & ęquales esse oportet, & propter commune

14. *Iustæ, æquales,* bonum impositas. Ouid. 3. *Fast.*

——— *Datæ leges, ne fortior omnia posset.*

& Sen. *ep.* 60. legẽ vocat armatam virtutem. vnde rectè Plutarchus, *lib. de doct. princ. stoic. Herm. de leg. tot tantisque muneribus, & bonis, quæ dilargiuntur non licet frui, nec vti rectè, si desit lex, Iustitia, & Princeps; itaque iustitia legis est finis, lex autem Principis opus.*

Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. *l. Iura D. de leg.* est enim lex commune præceptum ad communem

nem vtilitatem ſtatutũ. *l.* 1. *D. de leg. Leges*, inquit Cicero, *l.* 2. *de off. inuentæ ſunt quæ cum omnibus ſemper vnâ atque eâdem voce loquerentur*. quamuis enim de priuato ferantur, etiam publicam tamen vtilitatẽ reſpiciunt. Ariſt. *l.* 3. *Ethic. c.* 6. Plutarch. *problem.* 40. hinc Cicero *lib.* 1. *de Inuent. Eâ virtute, & ſapientiâ maiores noſtri fuere, vt in legibus ſcribendis, nihil ſibi niſi ſalutẽ ac vtilitatẽ Reip. proponerent. Ordinatio noſtra*, inquit Caſſiodor. *variar. lib.* 11. *c.* 9. *vtilitatem publicam dumtaxat reſpiciat*. Laudat inde Athenienſes Æſchines *Orat. in Timar.* nempe *quia leges à vobis ſanciuntur habitâ ratione æquitatis, non iniuſti lucri, neque odij priuatorum, ſed ipſius iuſtitiæ, publicæq; vtilitatis dumtaxat, & quia ingenij dexteritate alios omnes populos antecellitis, non mirum eſt vos ferre pulcherrimas leges.* 15. *In publicã vtilitatẽ, non priuatam ſtipræ.*

Quâ ratione etiam priuilegia niſi publicam vtilitatẽ contineant, iniuſta ſunt. non tantùm, quia à lege exorbitant, ſed quia publicam vtilitatem, & quietem offendunt, ac ſeminaria ſunt diſcordiarum; tum ex aliorum inuidentia, tum ex vſitato priuilegiorum abuſu, qui fini priuilegiorũ aduerſatur. & quanquam, vt ait Auguſt. *ſerm.* 247. *de tempor. iudicio legum iure obtentâ dignitate deiicitur qui priuilegio ſibi conceſſo abutitur*: tamen non ſine populi motu auferri poſſunt, ſeditionibus materiam præbent, vim & neruos principatus incidunt, ac proinde moderatè ac vix dum bene meritis concedenda ſunt, niſi fortè honoraria, quæ ad virtutem excitent, quę nemo oderit; niſi qui & virtutem. quæ priuilegiarios dum eximent, alios non grauent. quæ politiã non turbent, ſed cõmuniant: quæ ita priuatis gratificentur, vt ad Reip. tamen bonum dirigantur. cuiuſmodi ſunt priuilegia clericalia, academica, militaria, veteranorum, nobiliũ, patriciorũ, primogenitorum, ruſticorũ, mercatorum, artificum, dotium, plurium liberorũ, & ſexcenta alia, quorum tamen omniũ ratio publicam vtilitatẽ reſpicit. ſed tantâ prudentiâ ſepienda ſunt, vt in nullorum iniuriam tranſiliant, vt clericus oret, nõ de altari luxurietur: vt ſcholaris ſtudeat, non diu noctuq; oberret, libris ſitu obſitis; miles limites defendat, hoſti inſidietur, non ruſtico, viatori, hoſpiti, ſtipendiis contentus; Nobilitas maiorũ legat veſtigia, nõ faſtu plebẽ irritet: Primogeniti iura protomiſeos ſplendori Reip. & familiæ inuenta credant, nõ vt reliquũ ſanguinẽ deſpectent, aut oſtiariæ mendicitati ſubiiciant; Ruſtici colendo, ſerendo, metendo abundãtem ſegetẽ curent, non annonam flagellent, aut in viis latrocinentur; Mercatores quod ciuitati aut prouinciæ deeſt, aliunde aduehi: commeatibus, & cuiuſuis generis mercibus, ciuitatẽ, prouinciam impleant, non monopoliis lucrum ſuum faciant. 16. *Quâ etiam priuilegia vergant.* 17. *Nec ea tamen facilè concedenda, niſi honoraria, ad publicum bonum.*

Arti-

Artifices neceſſitati omnium ſubueniant: immoderatâ mercede neminem grauent: dotes mulierum lapſis mariti fortunis ex incendio debitorum ita efferantur, vt nulla, præter numeratam, creditoribus ſumma decedat. neque enim priuilegiis vllis vti nocentes permitti debent. *Auth. de mand. Prin. §. non permittas.* ſed priuilegia omnia ita intra terminos ſui finis coërceri, ne quid eos prætergrediatur, quod publicam tranquillitatem poſſit offendere. Nam rectè Greg. *c. 7. diſt. 74. priuilegium meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate.* Quantiſper porrò nec publicam vtilitatem excedit conceſſio, nec imminuit vſus, retinenda omni modo ſunt, quamquam conceſſio rarò ſit facienda, rariùs tamen imminutio, vel abrogatio. periculoſa enim hæc eſt, & tam obſtinatè ſæpè reſiſtitur, vt Principes & Reſp. in præcipitia, & ruinam trahat, nec vmquam tam grata eſt conceſſio, quàm ingrata abdicatio.

18. *Minus abroganda.*

Quamquam alioquin Principes liberalitas Diuis ſimillimos, & gratos maximè facit populo, tum quę exhibetur ſingulis, tum maximè quæ vniuerſis; illa quidem priuatos paucos deuincit, hęc autem omnes. Huius generis ſunt indulta, priuilegiaque quę collegiis, vrbibus, prouinciis, ditionibus conceduntur & ſi quidem conceſſio fuerit gratuita omnino, tametſi beneficium Principis decet eſſe manſurum, exiſtimant tamen multi, pręſertim Galli, reuocari poſſe, quin etſi acquiſitio fuerit oneroſa à ſucceſſore, quin & ab ipſo concedente reuocari poſſe ex cauſa boni publici; dummodò tamen indemnes ſeruentur quibus auferuntur. Hinc in Gallia atque alibi obtinuit, vt priuilegiorum à ſucceſſoribus petatur confirmatio, quod ipſe Tiberius primus Romę in vſum inuexit, decreuitq; vt indulta à Principibus defunctis beneficia non aliter rata haberentur, quàm ſi ipſe firmaſſet, cùm antè Principis beneficium niſi ad tempus datum eſſet, perpetuum haberetur. Suetonius *in Tito.* quem addit ſuperiorum Principum beneficia vno confirmaſſe edicto, nec à ſe peti paſſum eſſe. Aurel. Victor *in Domitiano, cùm donata*, inquit, *conceſſáue à prioribus Principibus firmare inſequentes ſolerent, ſimul imperium cœpit talia poſſidentibus ſponte caut.* refertur illud *lib. 10. epiſt. Plinij.* refert & Bartolus *in conſtitutione, Ad reprimendam, in verb. reges. n. 21.* ſe deputatum à ciuitate Peruſiana ad Carolum IV. Imperat. non aliter obtinuiſſe priuilegiorum illius vrbis confirmationem, quàm ad reuocationem vſque ſucceſſorum. odioſa priuilegia, & iuri contraria. ſub hac ratione Hoſpital. Cancellarius

19. *An à ſucceſſoribus confirmanda?*

20. *Quomodo?*

Galliæ

Galliæ noluit sigillum appendere diplomati regio, quo perpetua immunitas dabatur. Improbauit id Bodinus, quasi illud verbum *perpetuum* interpretationem reciperet à re subiecta, scilicet in priuiligiis vsque ad reuocationem: probarunt alij, quod religiosum magis esset non dari iis verbis priuilegium, cui si postmodum derogaretur, fides regia imminuta videretur. iuuari enim, non decipi beneficio nos oportet. Ego quidem non dubito beneficium personale personam sequi, & cum ea extingui, sed & *decere etiam beneficium à Principe concessum esse mansurum c. 16. ibid.* Romani iuris id fuisse vsque ad Tiberium, Titum ab ea æquitate recedere noluisse, aliosque bonos Principes Tiberio dissimiles; nec tamen etiam dubito quin Princeps, si boni publici necessitas exegerit, derogare possit priuilegiis gratuitò concessis. vt tradi solet *in d. c. 16.* sed tamen non leuiter consideratum bonum publicum velim, qualiter aliqui Galli vniformitatem aliquam constitutionis regiæ alicuius existimant etiam alioqui sufficere ad derogationem priuilegij onerosi, quod est tollere omne priuilegium, quippe semper ab vniformitate iuris abit. Rectiùs alij id admittunt, cùm incipit priuilegiũ esse damnosum priuatim nimis, vel publicè. iuxta *c. suggestum. x. de decimis.* mitigandũ, minuendũ, tollendũ, prout damni nõ iniuriâ dandi cautio exigit.

21. *Non infirmanda nisi summa causa.*

Denique existimo etiam priuilegium grandibus meritis in Principem aut Remp. aut etiam numeroso ære obtentum, cùm grandis est Reip necessitas, reuocari in vnam præsertim vicem, vel suspendi posse: sed nolim imaginariam admitti necessitatẽ, aut compositâ ratiocinatione productam magis quàm ineuitabili quodammodo fato; non secus quàm priuatos fundos, excitandis fortè arcibus pro necessaria Reip. defensione, auferre priuatis licitum est; priuata enim publico cedunt, vt membra corpori. sic tamen vt ex publico pretiũ repẽdatur. Extra hunc casum quo priuatis res suas inuitis auferre liceat, onerosa priuilegia abrogare neq; fas esse puto, neq; securum. concitatur populus non secus, quàm raptis leëna catulis, si, quod cariſſimũ habet, ei excutiatur, in ijs præsertim ditionibus, vbi & priuilegia multa sunt, & sanguine multo olim empta, adulterina consilia quæ in neglectum ducant. Experti id sæpiùs multi, præsertim Duces, militiâ quã politiâ meliores, qui de illa statuere, in hac aliena cõsilia sequi didicerant eorũ, apud quos non satis æstimatũ illud Taciti, *Morũ, inquit, animorum, prouinciæ nisi sint gnari, qui de ea consultant, perdunt se & Remp.*

Vix aliquid in moribus Belgarum est, quod non suis priuilegiis nitatur. non alia natio est, quæ tantis animis ea promeruerit, tantis defendat. Albertus sanè tam piissimus, quàm prudentissimus Princeps noster, nullis vnquam consiliis induci potuit, vt iota vnum ex priuilegiis nostris expungeret. si quid per subreptiones in contrarium obtentum erat, monitus statim rescidit, indignatus iis, qui transuersim obrepserant, aut consiliis abduxerant.

22. *Iustæ leges.* Iustas porrò leges esse oportet aut non leges. quia *lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi; quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam.* Cic. *lib.* 1. *de legib.* non enim Ius ex iniuria facere lex potest, nec bonum ex malo; nos enim, inquit ibidem, *legem bonam à mala nullâ aliâ nisi naturali normâ diuidere possumus.* & Augustin. *lib.* 19. *de ciuit. Dei c.* 21. ostendit geri sine iustitia non posse Rempubl. vbi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. quod enim iure fit, profectò iustè fit. quod autem fit iniustè, nec jure fieri potest; non enim iura dicenda sunt vel putanda, iniqua hominum constituta, cùm illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de Iustitiæ fonte emanauerit, falsumque esse quod à quibusdam non rectè sentientibus dici solet, id esse jus, quod ei qui plus potest, vtile est. Audiat Marchiauellus doctrinã Augustini, & sequatur; si ciuitatem & Remp. suam dirigat ad Ciuitatem Dei, quò Augustin. si ad ciuitatem Belial, videant quò ducantur, qui doctrinam sequuntur, de cuius promptuario impia doctrina desumitur. Aliter æterna illa sapientia: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Iustiùs Cic. *lib.* 2. *de leg. eos qui pernitiosa, & iniusta populis iussa descripserint, quiduis potius tulisse quàm leges. vt perspicuum esse posit in ipso nomine legis interpretando inesse vim & sententiam iusti, & juris colendi. quòd si,* inquit Cic. *lib.* 1. *de leg. populorum iußis, si Principum decretis, si sententiis Iudicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, ius adulterari, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur.*

23. *Honesta.* Denique sicut inter Iuris præcepta primum refertur honestè viuere; ita leges quæ vitam ciuilem formant, honestatem continere, eóque ducere debent; ideoque & legislatores non præterire eas leges conuenit, quæ ad disciplinam pertinent, & ad mores. quibus & censoria diligentia præficienda est; quam in vsum magis reuocari expediret. legendique censores quàm optimi, qui parati sunt in alium dicere, & careant omni vitio.

Vt

Vt lex porrò non destituatur iis quas diximus conditionibus, maturè ea rogari, examinari, iuberi debet, vt Romæ post trinundinum demum suasa, dissuasa, disputata, demum sub libero populo iubebatur, sub Principibus diu examinata adhibitis in consilium præclarissimis viris. Augustus) Xiphil. in Aug) multas leges condebat non suo consilio, sed eas ad populum ferebat, atque omnibus iis qui possent emendandi faciebat potestatem. sic Lamprid. *in Alex. Negocia*, inquit, *& causas prius à scriniorū principibus & doctissimis iuris peritis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinariqúe, atque ita ad se referri iussit.* quod maximè in legibus obtinebat, vti per I. C^tos. antè concipi solerent *Auth. de mand. Princip. §. 1. & l. 8. C. de legib.* 24. *Maturè serenda.*

Quia leges senescunt atque nascuntur, Gell 20. *c.* 1. mutari eas posse, nihil est dubitandum. non quia, vt docet August *confess. l. 7. c* 3. iustitia mutabilis sit, sed quia tempora atque homines, & loca mutantur: nec valent homines sensu causas contexere sæculorum priorum, aliarumqúe gentium, quas experti non sunt; in vno autem corpore, vel die, vel domo facilè possunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus, personisqúe congruat, ideoqúe in illis offenduntur, in illis seruiunt. 25. *Mutandæ non facilè.*

Sed quia legum mutatio multa secum vehit incommoda, rectè Mecænas ad August. *Leges firmiter retine, nec quicquam in his muta.* & apud Medos *Daniel.* 6. edicta regum immutabilia fuerunt. & Philosophus, *lib. 2. polit. c.* 6. non facilè vult legem mutari, sed vel errata potiùs legislatorū, legum dissimulari. rationem ex graui incommodo addit; *non enim tantum proderit qui corrigere perget, quantum nocebit assuefactio superioribus non parendi.* Adeoque *l. 2. D. de constit. in rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure quod diu æquum visum est.* Euidens, inquit, vtilitas, non quæ causis problematicis, in vtramque partem disputationem suppeditet; nam veterum legum damna apparent, nouarū latent. nouitas omnis suspicionem, querelas, commotionem populi producit; facilè creduntur, qui veteres abrogant, nouas rogant, sibi rogare, non publicę saluti. vt non immeritò apud Locrenses, qui legem nouam suadere voluerunt, nec potuerunt persuadere, fuerint puniti: sed crudeliter, quod laqueo. frequenti mutatione etiam optima quæque concutiuntur, & rectissimè constituta inuadit nouandi cupido.

Cunctarum est nouitas gratissima rerum.
Vilia sunt nobis quæcumque prioribus annis
Vidimus, & sordet quidquid spectauimus olim.

Prudenter Cleon. censuit meliorem esse statum Reip. quæ deterioribus legibus vtitur, sed firmis; eâ, quæ frequenter eas commutat. nam, vt August. *epist.* 118. *ad Ianuar. ipsa mutatio consuetudinis (& legis consultæ) etiam quæ adiuuat vtilitatem, nouitate perturbat.* quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.

26. Neque consuetudine.

Quæ consideratio efficit, vt legislatori summa ratio consuetudinis sit habenda. Consuetudo eorum quibuscum versamur, si non sit peruersa, obseruanda est. *c. omnia* 16. *q.* 3. *c. omnes dist.* 1. *cap. mala dist.* 8. inuiolabilis est consuetudo, quæ nec humanis legibus, nec sacris Canonibus obuiare monstratur. *c. Ecclesiast. dist.* 11. in his rebus de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorũ pro lege tenenda sunt. *tot. dist.* 12. Sed sicut immemoriales consuetudines vellere non oportet, ita nec nouas admittere, quæ sanctos Canones, aut iustas leges, & nouitate suâ Remp. turbent. Sanctum simul ac prudens monitum est Nicolai Papæ ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum: *Mala consuetudo, quæ non minus quàm pernicioſa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab improbis assumitur, & incipiunt præuaricationes celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari.*

CAPVT II.

De variis hominum generibus.

VT legum ferendarum, ita regiminis prima est ratio, nosse genium, naturam, condicionemque suę gentis, nosse vultũ pecoris sui. ea de re hîc instituẽdus sermo.

1. Varia hominum genera.

Natura homines liberos omnes creauit, & statu pares. mores gentium seruos dederunt, & dominos. veteres illos quidem rigido jure habitos, cum vitæ & necis potestate. posteriores moderatiori, qui deinde secutis sæculis in asscriptitios & id genus alios, denique in homines proprios degenerarunt, & pro locorum varietate, tum serui, tum domini in varios gradus ordinesque defluxerunt. Quacumque quis in Republica versetur, non sine periculo ordines turbauerit, nec sine periculo

periculo inuidis terminis nimium distinxerit, vt vetitis Romæ inter patricios plebeiosque matrimoniis, aliisque pluribus de causis ab vnis in aliorum inuidiam conceptis sæpiùs accidit politici magistratus ingenium tum in ea maximè claresceere possit, si corpus publicum publica concordia compaginarit, vt à vertice ad calcem vsque singula suis officiis membra fungantur, quemadmodum corporis physici partes alterę alterarum ope indigent, & coniurant amicè. 2. *Seruandi vbique gradus.*

Qua in re primas obtinet Censoria auctoritas, quâ illi quî naturaliter inter se distant, constantque, officio suo vlli nusquam desint, sed à natura pacta conuenta diligenter obseruent. Quos inter primi sunt parentes filiique, mariti atque vxores. illis leges scripsit natiuitas, hisce à Deo & primo homine primo marito in prima mundi creatione sunt expressæ, *Genes. c. 2. & 3.* 3. *Primum inter parentes & liberos.*

Primum parentum officium est filios alere, bonis moribus & bonis artibus instruere, virtutibus imbuere, pietate in Deũ, probitate ad salutem suam, publicamque educare, atque educere. debitum filiorum in reddendis vicibus consistit, vt parentes honorent, non reuerentiâ tantùm exhibitâ, sed etiam egestate subleuatâ. ob quã olim & liberos vendere licuit. 4. *Parentum officium & liberorum.*

Imperium paternum à naturâ quidẽ est, sed illud apud Romanos insigniter augebat patria in suos potestas, cui ius vitę ac necis inerat, sed amplitudo ob abusus restricta, remanente vestigio in filia adultera. *l. 20. cum seq. D. ad l. Iul. de adult.* Inde vetita sine patris consensu filiorũ matri[illegible] iure ciuili. quo & quidam ea irrita esse voluerunt. & Ec[illegible] quidem ea detestata est semper, vera tamen & rata esse censuit, nec soluere ea parẽtes posse. Trid. *sess. 24. c. 1. de mat. c. aliter. c. nostrates* 30. *q.* 5. *c. non omnis* 32. *q.* 3. Vnde etiam euenit, vt vota impuberũ à parentibus irritentur, & puberibus nec temerè præterito patre nec rogato monasterium ingredi liceat. Petrus Erod. *tract. fing. de iur. patrio.* quamuis nimis ille acerbè inuehatur in religiosum aliter ingressum: quem lex *Deo nobis § hoc etiam. C. de Episcop.* ob id vetat abstrahi, vel exheredari, vt ingratum; non concedit tamen ea lex, vt patrem contemnere possit, per eumque calcatum incedere, vt nec potest lex, nisi cùm ille spiritui ad salutem vocanti resistit. quod non facit, qui ignorat, qui experiri vult, num vocatio à Deo sit, an animi nouitatem appetentis, aut humeris imparia leuiter considerantis vitium potius, quàm virtus. cui rei noscendæ Ecclesia 5. *Patria potestas.* 6. *Sine ea non ritè matrimonia ineuntur.* 7. *Nec Monasticus ingressus.*

annum nouitiatus si præscripsit, quis credat reiecisse iudicium patris, filij salutem amantis, genium, naturam, vitia, vires, constantiam, mutabilitatémve pridem noscentis. Aliter sentit Chrys. *hom.* 84. *in Ioan. Sicut*, inquit, *cùm spiritualia impediunt parentes, nec cognoscendi quidem sunt; ita cùm nihil impediunt, meritò omnia illis tribuenda, & omnibus anteponendi.*

8. *Ex ea potestas in bona, suitas, emancipatio.*

Ex patria potestate & olim obtinuit vt filij nihil proprium haberent. quod tamen posteriores leges mitigarunt, *tot. tit. C. de bonis quæ liberis tot. tit. C. de bon. mat.* sed & necessarios habebant hęredes suos liberos. vt tamẽ antiquitus immorigerorum foret abdicatio. sed eâ sublatâ, & ingratorum exhæredatio admissa est. *l. abdicatio, C. de pat. pot.* restricta tamen deinde ad certas causas, *Nou.* 115. *c.* 3.

Emancipatio & olim & hodie frequentatur, rariùs hodie adoptio, matrimonio passim, & cùm parentes familiam separatam filiis permittunt, emancipatio inducta censetur, & soluta potestas.

9. *Defensio & conseruatio mutua.*

Vitæ conseruationem defensionemq; inuicem parentes liberique debent. nullum maius impietatis signum, quàm fœderis huius neglectus. Vnde & successione leges priuant, vt indignum filium patris necem non vindicantẽ. horrenda supplicia patricidis proposita, & à quibusdam legislatoribus omissa, quòd non crederent aliquo naturę abortu tanta monstra nascitura.

10. *Coniugum societas, & mariti potestas.*

Coniugio à natura æqualis inest amor, & qui superet paternum. *Genes. c.* 2. à culpa primæ vxoris originem habet mariti in vxorem potestas. *Genes. c.* 3 quæ tamen rebus humanis deprauatis retinenda est. Litteræ sacræ vxorem sub potestate mariti constituunt, & adiiciunt dominatum. apud pleraſque gentes olim & ad vitæ necisque ius porrectum. cuius reliquiæ in adultera in flagitio deprehensa, occidi per leges permissa. sed veteres mores rigidi ab hodiernis magis temperati, coniugiumque ad veriorem vitę societatem, & bonorum communionem redactum. quamuis vxor teneatur mariti socij dignitatem comiter colere quod libertatem non aufert. *l.* 7. D. *de capt.* Quò referendum matronæ ad sponsam monitũ: *Sint oculi tui suspensi in maritum, vt oculi ancillæ in manum suæ heræ, & tunc honorata eris in oculis eius. quòd si fueris ei ancilla, erit ipse tibi seruus, & honorabit te vt dominam: sed si extuleris te contra eum, erit tibi dominus, &c.* Sic Liuia Augustum, Dion. *lib.* 58. Monica morosum maritum vicit, August. 9. *Conf. c.* 9.

Modica

Modica tamen correctio marito etiamnum permissa est. Moscouitæ viciniq́ue ad verbera extendunt: Belgæ non ferunt. intra verba ergo hîc illa consistit. & quoniam maritus instar regis familiam gubernare debet, imprudenter fecerit, si coram liberis & familia vxorem coërcuerit, penes quos non est illius minuenda auctoritas. quia suo modo & illos regere debet, liberos præsertim iuniores, seruitia intra domesticos parietes, atque in rebus œconomicis.

Dominorum & seruorum inuicem respectus, longiùs recedit à naturali hominum fine. ex bellis enim natæ sunt seruitutes, contra ingenitam omnibus libertatem. vetustiori iure in seruos erat ius vitæ & necis; vsus omnis, & abusus: posteriores leges vetuerunt nimium sæuire, prostituere, aut ad turpitudinem vendere. ex potestate dominica nascitur, vt seruus ita domini iussum sequi debeat, vt etsi deliquerit ob eum excusetur, eiq́; ignoscatur, *ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris l. ad ea. D. de reg. Iur.* serui dominum obseruare atque defendere teneantur; adeò vt si domi sit occisus, omnes qui intra domum fuerint sontes insonteśque ad mortem rapiantur. Iura seruitutis bello inter vtrimque Christianos ardente cessant hodie: lytro capti redimuntur. in iis, qui in bello quod cum hoste infideli est, capiuntur, iura seruorum etiamnum obtinent. nisi quòd aliquę regiones, vt Brabantia nostra, tam puro aëre sint, vt si quis aliunde seruus aduenerit, statim ibi in libertatem proclamare possit, & ab ipso aëre manu-missus censeatur. 11. *Dominorũ & seruorũ respectus.*

In hodiernis seruis conditio admodum est mitigata; homines proprij, de *main morte*, adscriptitij, aliiśque nominibus, aliis atque aliis in locis vocantur simulachra potiùs seruorũ, quàm serui: deuictis gentibus agros colere olim iussi, ne infructuosi victoribus essent, Paschier 4. *Rech.* 5. & quia, qui Europã vicerunt, pulsis Romanis Germani fuerunt, latiori voce seruitus ea ad morem Germanorum inducta, quem Tacitus illis asscribit: *non seruis vt apud Romanos, per familiam descriptis ministeriis vsi sunt, suam sed quisque sedem, suos penates habent, frumenti modum, aut pecudis aut vestis domino iniungente.* Vel, quod magis placet Besoldo, hodierna seruitus accepto ferenda est adscriptitiis, deditiisque Romanis. vt apud Vopiscum Probus Imperator ad senatum scribit, *subactum esse omnem, quà tenditur latè, Germaniam, omnes iam barbaros Romanis arare, Romanis serere.* si non priora hæc illorum posteriorum armis, & legibus cessêre, vt agricolę, 12. *Quis hodiernus?*

censiti, glebę assĉripti, emphiteutæ, atque ob rem magis serui sint, quàm ex persona nummos aut species soluere obligati, & apud suos à publicis officiis multis in locis non alieni. Qua in re id quod conuentum, aut pridem obseruatum, excedi non debet. *l.* 1. *C. in quib. caus. l.* 3. §. 1. *C. de agric. & censitis.* & operę quidem indefinitę determinari, & ad certum numerum redigi possunt. *arg. l. si libertus.* 30. *de oper. lib. l.* 22. §. 1. *d. reg. iur.*

Inter ciues varij ordines. iuramentũ omnes principi præstãt.

13. Inter Ciues etiam varij sunt ordines, quos Bodinus *de rep. lib.* 1. *c.* 6. esse ait liberos homines, summæ alterius potestati obligatos, ex qua scilicet nascitur hominium seu homagium, juramentúmve fidelitatis, voce barbarâ, re antiquâ. Romani quotannis in facta Augustorum iurarunt, etiam sub Tiberio in verba Seiani. sed apud Dionem eo mortuo senatus decreuit in cuiusquam nomen nisi Imperatoris ne iuretur. adeoque præstatur ab omnibus subditis. §. *vasalli nostri de pace constant. in vsib. feud.* non tamen clericis. *c. nimis* x. *de Iur.* sed neque nisi à summis Principibus exigi potest, vti singularis prœeminentiæ symbolum à maiestate fluens, quę quantisper agnoscitur, præscribi non potest: neque rerum causa absolutum exigi, cùm sola bona subditum non faciant extra eorum causam: quæ complectitur iuramentum quod vasallus feudi domino præstat. *c.* 1 *qualiter iurare debeat vassallus domino fidelit. lib.* 2 *feudor.* quale iuramentũ longè differt abeo, quod quiuis subditus præstare tenetur, quà subditus & ciuis. & quòd si alicui infra summum Principem præstatur, semper ius superioris habet exceptum, *c. venientes* x. *de Iureiur.*

Inter Ciues, vt dicere cœpimus, varij sunt ordines, variæ diuisiones. pleni alij sunt, nõ pleni alij, & semi serui, capaces omnium jurium, & magistratuũ quidã actiuè & passiue, quidã non sunt, quidã inter viles, quidam inter medios, quidam nobiles, patricij, imperantes alij, alij subditi, quidã municipes, & coloni tantùm: quosdam origo, quosdã adlectio, ciues facit. quidã honoris tantùm gratiâ inter ciues versantur, incolæ, peregrini, aduenæ, qui cautè obseruandi, prœsertim mercatores; mendici tamen vagi & maximè validi eliminandi, & secernendi à natis intra territorium debilibus, miserabilibusque personis. & procul omnino pellendi ij, qui se Ægyptios venditant. de quorum origine optimè Pasquier *lib.* 4. *de Recherches c.* 17. & alij: cùm propter grauem populo mendicitatem, & furta, tum propter impias superstitiones, & dæmoniaca auguria, quibus populum dementant.

Inter

Inter ciues denique quidam eminentioris sunt conditionis, atque inprimis officij ratione quidam prosunt, & præsunt; quidam subsunt: humana societas regitur eâ inæqualitate. concordia hęc discors, & discordia concors apotelesma publicum pulchrè sustinet: tum Ecclesiastici, tum seculares alij aliis præstant, alij imperant, alij parent. bene cum iis rebus publicis agitur, vbi is est omnium ordinum mutuus amor, & nexus; vt & inferiores promptè obediant, & superiores sine austeritate imperent, nec cum arrogantia inferiores despiciant, gnari sine inferioribus corruere superiores, sine superioribus non dirigi inferiores, sed Andabatharum in pugnam & perpetuum chaos circum-volui.

14. *Semper atque apud omnes obseruata nobilitas.*

Nobilitatis etiam ratione quidam in Rep. eminent à plebe secreti, & inter se etiam gradibus distantes. quos conuellere non liceat sine titubatione machinæ politicæ. Nobilitas apud omnes gentes (Turcis, vt quidam volunt, exceptis) in pretio fuit, & obseruata. Romulus initio duos ciuium ordines instituit, senatores & ex his patricios, qui patres senatores ciere possent, & plebeios. His agros colere, pecora alere, opificia exercere: illis sacra curare, magistratus gerere, Remp. secum administrare, res vrbanas obire iussit; sed patriciorum fastu & plebis contemptu seditionem mouente, res admodum & sæpiùs mutatæ sunt; manst tamen nobilitas iis, qui orti erant ex illis, qui antiquo genere claruerant. quibus accesserunt qui Magistratum curulem gesserant; inter quos necdum erant equites, sed is ordo ex plebe sumptus ad munus iudicandi, sedes in ordinibus theatrorum seorsim accepit, solo censu lectus.

15. *Nominatim generis.*

Apud Hebræos & Græcos stirps atque progenies nobilitatem conferebat: apud Germanos nobiles olim fuerunt, quicumque seruitutē non seruierant: apud Hispanos quicumque ex Gothis; apud Gallos, quicumque ex Francis; apud alios quicumque ex gentibus olim victricibus descenderunt, & apud quos in eius rei signum gentiles homines dicuntur, ita vt communi earum nationum consensu nobiles origo faciat. *Omnes*, inquit Cicero *pro Sextio, boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reip. nobiles esse homines, dignos maioribus suis: & quia valere debet apud nos clarorum hominum bene de Rep. meritorum memoria.* quæ est illa æstimatio, quę in mortuis etiam durat, orta ex virtute, neque cum ea confundenda, sed distinctio agnoscenda virtutem inter & virtutis insignia. cui

non

non satis dant loci, qui in sola virtute Nobilitatem constituunt.

16. *Nobilitas descendit, non ascendit, aut transuersim porrigitur.* Cæterùm Nobilitas generis in omnes posteros descendit, non ascendit, neque abit in adoptatos, non in transuersos consanguineos, non ex materno tantùm genere, non ex damnato coitu natos, nisi Principis rescripto iuuentur, aut moribus regionum. vt extra Germaniam nonnullibi ex soluto nobili, & soluta nati pro nobilibus habentur. quibus etiam ius Romanum fauet, *l.3.§.spurios.D. de decur.*

17. *Virtus ad nobilitatẽ politicam inducendã publica auctoritate & codicillis eget.* Enim verò quamuis basis Nobilitatis sit virtus, & fortia facta: publicâ tamen opus est auctoritate, quâ stabiliatur: adeoque codicillis Principalibus, quando hoc federit maiestati. *l.3.C. de senator. lib.12. l.3.§. viros. C. vbi senatores.* quamuis nonnũquam eiusmodi codicilli ex gratia potius procedant, quàm meritis; tamen non licet de iudicio Principali disceptare, *l.3. C. de Crim. sacril. sit honoretur, quem Rex voluerit honorare. Esther c.* 9. eo tamen casu aliquibus videbitur eiusmodi Nobilitatem non porrigi extra concedentis territorium, præsertim si qui non supremi Principes (quibus id *d.l.3. verbis nostræ federit maiestati. C. de senator. l.12.* reseruare videtur) codicillos eiusmodi concesserunt. maximè si de aliquorum præiudicio agatur. vt de immunitate à collectis. vt & Imperatoris beneficium extra limites Romano-Germanici Imperij non extendatur: quamuis intra illud omnino prodesse debeat, etiam in Electorum ditionibus, aliisque quę à iurisdictione Cameræ sint exemptę; dummodò non omnibus Imperij luminibus obstruxerint, omnemque respectum maiestatis pridem excluserint.

18. *Ex professo & expresse eam largiẽtibus.* Ex professo autem huiusmodi codicilli condecorare Nobilitate aliquem debent; non nobilem tantùm appellare aliud agentes, quamuis non leuem probationem eiusmodi codicilli quasi pridem obtentę Nobilitatis faciant.

19. *Nisi officiis concessis annexa sit.* Tacitè tamen & quasi per consequentiam nobilitasse censetur Imperator, si quem de nobili feudo inuestiat, equestri dignitate donet, ad latus, ad consiliũ, ad comitatũ suũ admittat, palatinis officiis adhibeat. *lib.1. C. de domest. l. vn. C. de præp. labor. l. nemo. C. de dign. lib.12.* vt & eorum filios priuilegiis & immunitatibus gaudere summis pręiudiciis firmatum referat Papon. *Arrest. l.5. t.4. Arrest.* 4. quibus se Iurisconsulti annumerant; quamuis non ęquè medicinæ professores; quibus immunitates tantùm aliquas concedunt, non viduas eorum aut liberos honorant.

Mili-

Militia etiam armata præsertim cum aliquo imperio per plures annos obita, nobilitat, vt nomen militis in feudis pro nobili vsurpatur. quod nobilium proprium sit pro patria militare, *tot tit. de vasall. milit.* & ante pauca sæcula, vt soli nobiles feuda possidebant, ita soli militabant defendendæ ditioni, quam maiores olim deuicerant non admissis olim victis ne patriæ libertatis reminiscerentur, & arma tractantes illius recuperandæ desideriũ solicitaret ad res nouandas. Sanè apud Romanos, milites supra vulgum fuisse constat. *Auth. vt nullus mutuans agricolæ. in verb. milites autem altiori nitentes fastigio. & scituris militibus qui præsenti legi non esse obediendum existimant, quod cingulo denudati inter priuatos habebuntur.* 20. *Militia armata, quando nobilitet?*

Diuturna etiam possessio & præscriptio pro tacita concessione valet. donat, alienat, qui patitur vsu capi. vt & iuxta nuperum Alberti Pij edictum maiorum possessio turbanda non sit in iis, qui non nuper nobiliter se gerunt. falsi tamen tenetur plebeius nobilitatis insignia & priuilegia vsurpans. *Arg. l. eos. §. qui se pro milite. D. de falsi.* 21. *Possessio & præscriptio.*

Diuitiæ multis in locis nobilem faciunt, vbi sufficit, quem succo suo viuere posse, nec vilibus opificiis, aliisve indignis modis victum quærere. & fauet Bald. *in c. super de test. Alb. in l. Imp. in princ. D. de decur.* præsertim si opes sint antiquæ. Decian. *resp. 66. n. 40. vol 3.* & maximè feudum antiquum sapere Nobilitatem idem Bald. tradit *in proœm. feudo.* præsertim si dominica aliqua iura, subfeuda, canones, similiáve insignia adiuncta habet. feudum tamen recèns emptum, quamuis nobile plebeium non nobilitat, nisi, vt alicubi, consuetudo id habeat. res enim hominibus accedunt, non contrà: & Nobilitas nõ nascitur in ictu oculi, *l. stemmata, & ibi gl. D. de grad.* quin & Albertus nuper statuit feuda maiora nobiles titulos amittere, si in manum ignobilem venerint. 22. *Diuitiæ & feuda?*

Porrò Nobilitas quæ per rescriptũ datur, vt à multis coërcetur intra territorium concedentis, vt neque hac in ditione pronunciatus nobilis vbique talis habendus sit; ita & à Papa data ad patrimonium D. Petri restringitur, & à Principibus sęcularibus concessa à Clero in sacris non vsque quaque recipitur, V. g. in collegiis quę Canonicos requirunt à quatuor auis & proauis nobiles, non facilè admiserint humilibus parentibus natos, codicillis quamuis Principalibus decoratos, & haberi iussos ac si tot auos nobiles longo ordine recensèrent, sed codicillorum vires remittunt ad hastiludia & officia 23. *Codicillis nobilitatus an vbique & quoad omnes sit nobilis?*

secu-

secularia. An autem præbendæ Cathedrales Belgicæ nuper nobilibus affectę codicillares admittant, vt pluries vsus habuit, nolim modò disquirere.

24. *Sunt & inter nobiles sui gradus.* Verum enimverò & inter Nobiles sui sunt gradus; apud paucas gentes in vno omnes consistunt vt non nullibi quidam ita stulteſcant, vt se tam nobiles iactent ac regem suum. alij simpliciter nobiles, alij domi dumtaxat nobiles, & patricij, alij minorum, alij maiorum gentium sunt. Equites alii, Barones, Comites, Vice-comites, Duces, Marchiones, Principes, & si qua alia sunt feudorum nomina, quorum gradus, graduumque insignia, armaque diligenter discriminanda singulis competunt. de quibus Ioan. Holland. *dissert. de nobil. post med.*

25. *Et discrimina.*

26. *Inter pares vetustas & patria prærogatiuam dat. inter filios primogenitura, & si ante nobilitationē natos.* Inter gradu pares vetustatis & patriæ claritudo auget Nobilitatem. qui ab officiis nobilitantur, officiorum gradum retinent, in eoque temporis prærogatiuam. Sed quid de filiis ante codicillos & officia adepta natis? natura fauet, & *l. 5. D. de senator.* vt paternos honores filiis non inuideamus, & naturâ primos infra eos non locemus, quos ratio genituræ ad reuerentiam priorum vocat; & sacrę litterę: *Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* quare si quid spinosum *in l. 11. C. de dignit.* ita accipiendum est, ne naturam pungat, ne cruentet.

27. *Quid inter alios marte nobiles, alios arte?* Quid porrò inter eos statuendum, qui arte, alij marte Nobilitatem adepti sunt? conueniens est, vt in artibus militaribus nobiles milites, in litterarijs nobiles litterati, in communibus milites primas teneant. nisi officij splendor prærogatiuam concedat. Indignatus tamen refertur Lotharius, cùm in concilium adhibuisset mercuriales, simul & martiales, illiusque sub finem vt in duas classes decederent iussisset, consiliarium quemdam legum doctorem nuper à se militari baltheo donatum titubasse, dubium cui ordini se adiungeret; ac tandem ad nobiles deflexisse: Lotharium que iniquam ei electionem exprobrasse, quòd vnâ horâ mille equites creare posset, mille annis non vnum doctorem formare. & sanè Innocent. III. *in c. de multa x. de dig.* cùm ratio postulat aliquem pluribus beneficiis honorari, litteratas personas comparat non quibusuis gregariis nobilibus, sed sublimibus.

28. *Concessa nobilibus priuilegia seruanda.* Concessa porrò Nobilibus priuilegia enixè eis sunt seruanda, ne quo modo offendantur, nequid turbent. in salutationibus, ambulationibus, sessionibus primas teneant, in testimoniis ferendis eorum fides magis spectetur, promissiones (non testi-

teſtimonia) ſub fide Nobilium factæ, iuramenti fidem habeant, in cauſis crimininalibus per procuratorem agere, & reſpondere poſſint, domi examinari, iuratoriâ cautione dimitti, non in carcerem trahi, nec vmquam ob debitum ciuile. iniuriæ eis illatæ grauiùs puniantur: ampliora eis alimenta conſtituantur: à collectis eximantur, nec bonorum quidem cauſa, niſi recèns emptorum grauentur, nec tutelis ignobilium, niſi fortè cognatorum: pœnis corporalibus, niſi enormitas criminis exegerit, aut læſa maieſtas ſit, non afficiantur, non ignominioſis ſuppliciis, ſuſpendiis, virgis, flagellis, fuſtibus, tormentis, palinodiis ſubiiciantur.

29. *Nobiles virtute polleant, crimine careant.*

Caueant tamen ipſi Nobiles vt virtutibus ſe dignis, & quas Ioan. Hollanderus *Diſſert. de Nobilit.* commendat latè, inſiſtant. ne à maioribus degenerent, ne in crimen ſe dedant, ne turpibus miniſteriis, quibus ipſa merces eſt auctoramentum quaſi ſeruitutis, ne vilibus artibus, monetariis, argentariis, nummulariis, tabernariis, & exilibus mercimoniis ſe immiſceant. nam famoſis mercatoribus, & qui non tenuiter negotiantur, alibi dixi non officere mercaturam, præſertim ſi mores gentis id ferant.

30. *Agriculturã exercere poſſunt.*

Quemadmodum nullibi Nobilitati nocet agros colere. & olim quidem præcipua Nobilitas rus habitabat, & vrbanam infra ſe deſpiciebat.

31. *Paupertas, ſacerdotiũ, Religio, literarius gradus patrocinium non nocent nobilitati, an officium Notariorũ & Procuratorum?*

Cùm verò *Fortuna non mutet genus*, neque paupertas, neque Religionis ingreſſus, ſacer ordo, litterarij honoris gradus, non temporis curſus niſi immemorialis eam periment, nec Procuratorum, Notariorúmve officium, præſertim à Principibus eorúmve curiis ſupremis conceſſum, & apud eas exercitum. quâ in re tamen locis & moribus gentium aliquid eſt dandum. nam qui apud infimos & infra pedaneos Iudices, cum magna vitę turpitudine vt rabulæ, harpyæque forenſes illud exercent; procul dubio, ad eorum ferè condicionem degenerant, qui olim apud veteres Notarij & ſerui publici erant, de quibus accipiendæ leges hac in re aliud innuentes.

32. *Nec genere nobilibus intermediæ parentum viles mercaturæ.*

Porrò iis qui ex antiquo genere nati ſunt, non ita obſtant intermediæ patrum ſordes; ſi nihil ipſi commiſêre indignum, quin ipſi patri rurſũ prælucere, & auorũ ſplendorem repetere poſſint. tamẽ cedunt iis, quorũ patres nullâ maculâ ſe aſperſerunt. ſed & hos ipſos ſi à maioribus acceperunt nobilitatem,

eam recuperare, si se sordibus abstinuerint, iudicatum à senatu Sabaudiæ refert Anton. Fab. *in Cod. suo l. 9. tit. 28. definit. 1.*

33. *De Collegiis artificum.* Verumenimverò ciues ortu & professione viliores, intra vrbes præsertim artificiis, opificiis plerique sunt addicti, quæ vt probè magis exerceantur, atque ignara plebs minùs eorum operis, rebúsve per emptionem communicatis decipiatur, in collegia redigi solent; quæ statutis professioni suę idoneis infidas operas coërceant, improbas merces deiiciant. quâ procul dubio ratione è Republica est eiusmodi collegia haberi. sic Numa Romæ omnis generis opificum, quin & mercatorum collegia instituit; & secutis temporibus promota sunt. *l. vn. de priuil. corporat. & titulis aliquot sequent. C. l. 11.* alioquin paucis admodum in causis huiusmodi corpora sunt concessa. *l. 1. D. quod cuius. vniuers.*

34. *De eorum statutis.* Possunt ergo qui ius collegij habent in iis statuere, quæ arti suę exercendę idonea sunt, eamque in rem iurisdictione & castigatione modicâ vti in contumaces, dum ne aliquid ex publica lege corrumpant, *l. fin. C. de Iurisdict. l. fin. D. de colleg.* vt si quid statuant de monopoliis, quæ damnat lex *vn. C. de monopol.* de immoderatis comessationibus, mulctis in eas exigendis, epulis aduenticiis, inopibus etsi peritis in collegium non recipiendis, de opere alteri commisso ab altero non implendo, si decreta euulgent quæ non à maiori parte præsentium ordinata sunt, qui omnes vocari debent si extra professionem suam quidpiam ordinent, aut in alios qui de collegio non sint.

CAPVT III.

De institutione iuuentutis.

1. *Institutio infantiæ in omnem ætatem prodest aut obest.* POst gentis condicionem, naturamque cognitam adhibenda ars est, eaque principio ętatis. quare qui salutem Reip. curandã habent, non minimũ illius fundamentũ esse credant institutionẽ iuuentutis, virtutes aut vitia; quibus tenera ætas assueuerit, simul adolescunt, & in omnẽ deinceps ętatem adhærent. seruat odorẽ testa quo recèns est imbuta. si assueuerint pueri iurgiis, litibus, pugnis, neque ars naturam emẽdare studuerit, cùm prouectiores erunt, ijsdẽ vitiis Remp. turbatũ ibunt, materiam mutabunt, ingeniũ non mutabunt, paruis assuetum, magnis inferent: & qui de crepundiis olim decertarunt, summam Reip. arrodent, affligent, atterent: & [illegible] feræ

seræ tunc erunt monitiones, cùm ætas nõ amplius flexilis erit, & qui non est emendatus surculus, arbor corrigi non poterit, nisi per excisionem. Bona itaque iuuentutis educatio atque institutio, ad Reip salutem, mala ad euersionem quàm maximè spectat. Aristoteles, *lib. 5. Polit. c. 9.*

2. *Adeoq; & ad curam Magistratus pertinet.*

Ad hanc rem scitè Liuius *l. 7. Parua sunt hæc, sed parua ista non contemnendo maiores nostri maximã hanc Rem fecerunt.* atq; ita qui Reip. pręsunt in primis cõmendatam habere debẽt institutionẽ iuuentutis; etiam infantiũ, quorũ etsi cura ante omnes tangat parentes, tamen cùm illi desunt officio, Resp. est parens, & qui hanc curã illorũ vice supplere debeat. sed & maximè succedit in hoc officium, cùm illi iam sint adultiores; quibus iam scholæ aperiendæ sunt. Et quoniam ad exemplum magistri formantur plerumq́ue discipuli, deligendi sunt in primis probi & docti, qui iuuentuti præficiantur. vt sanè Persę olim iuuentuti Principes proposuêre, Xenophon *lib. 1 Phæd.* doctores legis à Moyse, Aãrone, Iosophat, constituti sunt.

3. *Eligendi apti præceptores.*

Præfecturam scholarũ Carolus Magnus sacerdotali ordini attribuit. Ludouic. Pius, & Lothar. gymnasiorum magisteriũ Episcopis. Choppin. *monast. l. 1. tit. 2. n. 8.* Eadem Eugenius statuit, in Synodo *c. de quibusdam 37. dist.* vt censores essent morũ iuuentutis, & magistrorum. eosq́ue constituerent quorum inculpata esset vita, mores iustæ reprehensioni non obnoxij, & peritiæ minimè vulgaris. *Fons enim*, vt rectè Plutarchus, *& radix virtutis est, institutio proba. vtquè agricolæ stirpibus pedamenta apponunt; sic probi magistri accuratis præceptis, admonitionibusq́; adolescentes suffulciunt, vt mores recti inde germinent.* Quod quantâ diligentiâ elaborandum sit, probat Trid. *sess. 23. c. 18.* & accuratè scripsit Dauid Lindanus affinis meus *libello de Instit. hominis.* sed & iussit Carolus IV. *in Bulla aurea tit. 26.* inter cætera quibus imperium regi ac sustineri putauit, vt illustrium Principum filij ab anno saltem septimo exteris etiam linguis eruditantur. & in Rep. Romana multis priuilegiis insigniores viri ad docendũ prouocati sunt. Theod. sanè & Valent. *C. de prof. lib. 12.* eos qui ad viginti annos sedulo docendi labore peruenissent, comitiuâ honorarunt, immunitate etiã inuitabantur, *l. nec intra cum seq. C. de profes.* salaria opima ex publico percipiebant, *l. 2. l. magist. 7. C. eod. l. 4. in fine de decretis ab ordine faciend.* Grammatici, Rhetores, Philosophi, Medici, & numero quidẽ competenti *l. si duas 6. §. 1. & seq. D. de excusa. tutor. d. l. 1.* Centena sextertia Vespasianus constituit, *vt in eo Tranquil.* quã summã

4. *Ea cura iam olim Ecclesiasticis commissa.*

5. *Honoribus & lautis stipendiis præceptores inuitandi.*

aiunt conficere bis mille quingentos aureos noſtros. & tanto fauore ſtudia promouebantur, vt quod eorum profeſſoribus erogari mandabatur, ad nullũ exemplum trahi poſſet, neque vllis aliis honorarium ex publico conſtitui. *l. vnic. C. de præb. ſalar.* & ſi decernebatur, decretum tanquam ambitioſum aut in gratiam alicuius factum reſcindebatur, *l. 4. de dec. ab ord. fac.* aut irritum fiebat. Legum verò profeſſores alibi quàm Romæ in Capitolio, & Conſtantinopoli, & Beryti docere non poterant, *in proœm. digeſtorũ. §. hæc autem tua. l. vnica C. de ſtud. lib. vrb. Rom.* hodie ſanè viliter nimis profeſſores habentur, ob exilia quæ à Rep. præſtantur ſtipendia. *Dat cenſus honores.*

6. *Alia per iudicem quoad ſtudia curanda.*

Quamobrem ante ſęculum alterum penes ſolos monachos litterę delituerant, ventumque erat ad extremam barbariem, donec liberalitate quorumdam Principum cœperunt litteræ reuiuiſcere, & ſucceſſit *Societas Ieſu*, quæ tum ad pietatẽ, tum ad eruditionem apertis iuuentuti ſcholis egregiè duxit. quod inſtitutum latiùs euoluit Conſen. *polit. lib. 4. c. 6. 8. 10.* ſed & *eod. lib.* rectè docet magno delectu ad artium liberalium, & ſcientiarum ſtudia admittendos eſſe diſcipulos *c. 7. c. 11.* Profeſſores ſcientiarum in honore habendos *c. 9.* Profeſſoribus & ſtudioſis priuilegia danda, & qualia, *c. 14.* quę data ſunt à Pontificibus & Principibus *c. 15.* qualia Rebuf. 180 collegit quæ *d. c. 15.* per epitomen referuntur. Academias & Gymnaſia publica inſtituenda *c. 13.* gradus & honores legitimè conferendos eruditis, eoſque magnificiendos, *c. 16.* litterarum ſtudium non obeſſe politicæ prudentiæ, ſiue togatæ, ſiue militari, *c. 12.* Grammaticam *c. 8.* Poëſim *c. 19.* Eloquentiam ſolutæ orationis diſcendã: Philoſophiam Reip. vtilem *c. 23.* ſtudium Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ, Matheſeos, *c. 24.* Medicinæ, *c. 25.* promouendum. ſed priora quidem omnia tamquam introductiones ad altiores ſcientias diriguntur. ad Remp. verò capeſſendam Iuris prudentia lapis eſt angularis. ea docet iudicia, vrbium, prouinciarumque regimina, ſubſidiis aliarum ſcientiarum iuuatur valdè, & ornatur; & eloquentiæ quidem non parum, ſed maximè hiſtoriarum cognitione. in quibus diſcitur, & cernitur prudentia, ex moralium dogmatum inquiſitione, Chriſtianis ac ſacris, Prou. & Salomon. & Eccleſiaſtici, Pſalmographi, aliiſq; libris, ſed & gentilium philoſophorum, quorum doctrinam tamquam ab iniquis poſſeſſoribus vendicamus, & inius noſtrum redigimus *c. dominus declarauit. 1. q. 1.*

Hiſce omnibus diſciplinis academiæ aperiendæ ſunt; quibus

bus numquam orbis caruit, vt Lipsius *in Lou. c. 6. l. vn. C. de stud. lib. vrb Rom. l.* 11. Consen. *d. l.* 4. *c.* 13. quæque semper magnatibus inter primas curas fuerunt. atque adeò earum confirmatio ad iura maiestatis relata, & quatenus ad spiritualia spectant, Papæ reseruata. Et insignis consideratio est de rebus & personis academiam constituentibus, dignitate Rectoris, & Cancellarij, Collegiis, facultatibus, Professoribus, de honoribus scholasticis, eorum antiquitate, potestate, gradibus (qui tamē non dissolutâ facilitate tribuendi, non nisi ritè emeritis: ne cruda adhuc studia in forum propellant, ne audaciâ pro sapientia vtantur, ne initiatos se credant, cùm tantùm in vestibulo sapientiæ hæserunt, & vilescat honos sic vulgatus) de studiosis qua tales sunt, eorumq; priuilegiis, de jurisd. acad. emica, tribus ludicibus studiosorum, an academicus criminalem habeat, an territorio inhærentem, ad quem ab eo prouocetur. quę omnia non nemo tractat. *Academiarum institutio.*

8. *Peregrinatio.* Academiarum ratio etiam exemplo Lacedęmoniorum commendatur; qui inuentutem extra sinum maternum, extra domum paternam instrui volebant. excitant alieni vultus sui aliorumque notionē, domestica quibus semper assueuerint iuuenes, veternum fouent; quare & studiosos ętate nonnihil maturiori peregrinari consultum est. *In terram alienigenarum gentium pertransiet. Eccles. c.* 9. domi nascuntur Hectores, foris fiunt Vlysses. vt illius est commendatio, *qui mores hominum multorum vidit & vrbes.* Peregrinatio tamen finem eum habeat, vt mores hominum videantur, non tantùm vrbes, castella, sepulcra, amphiteatra, templa, palatia, columnę, statuę, ruinę; sed & vt dignoscantur genij, & leges populorum, vt ea notitia in Reip. vtilitatem deinde conuertatur. Lipsij epistola ad Phlippum Lanoyum. ideoque potius ad eos populos diuertant iuuenes, qui cultioribus sunt moribus, à quibus aliquid disci possit, quod in rem nostram vertatur. quâ tamen cautione peregrinandum & quo fructu pleniùs apud eos requirendum est qui eam rem ex professo tradunt. Perpetua esse peregrinatio non debet, vt nec studia: sed suo tempore circumscripta, vt Heluidij Prisci *apud Tacit. 4. Hist. ingenium illustre altioribus studiis iuuenis admodum dedit, non, vt plerique, vt nomine magnifico segne otiū velaret, sed quo firmior aduersus fortuita Remp. capesseret. nam sæpè quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoque intemperie laboramus. non vitæ sed scholæ discimus.* Sen. *ep.* 107. inde sequitur turpis affectatio literarum, doctrinæque ostentatio.

CAPVT IV.

De Castitate.

1. *Mala à libidine.*

VT Iuuentus bene adolescat in ætatem Reip. vtilem, inter summa præcepta referenda est obseruantia castitatis. Sacræ siquidem & prophanæ historiæ omniũ sæculorum & gentiũ plenę sunt funestis cædibus, excidiis vrbium, vastationibus prouinciarum à libidine inuectis. Hispaniam solam testari lubet, vbi vir nobilis ignominiam filię à rege illatam vindicare volens, Saracenos inuitauit, qui victimas violatæ pudicitiæ vltrà septies centena Christianorum millia immolârunt. totamque ditionem ad montes vsque Pyrenæos occupârunt, & tot sæculis insederunt, vt vix patrum nostrorum memoriâ reliquię sunt eiectę.

Vix Remp. inuenies imperio deiectam, in qua non priùs bonos mores libido prostrauerit. *Aspice latè*

Florentes quondam luxus quas verterit vrbes.

2. *Iuuentus remouenda à corruptelis.*

Itaque pudicitiam magnæ curæ in Republ. esse conuenit. & maximè vt iuuentus ab iis omnibus remoueatur, quæ corrumpere animum possint. nam, vt inquit Cicero *l. 4. Tusculan. qui se præcipitauit, sustinere se cùm velit non potest.* qui semel pudorem profligauit, difficilè se aut numquam ad probitatem reuocat. violentum hoc malum est, vix arbitrio libertatem relinquit: intellectum porrò adeò obtenebrat, vt vix potestatem iudicandi reliquam faciat. Vnde rectè Claudianus:

Sed quia cæcus inest vitiis amor, omne futurum
Despicitur, suadentque breuem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido.

Libido, inquit Augustin. *luxuriæ ita totum corpus interius & exterius sibi vendicat, & totum commouet hominem affectu animi & appetitu carnis coniuncto, vt sequatur voluptas omnibus corporis voluptatibus maior; ad eius tamen peruenitur extremum, vt pœnè omnis acies, & vigilia cogitationis omnis obstruatur.*

Ex aduerso Minerua pudica fingitur & Musæ virgines. comitatur non modò, sed conseruat sapientiam castitas, abstineatur ab iis omnibus, quę mouere in malum possint, absint cuiuscumq; generis irritamenta malorum, amoueatur ignis à stipulis, alioquin denunciatur certissimum incendium. remoto satellitio mitius sæuit malum. sine Cerere, & Baccho friget Venus.

Venus. vnde rectè apud Plutarchum, *in Abbacon.* *Quo pacto*, inquit Geladus, *Spartæ exiſtit adulter, in qua diuitiæ, deliciæ & corporis adſcititius cultus probro habentur; contra verecundia, modeſtia, atque obedientiæ magiſtratibus debitæ obſeruatio decori, laudiq; dantur?*

3. Spectaculis.

Igitur ſpectacula quæ bonis ac pudicis moribus obſunt omnino ex Repub. tollantur, eaque retineantur dumtaxat, quę ad virtutem excitant. *Nihil eſt*, inquit Seneca, *tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere: comœdiæ tragœdiæq; ita repræſentant ſcelera, vt doceant.*

Sanctè Conſtantinus cruenta ſpectacula & gladiatores prohibuit. *l. cruenta C. de gladiat. l.* 11. Arcadius & Honorius Maiumæ ludos antè prohibitos reſtituerunt, *l. clementiæ de Maiuma l.* 11. *ita tamen*, inquiunt, *vt ſeruetur honeſtas, verecundia caſtis monitis perſeueret.* non ergo amatoria cantentur; & turpia, aut obſceni motus corporum choreis & ſaltationibus efferantur. *c.* 19. *diſt.* 34. turpiloquium & libidinoſi geſtus, illecebræ ſunt voluptatum, & pronubi, iacula cordi infigunt, numquam non cruenta, quæ penetralibus numquam extraxeris; vel ſi extraxeris, non antequam è cuſpide venenum biberint.

4. Comœdiis.

Proinde hiſtriones, præſertim exteri, & ex corruptis regnis aduenę cautiſſimè coërcendi ſunt.

Nil fœdum dictu, viſuue ea limina tangat,

Intra quæ puer eſt, id eſt, puræ animæ, noxio & plus quàm Regio veneno inficiantur. plus quàm enim Baſiliſci viſus ſpectacula intoxicant. & quamuis,

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus:

Irritant tamen. nec ideò negligendum aconitum, quia aliud venenum reperiatur eo ſubtilius. Vtrumque enim præſentem mortem per aurium oculorumque feneſtras inducit. quid intereſt ſpiculo tactus an haſtâ moriaris; ſi moriaris tamen? Igitur magiſtratus ea omnia ſpectacula, atque ludos prohibeat, quibus purę animæ infici poſſunt. Sanctiſſimè Principes noſtri vetuerunt comœdias, tragœdiaſque vllas exhiberi, vel mutas etiam repræſentationes aut cantilenas ſine præuia cenſorum viſitatione & admiſſione: qui non tantùm in verba, ſed & modos & geſtus inquirant.

Et ne faciliores in admittendo ſint Iudices, nihil pro ſpectaculorum licentia ab hiſtrionibus accipere decet, nec turpi colludio quęrere pretia aliorum. *l. quicquid. C. publicæ lætitiæ lib.* 12. nec ſi ipſi ludos ament, duos aureos excedere in eorum

expensis. *l. finali C. Theod. de expens. ludor.*

3. *Maximè clerus ab his abstineat.* Enimuerò quia chorearum spectaculorumque olim magna fuit impuritas, Clero sanè illorum aspectu fuit interdictum, *c. 19. distin. 54.* & lectione, *c. 2. distin. 37. c. 3. distin. 35. quia in vno ore cum Iouis laudibus Christi laudes non capiunt.* & Hieronymus, *c. 4 distinc. 35. Ecclesiæ Principes*, inquit, *qui deliciis affluunt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt; propheticus sermo describit, quòd eiiciendi sunt de spatiosis domibus, lautisq; conuiuiis, & multo labore epulis conquisitis, & eiiciendi propter malas cogitationes, & opera sua.*

6. *Latinæ comœdiæ probantur.* Cæterùm vt declamationes aliquę Scholasticæ exercitationes admittendæ sunt, ita & comœdiæ latinè & pudicè scriptæ, & quæ verecundè agantur à studiosa iuuentute. His enim actionibus formantur ad publicas functiones in futurum; sine illis causarum patroni, Oratores, Concionatores, Magistratus perfecti non existunt.

7. *Nec reiiciuntur vernaculæ pudicæ, cautæ.* Quin etiam collegia quędam per has hæreseon & belli turbas intermortua Principes nostri resurgere permiserunt, eâ inter ceteras lege, nequid repræsentent nisi ritè approbatum, atque aliquis è clero atque senatu curam habeat, inspiciatq; nequid agitetur, quo religio, mores, Resp. damnũ capiat. quâ sanè cautione adhibitâ liberalia hæc exercitia succisiuis horis permissa, & honestè auditores recreare, & à potibus & tabernis auocare possunt.

8. *Et citra argumenta sacra.* Cęterùm obseruari conuenit, ne dum vernaculo sermone comœdię recitantur, argumentum ex litteris sacris sumatur. alioquin enim facilis lapsus est in irreuerentiam diuinæ Scripturæ, illiúsve abusum, aliaque incommoda: ob quę Concilium Trid. lectionem Bibliorum vernaculorum passim vetuit. & iam pridem Innocentius III. Gallicam sacrorum librorum translationem non permittendam passim laicis & fœminis statuerat; Azor. *mor. lib. 8. c. 26. n. 4.* & Alexander IV. disquisitionem fidei publicè vel priuatim laicę personę interdixit. *c. 2. §. 1. de hæret. in 6.*

9. *Sed quæ amorem virtutum, horrorem vitiorum instillent.* Generatim porrò obseruandum permissis comœdiis, vt ea argumenta iis verbis tractentur, quibus in odia vitiorum, virtutumque amorem auditores trahantur, nec gestus, nec incessus oculos vel aures incestent, non blandè proposita vitia illiciant, sed horridè tractata deterreant, aut amantium affectus ne bono quidem fine repręsententur, nisi obiter, & in transcursu, ne li hęreat in amoribus animus, inficiatur vitio, ante-

quam,

quam cataſtrophen exaudiat. dicere, audire, facere breui diſtant interuallo. lepores, & ſales ſint honeſti, joci liberales, nõ maleuoli, non turpes. mulier ne ſcenam ingrediatur, abſit à theatro, quantũ fieri poteſt, ſchema muliebre, nihil ſit inuerecundum, nihil indecorum, & argumenta & ſtylus honeſtus ſit, politus, eruditus, liberalis indolis index: omnis actio comiter grauis, & quæ in omni perſona ciuiles mores doceat: ne cui contingat, vt quàm minimè tunc homo ſit, quàm cùm inter homines fuerit; omnia tendant in ædificationem, nihil in deſtructionem.

10. *Pœnæ in adulteros rectè latæ.*

Per legem Iuliam *de adult. & ſtup.* ſatis pœnarum coërcendis libidinibus poſitũ fuit, vt nec actus, nec conatus, non ſollicitatio, non interpellatio etiã ſine effectu ſceleris, non comitis abductio, & corruptio, nec quidquã impudicitię gratiâ factum extra pœnam fuerit, quo matrona, aut virgo tentaretur. quinimò leges infames adulteros, in turpitudine domi deprehenſos occidere permiſerunt, *l. marito D. de adult.* quod & Iuſtin. auxit, permittens ei occidere illum, quem ſuſpectum habet, ſi ter teſtato ipſi denuntiauerit, ne cum vxore ſua verſaretur, & is repertus eſſet ſpreuiſſe denuntiationes in loco ad ſuſpicionem huius turpitudinis apto. ſin autem maritus alio in loco, in quo huiuſmodi ſuſpicio minimè eſſe poſſit, cum vxore verſantẽ illũ reperit, debet cuſtodire, vel tradere eum Iudici. ſecundùm conſtitutionẽ *Nou. vt liceat matri & auiæ* 117. *Auth. ſi quis C. de adul.*

11. *In fornicarios.*

Caſtimoniæ legum veterum defuit punitio ſimplicis fornicationis; quam tamen Eccleſia numquam neglexit. vt dixi *in Iur. Pontif. nou. anal. de cohabit. cler.* & Extrauag. *Conſtit.* 91. *Leonis, vt concubinam habere non liceat.* manum admonere cœperat. ſed Nerones, Heliogabali, Caij, Maxentij, Meſſallinæ, & ſimilia generis humani monſtra, vi & exemplo Remp. totam in luxũ & libidinẽ traxerunt, & vitiis leges oppreſſerunt. nec diu Romani foris ſtrenui manſerunt, dum domi malè viuitur: honores, & quæcumque virtutibus ambiri ſolent turpitudini tribuuntur; & ſimilitudine vitiorum Principalium obtinentur.

12. *Eliminandæ lenæ, meretrices.*

Igitur Princeps, Magiſtratus, & quicumq; Remp. curant, ſi eam ſaluã velint, legibus luxuriæ comprimendæ ſcriptis vim, vitamque ſuam reſtituant, ſeruentque, reos caſtigent, reatuũ inſtrumenta, & irritamenta, lenones, lenas, lupas procul abigant. & quidem ſi fieri poteſt ex totis ciuitatibus exterminent vnà cum meretricibus, venundatis vt faciant malum. vt obtineatur quod Deuteron. *c.* 21. dicit Dominus, *Non erit meretrix de filiabus*

filiabus Israël, neque scortator. & quidem D. Ludouicum regem Gallię edicto expulisse meretrices scriptores asserunt.

13. *Statem coërcendæ intra aliquas angustias.*

Cæterùm si is sit gentis genius, aut clima, vt sine periculo adulteriorum, stuprorum, præposterarum libidinum inhiberi meretricij coïtus non possint: *si non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent; detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas syncera subueniat. c. 25. distinct. 50.* in morem probi medici, qui omittit leuiorem morbum, si ex illius cura motis humoribus maior morbus timeatur. malè affectis corporibus fistulas potiùs tolerare, quàm paralysim pati conuenit. Ideoque perditum hoc genus hominum si profligari non potest, coërceri tamen ita, & recludi in angustias aliquas, & sentinam ciuitatis oportet, vbi corruptis iam dumtaxat seruiat hominibus, non corrumpendis. atque ita receptum est, vt à consortio, & vicinia honestarum familiarum expellatur. quod in regno Neapolitano Rogerius rex decreuit *Const. incip. Quæ passim, ibi, inter boni testimonij fœminas eis habitationem vetamus.* quam olim Matthæus de Afflict. & hodie Borel. *de mag. edictis l. 3.* ritè obseruatam tradidêre. quod & Senatus Antuerpiensis pluries ordinauit. eo etiam addito, vt si quos lenocinium & meretricium exercere in vicinia honesta contingeret, quia contra desperatam eam fœcem palam testari meticulosis aliquando graue videtur, testimonio aliquot vicinorum, quorum nomina non publicarentur, sine strepitu, aut figura judicij ædilitio quodam & censorio iure statim in destinatam istis hominibus ciuitatis insulam relegarentur. vetitis etiam dominis (quod contra manifestos vsuriarios *c. 1. de vsur. in 6.* iubet) ne qui turpiter viuentibus domos vllas elocent, additâ pœnâ, siquis secus faxit. Prudenter profectò. si & ostraciśmus erga probos quamuis, sed suspectos apud Græcos laudari meruit. *Meretricem,* inquit Cicero, *l. 2. de fin. in matronarum cœtum inducere perinde est, ac si quis voluptatem in virtutum concilium conducat.* Affricat earum consuetudo aliquid de suo morbo; anhelitus & corpora inficiunt & animos non vehementior pestis vllius contagio.

Quare rectè iterum Neapoli constitutum refert Borellus, ne meretrices vehi possint carrucis, non chirothecis manum induere, & apud Iudicem meretriculum turpidinem suam profiteri, & in matricula describi debeant. quòd si Iudæorum more panno aliquo fuluo aut flauo caput obligari, vel vt apud nos peste tacti virgulam feralem quoties prodeunt gestare iube-

iuberentur, fortè huiusmodi probrum aliquas retardaret in præcipitio stantes, aut lapsas etiam reuocaret. In id saltem incumbendum, vt infamiâ habitationis ab honestis secernantur, noscanturque, ne incautos corrumpant, & non nisi sponte se pręcipitantibus obsequantur.

Quare non admittenda est controuersia, num meretrix marito nupta in reliquarum chaos reiicienda sit? quia cùm Vlp *in l.* 46. *D. de verb. signif. matrem familiàs*, inquit, *accipere debemus eam quæ non inhonestè viuit; matrem enim familias à cæteris fœminis mores discernunt atque separant: proinde nihil intererit nupta sit an vidua, ingenua an libertina.* nam neque nuptiæ neque natales faciunt matrem-familiàs, sed boni mores. consonat lex 41. *D. de rit. nupt.* ex quibus conficitur nuptias turpitudinem non excusare, sed augere. & quamquam non absorbeatur turpitudo, quę posteà intermissa est. *l.* 43. *D. de rit. nupt.* tamē meretrix, quę meretricium quęstum, postquam in mariti manum venit, intermisit, pœnâ turpiter viuentibus scriptâ vt non teneatur ratio euincit, esto famę maculam non eluerit. 14. *Maximè puniendæ coniugatæ, nisi sint emendatæ.*

Seruandę castitati non parum contulerint Magistratus, si matrimoniis inprimis fauerint. & Romani quidem multis priuilegiis eos donauerunt, qui proli gignendę incumberent: priuatis, publicisque à muneribus excusabantur, quibus ius trium, pluriúmue liberorum obuenerat. Inter canditatos etiam numerus filiorū prævalebat. Germanicus *apud Tacitum l.* 1. ad inuidiam insidiatorū, *Numerate*, inquit, *sex liberos*. & Drusus, cùm vxor ei geminos peperisset, nullis ante se Romanis Principibus tale aliquid contigisse in senatu gloriatus est. nec priuilegia nubentium sacris litteris data ignorantur, fœcunditas & sterilitas agnoscuntur pro pœna aut beneficio Dei; qui sterilem facit *matrem filiorum lætantem.* Nuper Rex Hispanię insignia priuilegia attribuit in matrimonium se dantibus, cùm per bella quæ per Europam geruntur, nauigationes, ac colonias Indicas viduari Hispaniam incolis, vrbes ciuibus, rura agricolis animaduertisset. quin nec malè olim cœlibatui pœnę præscriptæ fuerunt. quæ in gratiam quidem virginitatis, & continentis vitæ abrogatæ sunt; vt Euangelico consilio obsecundaretur. cæterū iis, qui contempto matrimonio, quod sacramentum magnum dixit D. Paulus, vagis libidinibus diffluunt, aut focariis cōcubinis polluuntur, nec ratio fauet, nec legales pœnæ remitti deberent, vt Resp. legitimis ciuibus suffulta, domi fortis, & foris non ignobilis habeatur. præsertim si ad ciui- 15. *Castitatē promouet fauor matrimoniis factus.*

ciuitates, & prouincias deseri cœptas, vel alias amplificandas, multi prudentissimè peregrinos etiam non admiserint tantùm, sed & variis priuilegiis allexerint, iure ciuitatis donarint, seu aliter coluerint. quâ ratione non parum Roma profecit. vti Oratio Claudij *apud Tacit. lib.* 11. luculenter proponit. & hodie ratio Religionis multas vrbes & prouincias impleuit, vt Delus olim ob templum creuit, vndique ad affirmationem Maiestatis concurrentibus hominibus. Iust. *l.* 24. Sed & illud ad fauorem matrimonij pertinet, vt vxores honore maritorum splendescant, & nobilitentur, forum & domicilium sortiantur. *Mulieres*, inquit *l. mul. C. de Incol.* *honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus.*

CAPVT V.

De Reformatione.

1. *Vterque Magistratus strenuè officio suo incumbat.*

NIhil tam felix, vt non aliquando à primæuo instituto nonnihil deflectat. itaque si quando benè instituti cespitauerint, reuocandi sunt in viam. In eam rem magistratuum in Rep. duplex ratio. Ecclesiasticus est, & Ciuilis. vtriusque diuersa functio: sed & in quibusdam tamen communis. ad illum sacrorum cura, ad hunc ciuilis administratio pertinet; ad vtrumque in suo ministerio ea decernere, & pridem decreta exequi, quæ à maioribus ad Ecclesiam & Remp. bene constituendam, bene regendam ordinata sunt. Ecclesiasticus quidem subditos ad pietatem, religionem & supernam beatitudinem dirigit: Ciuilis ad publicam tranquillitatem, virtutemque moralem. ille docendo, hortando, æterna præmia atque pœnas proponendo: hic imperio magis, quàm admonitione vtitur. pœnis hic ciuilibus, infamiâ, exilio, morte: ille internis plerumque, excommunicatione, aliisque censuris: quamuis & aliis nonnumquam, citra corporis & membri mutilationem, sed & moderatè admodum. grauis enim aliarum pœnarum inflictio ad opera gladij materialis refertur. vnde Greg. *lib.* 2. *epist.* 52. *refertur d.* 45. *c.* 1. *quid autē de Epi-*

2. *Sed. Ecclesiasticus sine sanguine, & rigore vindictæ.*

scopis, qui verberibus timeri volunt, Canones dicant: bene fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus, non percussores. & egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. noua verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Ad hos pertinent, qui sine graui scelere & certo periculo fu-

gæ

gæ clericos, & maximè in dignitate cōstitutos in carceres coniiciunt, quorum temeritati sacri Canones excommunicationem infligunt. sæpè non satis à Prælatis expensi, *c. si clericos. de sent. excom. in 6.* non enim pro lubitu nobiliora præsertim Ecclesiæ suæ membra vrere, secare possunt. sed post adhibitam demum omnem aliam medicinam, & valetudinem desperatam.

3. *Rebus sacris ne sæculares se immisceant.*

In Synodo III. Romana decretū, ne Reges rebus sacris se immiscerent. *c. bene dist. 96.* In Chalcedonensi Imp. Marcianus, *Ad confirmandam fidem*, inquit, *non ostendendam potentiam ad exemplum Christianissimi Principis Constantini interesse volumus.* & *c. 5* negat se de rebus diuinis iudicare. Constantin. Magnus appellationem Donatistarum ad Melchiadem reiecit. Valentinianus respondit *non licere sibi negotiis se Ecclesiasticis immiscere; ipsi vbi lubitum sit conueniant.*

4. *Vtraque enim potestas discreta.*

Vtramque potestatem dispescuit Gelasius, Anastasio scribens; *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; Auctoritas sacra Pontificū, & Regalis potestas. in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem.* & Felix Papa *dist. 10. c. 3.* & iterum Anastasius vbi suprà prosequitur.

5. *Res diuinæ sanctè fiat, & à piis sacerdotibus.*

Non exiguâ sanè curâ iis, qui clero præsunt, allaborandum est, vt pro dignitate diuinę Maiestatis sacrificium à Christo institutum ritè peragatur, vt meritis & virtutibus sacerdotes sint digni, vt cum reuerentia & tremore sacrificent. si vel spectantes angeli contremiscunt. integer vitę sceleriśque purus sit sacerdos, cuius manibus immaculatus agnus tractatur: innocens os, atque lingua, quæ illius sanguine rubescit: casta mens atque prȩcordia, quę illius hospitio nobilitantur. Sacri Canones sacerdoti vxoris vsum vetant, quanto magis scorti? bigamum repellunt, quanto magis fornicarium, concubinarium, adulterum? quin nec speciem mali, vel suspicionem ad sacra admittunt. vetant cohabitationem clerici, & mulieris, colloquia suspecta, aut quodcumque aliud, quod populum offendere possit, *dist. 81. c. 26. 27.* Conc. Lateran. *sub Leone X. c. 1.* Trid. *ses. 25. c. 4.*

7. *Quorum mores Prælati diligenter inspiciant.*

Porrò *inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm desides, negligentesque rectores, qui multam sepè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam. c. inferiorum. dist. 86.*

Ad eorum igitur solicitudinē, quàm maximè pertinet vt inuigilent in vitam, mores, reformationē sacerdotū, aliorumque ministrorum immaculati sacrificij; in nitorem, ornatum, deco-

rem domus Domini, omniumq; ad sacrificium purissimũ necessariorũ. de quibus pulchrè Conc. IV. Mediolan. S. Caroli.

7. Sed & laudum diuinarum psalmorumque vsum, psallendique officiũ clericis iam olim mandatũ constanter retinendum est, & sanctè colendum. ad modũ Moysis & Marię *Exod.* 15. & monitũ Pauli *ad Colossens.* 3. sicut & Plinius testatur *lib.* 10. *epist.* 97. nihil in primis olim Christianis delicti repertum esse, nisi quod ante-lucanos cœtus concelebrent, & Christo laudes canant. & Damasus constituit, vt psalmi diu noctuq; canerentur per omnes Ecclesias, idque prȩcepit Episcopis, presbyteris, & monasterijs.

Officia Ecclesiastica ritè peragantur.

8. Cùm verò periti imperitiq; simul concinerent, sæpè absonæ voces deuotionẽ turbabant, religioniq; officiebant. in Conc. *sub Martino Papa* statutũ fuit, ne cui liceret in pulpito psallere, qui ab Episcopo nõ esset ordinatus lector. Greg. verò psalmos & lectiones præter Euangelicã per subdiaconos, vel si necessitas exigeret, per minores ordines cantandos censuit: Diaconos autem & superiores prædicationis officio & eleëmosynarum studio vacare iussit. *c.* 2. *&* 3. *dist.* 92. Vnde fortè natũ est, vt Canonici Ecclesiarũ collegiatarum, ac præsertim Cathedraliũ, vbi inferioris gradus alij sunt ministri, cantandi onus in hosce reclinauerint. Trid. tamen vt per se psallant iterũ iussit, *sess.* 24. *c.* 12. *§. omnes.* quod tamen scrupulũ meritò non iniicit iis, quorum in Ecclesia functio forsan aliò eos auocat aut impedit totis officiis psallendis insistere. iuxta *d. c.* 2. *&* 3. *dist.* 92.

Ab Ordinatis.

9. Instrumenta musica, aliaq; cantui primitiuæ Ecclesiæ non adhibebantur, tum quia polluta erant lasciuis & idololatris officiis, tum ne in cryptis proderent latitantes Christianos. ac serò musica in Ecclesia recepta est. alioquin vsus eorũ piè adhibitus, dummodò lasciuũ nihil aut impurũ misceatur, Trid. *sess.* 22. *decreto de obseruando in Miss.* instituto congruit: monente ipso Psalmistâ frequenter, psallere cytharis, cymbalis bene sonantibus, in chordis, & organo, & psalterio decachordo.

Sine musica lasciua.

Præclara sunt S. Caroli monita de cantu Ecclesiastico proposita *Concil. Mediol. V.* nec minus sancta Conc. Bas. *sess.* 21. quę si ministri Ecclesiæ eo studio, quo conuenit, obseruent, immunes erunt à minis Aggęi *c.* 1. vbi omnium malorum sequelam sacrorum neglectui assignat. quam ob causam *dicit Dominus exercituum; quia domus mea diserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorẽ, &c.*

10. Horarum etiam canonicarum vsus in Ecclesia antiquus est.

patet,

patet ex Tertulliano *contra psychicos c.* 10. Cypr. *l. de Orat. Dom.* Hieron. *epist. ad Demet. & Letam.* Anastasio *de virgin.* vt non sit Damasi, Hieronymi, Ambrosij inuentio. quamuis ij ordinatiùs disposuerint. Horis dicendis obligantur beneficiarij, qui fructus olim in eam rem relictos percipiunt, religiosi professi, pro suo quilibet instituto, & clerici maioribus initiati. *c. presbyt. c. dolentes. de celebrat. Miss. c. si quis presbyter dist.* 92. & quò minùs negligantur Horarum officia, solent distributiones, debentq; singulis assignari. Basilien. *sess.* 21. Trid. *sess.* 21. *c.* 3. *sess.* 22. *c.* 3. *Horæ Canonicæ diligenter cantentur.*

Iudicia etiã inter suos vel notionis suæ causas Ecclesia exercet. Paul. 1. *Corint.* 6. Alexander Pelag. Conc. Agaten. *c.* 14. 15. 16. 17. *etc.* 11. *q.* 1. *c.* 2. *c.* 5. *ibidẽ.* Trid. *s.* 13. *c.* 1. pluribus Consen. *polit. lib.* 6. *c.* 8. *&* 9. 11. 12. *Iudicia etiam, & visitatio Prælatorum ad institutum D. Pauli.*

In Ecclesia superiores in sui suorum reformationem gnauiter incumbere oportet reuocando omnes ad institutum D. Pauli 1. *Timot. c.* 3. 2. *Timot. c.* 2. *Ad Titum* 1.

Primum igitur quod requirit Paulus in Episcopo, atque ad proportionẽ gradus inferioris ordinis clerico, est, vt sit *irreprehensibilis*, vitæ actionumq́ue innocentiâ purus. 13. *Ita vt clerici sint irreprehensibiles.*

2. *Sobrius.* vnde 1. *Cor.* 5. *si quis nominatus frater fuerit fornicator, aut auarus, aut ebriosus, cum eiusmodi nec cibum sumere. & Canones Apostolorũ* 42. *&* 43. *Episcopus vel presbyter vel diaconus aleæ vel ebrietati seruiens, vel cesset, vel damnetur, seu deponatur. hypodiaconus, aut psaltes, aut lector similia faciens aut cesset, aut cõmunione punietur: similiter & laici.* & Conc. Agath. *c.* 4. *Ante omnia à clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione statuimus submouendũ, aut corporali subdendum supplicio.* 14. *Sobrij.*

3. *Prudentem* exigit. quod non solùm litterarum peritiâ, verùm etiam secularium negotiorum dispositione intelligendum latè docet Gratian. *dist.* 36. 37. 38. 39. 15. *Prudentes.*

4. *Ornatum*: quod moribus, vitâ, vestibus, internâ, externaq́; decentiâ, multis iterum Gratian. *dist.* 40. 41. sine affectatione, vt genus illud monachorum incusat Hieron. ad Eustachium: *Apud hos*, inquit, *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum.* 16. *Ornati.*

5. *Hospitalem*: qui exemplo ostendat, quod populo prædicat, vt numerum eorum fugiat, quibus in Iudicio dicetur: *Hospes eram, & non suscepistis me.* quod iterum prosequitur Gratian. *dist.* 42. *c. offerebat.* 32. *q.* 7. *c. quoniam* 16. *q.* 1. maximè Prçlatũ: *c. vo-* 17. *Hospitales.*

lumus. dist. 89. *c. quia* 12 *q.* 1. Vnde Greg. in hospitalẽ Archidiaconũ in Episcopum electũ repulit. *c. Archid. dist.* 85 & Carolus Rex Swæonum domum eius incendi iussit, qui ter hospitiũ negasset. Ioan. Mag. *lib.* 4. *c.* 2. barbara pœna in barbarũ morem.

18. Pudici. 6. *Pudicum*: vt moribus & verbis pudorem exhibeat.

19. Doctores. 7. *Doctorem*: vt potẽs sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. nam latratu canũ, & baculo pastorum lupi sunt arcendi. vtrumque Gratian. *dist.* 43. latiùs exequitur.

20. Non vinolenti. 8. *Non vinolentum*: non multo vino deditum, vinoque contumelias iungentem: de altari viuentem, non luxuriantem; temperanter & piè conuiuantem. iterum Gratian. *dist.* 44.

21. Nõ percussores. 9. *Non percussorẽ*: sed in mansuetudine & patientia arguentẽ, obsecrantẽ, increpantẽ. rursus Grat. *dist.* 45. *c. non liceat. dist.* 86.

22. Modesti. 10. *Modestum*: cui contentio odiumque displiceat. qui velit fratri ignoscere septuagesies septies, qui infirmantibus misericordiâ condescendat. *c. vere. c. discedite. dist.* 45.

23. Non litigiosi. 11. *Non litigiosum*: qui vel adulationibus animos magnatum sibi conciliet, vel detractionibus fratres infamet, vel discordiam seminet. Gratian. latè *dist.* 46. *& dist.* 90.

24. Non cupidi. 12. *Non cupidum*: non turpilucrum. cupido facilè à iustitia abducit, & in negotiis circumuenit proximum. Gratian. *dist.* 47. *& x. ne cler. vel monachi sæcularibus se negotiis immisceant.*

25. Domui suæ bene præpositi. 13. *Suæ domui bene præpositum*; vt neque res suas prodigat, nec malis artibus augeat, domesticos in officio disciplinaque contineat, subditosque in omni castitate. *qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

26. Non neophyti. 14. *Non neophytum*: *ne in superbiã elatus in iudiciũ incidat diaboli.* qui heri erat in theatro, hodie nõ sedeat in Ecclesia: qui vesperi erat in Circo, manè nõ ministret altari: qui dudũ fuerat fautor histrionũ, hodie non sit consecrator virginum. Gratian. *dist.* 48.

27. Boni testimonij. 15. *Qui & testimonium habeat ab iis quæ foris sunt*: vt Christi bonus odor sit.

28. Non bilingues. 16. *Non bilinguem. Os bilingue Deus detestatur. Prou.* 8. *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacẽ habentes. Eccles. iast.* 28.

29. Habentes mysterium fidei. 17. *Habentem mysterium fidei in conscientia pura*: adeoque probatum, & sine crimine repertum. *c. infamis* 15. *q.* 15. *c. nulli* 3. *q.* 4. *c. omnes* 5. *q.* 1. *c. presbyt.* 2. *q.* 2.

30. Dei dispensatores. 18. *Dei dispensatorem*: de quo Conc. Antioch. 12. *q.* 1 *c.* 23.

31. Nõ superbi. 19. *Non superbum*: ne se extollat aduersus Scripturas, & Ecclesiasticos Canones, & noua intróducat præcepta. *c. hæc autem. dist.* 30. ne cum austeritate imperet *c. licet. dist.* 45.

20. *Non*

20. *Non iracundum*: adeoque omni sensu & iudicio mobilem. *c. ira 11. q. 3. c. velut, 5. q. 1. & 5. q. 2.* 32. *Non iracundi.*

21. *Benignum* erga bonos: non delinquentes. *c. sed illuc. c. licet 4. & 6. c. syncera distinct. 45.* 33. *Benigni.*

22. *Iustum*: non vitâ tantùm, sed & judicio. *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* 34. *Iusti.*

23. *Sanctum*: vitæ simul & Sacramenti sanctitate. *c. dom. 1. q. 1.* morum nobilitate, & fidei puritate. *c. nos qui c. non est c. multi, c. ante. distinct. 40.* 35. *Sancti.*

24. *Continentem*; Gratian. latè *dist. 31. 32. 33. 34.* Trid. *sess. 24. c. 14.* 36. *Cõtinentes.*

25. *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonẽ.* 37. *Fidelis Sermonis.*

26. *Bonum Christi militem*: militiâ sanè spirituali, vt se suosque aduersus diaboli infestas insidias cautè tueatur, non vt aduersus pyratas excubet, diu noctuque arma corporalia tractet. *c. reprehensibile 23. q. 8.* sed eam curã Magistris militum & Principibus relinquat. *c. vt pridem c. simpliciter, ibid.* 38. *Boni Christi milites.*

27. *Solicitè curet se ipsum probabilem exhibere Deo.* nam cum honoris augmento cura quoque solicitudinis debet accrescere. *c. rationis. dist. 100.* 39. *Soliciti coram Deo.*

28. *Operarium inconfusibilem*: quem non vincat inanis pudor, non erubescat Euangelium, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Psal. 118.* 40. *Operarij inconfusibiles.*

Sanè reformatio Cleri ad hanc normam Apostolicam seriò est vrgenda, & ad veteres Canones. nulla gratior nouitas; quã quæ vetustam habet auctoritatem. Nulla reformatio porrò facilior, quàm ex delectu eorum, qui clero adscribuntur. si eorum vita, & mores ad Apostolica præscripta exigatur. & maximè in summo sacerdotio, atque Episcopatu; vnde fluit in reliquos viuendi norma. quare Episcopum indignè ordinatum, & ordinantẽ Zozymus Papa deponit. *c. qui, dist. 59* alios ordinantes indignos ordinandi potestate priuat Conc. Carthag. IV. *c. ex pœnitentibus dist. 50.* Quæ in delectu Episcopi, Præpositi, parochi, clerici exigantur passim, & à Concil. Trid. nos *in Iur. Pontif. nou. analyse tit. de Ordinand.* contraximus. Quarum rerum examen vt sanctum, ita & accuratum S. Carol. *in Concil. Mediol. V.* proposuit. 41. *Promtissima reformatio ex cleri delectu.*

Secundum reformationis subsidium est frequens Visitatio. annuam exigunt antiqui Canones. *10. q. 1. c. 10.* per ipsos Episcopos, si valent: sin minùs, per substitutos, pietate, & prudentia 42. *Frequenti Prælatorũ visitatione.*

dentia probabiles, *c.* 11. *ibid. q.* 2. *c.* 28. Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *ses.* 14. *c.* 2. nec quicquam magis infregit Ecclesiæ mores, quàm visitationis omissio, & ab ea exemptio, &c. adeoque Trid. illam reducit sub cautione Apostolicæ delegationis hac salua, *sess.* 7. *c.* 8.

43. *Cuius quis scopus?* *sess.* 14. *c.* 9. Visitationũ porrò scopũ exactè commonstrat Trid. *sess.* 24. *c.* 3. & Decret. *x. de cens. & procurat. caus.* 10. *q.* 1. *c.* 4. Conc. Mediolan. IV. *sub. S. Carolo.*

44. *Et visitantis officiũ?* Sed & visitantem nihil remorari debet, quin actutum quæ emendatione indigent corrigantur. & clericorum quidem vitia seueriùs, quàm laicorum punienda sunt, quia positi sunt in signum, & peccatum eorum grauiorem ideo pœnam meretur. *c. qualis* 8. *q.* 1. *c. nolo* 12. *q.* 1. *c. præcipuè.* 11. *q.* 3. *c. Paul.* 2. *q.* 7. *& dist.* 93. *c. qui bona.* 17 *q.* 1. *c. quæro* 6. *q.* 1. *c. nemo. dist.* 83.

45. *Clericorum excessus (supra quam laicorum) corrigere.* Adeoque & multa, quæ in laicis delicta non sunt, in clericis tamen vel illicita sunt, vel etiam puniuntur. vt in casibus, *c. obseruand.* 15. *q.* 2. *c. si quis propter* 1. *q.* 2. *c. nulli* 3. *q.* 1. *c. siquis. x. de vita & honest. cler. c. nulli.* 43. *dist. c. non liceat & seq. dist.* 44. *c. sacerd. dist.* 37. *c. eccles. dist.* 35. *c. cler. dist.* 81. *c. episcop. dist.* 35. *c. diacon.* 12. *q.* 2. *c. siquis* 11. *q.* 1. *c. cler. dist.* 64. *c. negociatorem. dist.* 88. *c.* 1. 2. *x. de cler. venatore.*

Sanè minores excessus in clerico nõ sunt omittendi, quamuis in laicis negligerentur. qui eam perfectionem non profitentur, quam promiserunt ij, qui in sortẽ Domini adlecti sunt. non est sanitas, sed languor, vbi mali mores non corriguntur. *c. non putes* 23. *q.* 5 non corrigere malos, fouere est, & occidere *c. si quis Diacon. dist.* 50.

46. *Frequentes Synodi maximè ad reformationem faciunt.* Alterum reformationis subsidium consistit in Synodis diocesanis, prouincialibus, nationalibus, œcumenicis, quarum veteres Canones, & Trid. nuper summam voluerunt esse rationem. vbi in commune consulitur de via, modo & ratione, quâ clerus suo instituto, populus sincerę pietati, & fidei; ecclesia suo nitori, & dignitati restituatur. nihil adeò potens, quam communis consultatio de Rep. capessenda. & Prælati dum communia decreta exequuntur, securiùs ipsi regunt, & faciliorem obedientiam inueniunt: si singularia sua feruidè promouent, philautiæ. vitium facilè incurrunt, faciliùs multo illo arguuntur, difficiliùs paretur, & dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur, prævalentque impetu, quæ non sunt damnata communiter. & vt naturâ causæ afflictę compatimur, fit vt patronos inueniat priuatim eos, qui eam in cœtu rogati damnassent. Vnde etsi Canones Ecclesiarum Cathedralium Capitulis

tulis deciſiuum ſuffragium non concedant; vocari tamen ea iubent, eorumque nuntios ad tractatum & deliberationem admitti, maximè ſuper illis quæ ipſa capitula contingere dignoſcuntur. *c. vlt. x. de his quæ fiunt à Prælat.*

47. *Capitula morum, quæ vocãt.*

Ad reformationem itidem morum conuentus Capitulorum celebrantur, & maximè quæ vocant Capitula diſciplinæ, tum apud ſæculares, tum apud regulares, in quibus de diſciplina retinenda, reſtaurandaque agatur. & ſi quid contra eam commiſſum eſt, dignâ correctione vindicetur. De iis egregiè Conc. Colonienſ. *an.* 1548. *c.* 12. Medialonenſ. II. *decret.* 13. Colonienſ. iterũ 1549 *c.* 20. Moguntin. an. 1549. Mediolan. III.

48. *Prælatorum cum Cathedralibus deliberatio.*

Sed & maximè Capitulorum Cathedralium rationem ad reformationẽ pertinere conſtat, atque Epiſcopos eorum conſilio vti debere, in negociis ſuæ dioceſis, religionis, atque morum. *tot. tit. x. de his quæ fiunt à Prælatis.* vbi *c.* 4. inſigne monitum Alexandri III. dignum eo Pontifice. *Nouit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui vnum corpus ſitis, ita quòd tu caput, & illi membra eſſe probantur. Vnde non licet te omiſſis membris aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis vti. cùm id non ſit dubium & honeſtati tuæ, & ſanctorum patrum inſtitutionibus contraire.*

49. *Ex eius defectu incõmoda.*

Hodie multis in locis fructus ille, qui ex communibus deliberationibus Epiſcoporum cum ſuo ſenatu, ab Eccleſia ſperatur, multum impeditur, dum quidam Epiſcopi ab eiuſmodi communicatione alieni ſunt, & aliorum conſiliis (quod quidem Alexander non vetuit) vtuntur, ſed ſuorum omiſſis: quod vetuit *cùm id*, inquit, *non ſit dubium & honeſtati tuæ & ſanctorum patrum inſtitutionibus contraire.* Fit iterum inde, vt dum Epiſcopi à Capitulis abſtinent, his etiã curę ſit, vt res ſuas ſibi habeant, fimbriaſque quiſque ſuas dilatet; mox ſurrepat frigidum illud verbum *Meum*, ac *Tuum*; quicquid eſt malorum ſecum vehens; mox non de bonis tantùm, ſed de authoritate, de iuriſdictionibus certamina. alter caput extollit, & contemnit membra; membra viciſſim intumeſcunt: quod capiti debetur, non deferunt, & redit Aeſopi fabula. Lites inde & populi ſcandala, eoque grauiora quod ſub religionis & pietatis ſpecie ſæpè peccatur. quæ quamuis maior apud maiores fuit, apud eos tamen ſua cuique ſtetit authoritas. maiori religione in eam rem antiqui Canones conditi, quã hodiernæ controuerſiæ excitentur.

50. *Conuentus parochorũ.*

Denique ad reformationem inſtar Synodorum pertinent capitula conuentúſue parochorum in ſingulis diſtrictibus; cum archipresbyteris ſuis de diſciplina & moribus diſpicientium.

tium minora per se emendando, ardua ad superiores referendo. quorum magna procul dubio est vtilitas: maximè iis in locis, vbi Episcopales Synodi rarę sunt. vt nimis hodie passim, tum languore, tum iniquitate temporum, vel secularium Magistratuum, qui celebrandis Synodis nonnumquam impedimento sunt. contra quam Valentianus, cuius illud supra retulimus, *vbi libitum sit conueniant.* vt omittam Marcianum *in l. 1. D. de Collegiis illic.* coitiones religionis causa permittentem: & Epistolam Margaretæ Regentis pro executione Conc. Trid. ad omnia Belgicæ Concilia Regia scriptam, adeoque Synodorum conuentus ab eo præscriptos permittentē: ita vt Conciliis mandet, vt si in iis negligentes fuerint ij, ad quos spectat, Rex admoneatur.

51. *Hierarchici Ordinis obseruatio.* Ad reformationem etiam quàm maximè pertinet, vt Hierarchicus ordo, quod summum est mundi miraculum, omnibus modis manu teneatur, vt sua cuique dignitas constet, & ab inferioribus reuerenter agnoscatur: tum quatenus Ordo est Sacramentum, quod in primis commendat Trid. *sess. 23. c. 14.* tum quatenus officia, instituta, & functiones in Ecclesia sunt ordinatæ, ad illius cum potestate administrationem.

52. *In quo primus Pontifex Romanus, cui assident Cardinales.* In qua primum gradum Romanus Pontifex, successor Petri, vicarius Christi, obtinet: cuius lateribus assident tanquam senatores S. R. Eccles. Cardinales. de quibus prudentissimè statuit Basil. Conc. *sess. 23. sess. 22. decret. 2.* Lateran. *sess. 9.* Trid. *ses. 24. c. 1. ad finem constit. Sixti V. incip. Postquam. & alia inc. Religiosa.*

53. *Proximi Patriarchæ* Secundum in ordine Hierarchico locum obtinent antiquitus Patriarchæ, quorum in primitiua Ecclesia præcelsa fuit auctoritas, vt primis œcumenicis Conciliis constat.

Primates. Primatum deinde locus est, Metropolitarum, Archiepiscoporum, & Episcoporum. cęterum Archiepiscoporum & Metropolitarum eadem fuisse videtur auctoritas *9. q. 3.* quanquam alij illum huic, alij hunc illi præferant. Singuli autem *Archiepiscopi Metropolitæ.* Episcopi diocesim suam curant. Archiepiscopi & Metropolitæ honore præcellunt, visitatione, & prouocatione, *c. 2. & seq. 9 q. 3.* & Synodorum conuocatione, quibus omnes suę prouinciæ interesse teneantur. Synodus Aurelianens. III. *c. 1. Emeritan. c. 4. 5. 6.* Terraconens. *c. 6. 13.* Braccarens. II. & negligentia comprouincialium Episcoporum suppletione, *d. q. 3. c. cum seruus.* Vid. de omnibus Quarant. *in sum. V. Archiep. auct. V. Concil. Prouinc.*

54.

Episcoporum sanè officium ipsum nomen commendat; vt speculentur atque despiciant, ne quid Ecclesia capiat detrimenti: vt clerus, & populus in viam salutis dirigatur. 54. *Episcopi.*

Chore-episcoporum etiam vsus antiquus fuit, in latis diocesibus, vbi ipsi Episcopi non tædio rerum spiritualium, sed amplitudine locorum coacti eorum subsidio vtebantur. quorum adeò quod fuerit officium constat ex canone Niceno 54. & deinde 58. qui Episcopo Archidiaconum à dextra, Chore-Episcopum à siniſtra sociat, *quia hi*, inquit, *sunt tamquam duæ manus, & duæ alæ quibus Episcopus volat.* vetatque ne cuiusuis gradus alterius clericorū quisquam audeat sedere supra illos. *Choreepiscopi.*

Dignitates deinde, & officia Præpositorum, Decanorum, Primiceriorum, Oeconomorum, Vicariorum, aliaq; id genus nomina, quorū officiis singuli fere tituli in decretalibus scripti sunt. & appositè statuit Conc. Colonienſ. *an.* 1548 *c.* 9. Treuirenſ. *an.* 1548. pulchrè de omnibus Colonienſ. *c.* 3. *Interpretetur quisque vocabulum suum, & curet esse quod dicitur, secundùm veterem Patrum institutionem, ac regulam, atque eo solo fecerint, vt omnium piorum expectationi magna ex parte respondisse videantur.* Non minima reformationis pars erit, si clerum sibi commissum diligenter curarint direxerintque, reliquūq; onus rectè executi fuerint. 55. *Dignitates.*

Demum Parochorū delectus summum momentum ad reformationem adfert; ideoque Trid. *sess.* 24. *c.* 18. tam diligenter eorum electioni per concursum, vt optimi habeantur, studet. In quam rem sanctè Lateranenſ. Conc. *sess.* 11. Trid. rursus *sess.* 25. *c.* 15. Mediolanenſ. I. & IV. Colonienſ. 1536. *part.* 8. Senense *c.* 11. & 12. Augustanum *an.* 1548. *c.* 8. Mediolanenſ. IV. S. Caroli, cuius aurea verba huc inferre luberet, nisi pro instituto longiùs excurrerent. 56. *Parochi. Eorum delectus.*

Porrò si tales habeantur, quales Trid. desiderat, si totis animis in officium suum incumbant, vt idem Trid. locis mox citatis & aliis, Concilia iam dicta, veteres nouique Canones desiderant, Ecclesia sanè nouam breui faciem est habitura; si verbo pariter doceant, & exemplo: si se ipsos officij admoneant, dum aliis prædicant: si vigilent super gregem suum: sunt enim inferiori quidē gradu, sed in Episcopali solicitudine constituti. animas subditorum de manu eorum Deus requiret, si quas negligentiâ perdiderint, vel exemplo.

Enimuerò quo magis idonei ad parochias se offerant, laborandum est Episcopis, aliisque ad quos pertinet, vt pastoratus quàmoptimè sint dotati, tenues augeantur. Trid. *sess.* 14. *c.* 13. 57. *Pastoratus dotatio.*

c.13.f.21.c.5.f.25.c.12.& 13.f.7.c.7.c.1.de præb.in6. & diximus aliquid in *nou.Iur.Anal.de parochiis n.10.* aliis nõ curatis prouẽtuum gratiâ nõ vniantur.*d.c.13.f.14.c.9* & quę cœnobiis vniti sunt,deriuatis in illud prouentibus nõ minuantur. neq; enim Prælati per hos mensas suas,aut monasterij augere possunt.vt nuper non rectè inCapitulo Ordinis cuiusdã decretũ dicitur.

58. *Nimis latorum diuisio.* Parochiæ vbi nimis sunt amplæ,vt vnus sacerdos non sufficiat, aut diuidendæ sunt,aut plures sacerdotes in partem solicitudinis assumendi; vt populo quantum animarum cura exigit, satis sit cautum. Trid.*ses.24.c.4.*

59. *Vnitorum solutio.* Multo minimè beneficia curata in simplicia conuertantur, & olim conuersa visitentur, dotentur, atque aliàs si commodè factum non erit,quam primùm vacauerint,curam animarũ recipiant,& in antiquum statũ reuertantur: Trid. *ses.25.c.16.*

60. *Cleri ad veterem innocentiã reuocatio.* Reliqua est ad reformationẽ omnium aliorum beneficiariorum cura, quorum si vita atq; mores ad antiquam innocentiã reuocentur,credi non potest quantam trahet populi sequelã.

61. *Canonici in eo primi.* Inter hos Canonici primum gradum habent dignitatis: & vocabulum significat olim habuisse primum gradum vitæ, ex pietatis regula institutæ. *c. in omnibus 34. de consecrat. dist.5.* Conc. Rauennatẽs.*an.1286.Rubric 5.* aliud eiusdẽ loci 1317. Basilienf *ses.21.* Trid.*ses.6.c.4 ses.24.c 12.13.ses.22.c.4.3.f.23. c.1.* Moguntinum 1549. *c.72.*Trid.*sess.7.c.2.3.4.* & etiamnum habebunt,si quæ his locis prescribuntur, obseruent, & si alij; beneficiarij suis partibus *c.his igitur.c.tales dist.23.* nõ deërunt,

62. *Omnes etiã alij sors Domini.* merito & loco subpares erunt. si in sortem Domini electi,non nisi de eius hæreditate cogitent. quorum *status perfectionem & perfectionis statum* eximiis lineis pingit *Clericus Mans-feldij.*

Cleri sanè multitudinẽ non improbabit, quisquis officium cõsiderarit.famulitio sanè Christi specialiter adscripti sunt,in numeros relati,in sortẽ Domini vocati.quis indignetur Christum numeroso satellitio stipari? quis multos,quod nõ omniũ est,strictiorem vitæ disciplinam sponte assumere? sed neq; tot regnorum in Hispania Clerus æquat ciuitatẽ vnã,non itẽ Belgij totius,nec difformiter de aliis prouinciis. Tribus Leui,de-

63. *Boni potiùs quàm multi sint.* cimatertia erat,& totius populi Domini decimas capiebat.exactiùs Consenius *l.6.polit.c.44.* sed sancta est Clem.constitutio *d.c.tales,dist.23. Tales ad ministeriũ eligantur clerici,qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare; melius enim est Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint opus Dei dignè exercere, quàm multos inutiles,qui onus graue ordinatori adducant.*

Quare

Quare nemini citò manum imponi iubet Apoſt. & rectè ad ſacros ordines prohibet Trident. quempiã admitti, niſi qui alicui Eccleſiæ ſit adſcriptus, in eaq; beneficiũ poſſideat: quamuis idoneas alioquin habeat facultates. *ſeſ.* 21. *c.* 2. beneficiis verò ſingulis ſingulos poſſeſſores dari voluit. *ſeſ.* 7. *c.* 4. & 5 *ſeſ.* 24. *c.* 17. ſummopere enim Eccleſiaſticus ordo peruertitur, quando vnus plurium officia occupat clericorum. 64. *Eccleſiis omnes aſcripti.*

Sanè extra controuerſiam eſt antiquitus inſolens fuiſſe, vt aliquis duabus Eccleſiis adſcriberetur, & Conc. Salisburgenſ. ſub Greg. X. pluralitatem beneficiorũ generatim interdixit. Innocent. III. *c. multa x. de præb.* de dignitatibus, perſonatibus, & curatis beneficiis, voluit vt primum amitteretur per adeptionẽ ſecundi, & ſecundũ per retentionẽ primi. Greg. IX. inhabilitatem ad ſuperiores dignitates addidit, *c. dudum x. de elect.* vbi Archidiaconum plurium retentorẽ Epiſcopũ electũ non admiſit. & Trid. *d. c.* 7. ſufficiens habenti aliud dari non permiſit, niſi cum dimiſſione primi. Canonicatus porrò plures incompatibiles ſunt, non ob dictum *c.* 4. & *d. c. de multa.* vt diximus *in Iur. nou. Anal. de cler. non reſid. n.* 11. ſed ratione reſidentiæ, quã Trid. exigit in illis omnibus *ſeſ.* 24. *c.* 12. cùm in altero tantũ loco reſidere quis poſſit. ſed hoc decretũ in paganicis & minorũ oppidorũ Eccleſiis cõſuetudo nondũ paſſim recepit, ſed more aliorũ ſimpliciũ beneficiorũ nõ nullibi habentur. 65. *Singuli tamẽ ſingulis.*

Multitudo profectò clericorũ maior, & decenter ali poſſet, ſi quiſque pro ſuo ſtatu vno beneficio contentus, vno officio bene fungeretur: cupiditati non ſuccumberet, cui nihil neceſſarium deeſt. *quod ſatis eſt cui contingit, nihil amplius optet.* ſed numerantur tituli, vt nomina dignitatum, ab iis, qui nõ tot radiis ſplendeſcunt, quot documẽta recitãtur damnatæ cupiditatis. 66. *Sic plures alerentur.*

Ad extremũ ſuccedunt diuerſorum ordinũ inſtitutorumq; religioſi. quorum in Eccleſia atq; Rep. ingens eſt vtilitas, maximè eorum, quorum inſtituta ad populi inſtructionem diriguntur; iuuentutem docendo, Catechiſmũ, verbum Dei prædicando. ſed & eorum qui meditationi atque orationi ſe dederunt, non eſt ratio contemnenda: qui non tantùm exemplo inculpatæ vitæ populo proſunt, ſed & puris precibus Deum placando, eius benignitatẽ in tutelã Reip. prouocant. Iſraëlitæ pugnabant, vincebantque, ſi Moyſes orabat, manuſque extendebat: cedebant, ſi ille remittebat. *Ipſa*, inquit Iuſtin. *Nou.* 133. *ſolitaria vita atque in ea contemplatio ſuapte naturâ animas ad Deum adducit, neque iis tantùm, qui eam colunt, commodat, ſed etiam omnibus aliis puritate ſuâ, & apud Deum interpellatione.* 67. *Eccleſiæ regulares commodi.*

Varia

68. *Variè eam illustrant.* Varia sanè Monachorum instituta, vario habitu, vario pietatis cultu, mirè sanctam Ecclesiam illustrant, in vestitu deaurato circumdatam varietate. neque infimum locum obtinent virginum cœtus. S. Cyprianus *de habitu virginum: Iam refertus est orbis, impletus est mundus eorum, qui capere continentiam possunt, more spadonum viuentes, castrati ob regnum Dei.*

69. *Summa omnium reformatio reuocatio ad primum institutum.* Horum omnium summa reformatio est, reuocatio ad primæuam regularum obseruantiam. & eorum quę de regularibus tradidit Conc. Trid *sess. 25. S. Congregatio regularum* 12. *Iul.* 1592. *& an.* 1625. & Clem. VIII. 19. *Martij* 1603. *super recept. nouit.* aliaque apud Quarant. Piascetium, &c. sed & S. Borromæum *in I. & IV. Synodo Mediolanens.*

70. *Omniũ preces magis iuuãt Remp. quàm aliquorũ grauet mendicitas.* Horum preces, religionis exercitia, labores tantum sanè Ecclesiæ & Reip. conferunt; vt nec meritò aliorum mendicitas tamquam Reip. grauis; aliorum magnæ opes, tamquam quæ ab otiosis consumantur, redargui possint. quæ vtraque auerruncatur Consen *lib. 6. polit. c.* 42. 43. 44. quin imò *ibid.* quàm Reip. in omnem necessitatem expediat, magnas opes penes Ecclesiam esse demonstrat. id tantum Deo & Prælatis commendandum est, vt prouideatur ne opes istę, pauperum patrimonia, in luxum conuertantur, sed in causam à fundatoribus destinatam.

71. *Et opes penes aliquos esse in omnẽ causam interest.*

72. *In regularibus cauẽdum ne per exemtionẽ disciplina eneruetur.* In Ordinibus per exemptiones plerisque concessas labefactatus est ordo Hierarchicus, & Ecclesiæ disciplina. Trid. *sess.* 24. *c.* 11. qua de re aliquid diximus *in Iur. Pontif. nou. Anal. tit. de priuil.* & quo ad seculares quidem aut regulares extra monasteriũ degentes obtineri potuit, vt derogaretur satis per Trid. *d. c.* 11. *& sess. 6. c.* 3. vt si deliquerint, ab Ordinario corrigantur; quo ad regulares verò in monasterio degentes, diuersi Pontifices & Concilia, vt diximus *d. tit. de priuil.* casus quosdam secreuerunt, quibus exemptiones non suffragentur. & maximè Gregorius XV. sed nemo hactenus misit securim ad radicem. Morborum periculosa curatio aliquando omittenda, leuioribus interim medicamentis, progressum mali sistendo. Interim igitur Prælati Ecclesię auctoritate, vbi possunt, monendo, rogando, obsecrando, vbi non aliter possunt, allaborent; vt disciplina regularis pristino vigori restituatur, & tot conuentus conceptæ à fundatoribus expectationi, & sperato Ecclesiæ fini non desint: sed omnes in vtilitatem publicam, quà orando, quà prædicando, quà aliarum regularum instituta exequendo, conspirent, & collaborent.

Illud

Illud porrò ad fontem & ſcaturiginem omnis reformationis maximè ſpectat, vt populi Principes tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares, magiſtratus tã ſpirituales, quàm politici gradatim omnes ſuis quique virtute præëant. inde enim, quod de Veſpaſiano Tacit. 3. *æmulandi amor validior, quàm pœna ex legibus, ac metus.* nam rectè Liuius *lib. 5. Multitudo ſemper fere Regenti eſt ſimilis.* vt idem Tacit. *lib.* 18. principatum tangens Vitellij: *Legati, tribuníque ex moribus Imperatorum ſeueritatem æmulantur, vel tempeſtiuis conuiuiis gaudent.* Cùm olim Conſules propter Annibalis bellũ edixiſſent, vt priuati ex cenſu ordinibuſque, ſicut anteà remiges darent, cum ſtipendio, cibariiſque, atque ob id magnus fremitus, atque indignatio orta eſſet, vt ſeditioni Dux tantùm deeſſet: Conſul alter Patribus ſuaſit, vt ſenatores, equiteſque ſinguli pro virili Rempublic. iuuarent, vt nullo antè ſenatus-conſulto facto voluntaria collatio, & certamen adiuuandæ Reip. excitaret ad æmulandum animos omnium. In quæ tanto animo conſenſum, tantumque auri & argenti collatum fuit, narrante Liuio *lib.* 26. vt *nec triumuiri accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent. ita ſine edicto, ſine cohortatione Magiſtratus nec remige in ſupplementum, nec ſtipendio Reſpubl. eguit.* 73. *Summa reformatio exempla ſuperiorũ.*

Populi ergo reformatio, vt corpus vmbra, ſequetur facilè reformationem cleri. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. 6.* & nihilominus adlaborandũ eſt, vt infantia atque iuuentus congruè inſtruatur in diſciplinis ſimul & pietate, necubi deſint ſcholæ, & accurata catechiſatio; maior ætas piis atque frequentibus concionibus imbuatur, vt quaſi ſponte ſuâ virtutum ſemitam ducurrat: & ſi quà deuiauerit, quà monendo, quà hortando, quà increpando ad rectum iter manu ducatur: & ſi forſan refragetur, ſeueriori diſciplinâ coërceatur. 74. *Populi reformatio.*

Sed rurſum facillima methodus hæc obtinendi, ſi ad magiſtratus aſſumantur optimi, ſi honores virtutibus deferantur: ſi id agatur ne honoribus donati ceſpitare incipiant; ſed in melius mutentur: ſaltem ne degenerent: ius dicant iuſtè, politiam adminiſtrent prudenter, Imperij, poteſtatiſque negotia ad criminum vindictam infractè, ſine imminutione, ſine diuerſione nerui res militares ad defenſionẽ Reipublicæ animosè, cetera ſummi arbitrij negotia ita meditentur, ac dirigant circũſpectè, & quadrato agmine incedentes nihil quod

ordines turbare possit, chaos, confusionemque in Rempublicam immittere, timere debeant: firmi consistant in iusta directione, vt polus arcticus & antarcticus: alioquin reliquarum omnium stellarum ordines oportet vt confundantur.

Tum porrò si quis magistratuum extra zodiacum suum deflexerit, præsto mox sit syndicatio; adeoque superiorum in inferiores continua inspectio, & cura, ne, qui duces viæ delecti sunt si aberrauerint; reliquos inducant in nullâ arte extricabiles postmodum labyrinthos.

Itaque etiam in omni ciuili gubernatione in id incumbendum est, vt qui ad gubernacula admouentur, omnibus virtutibus sint prediti: ab iisdemque in administratione ne quà desciscant Ita spondeo fieri non posse, quin & populi digna reformatio comitetur.

CAPVT VI.

De Quiete Publica.

1. *Quies publica curanda.*

PRoxima reformationem consequitur quies publica, quæ per prouincias, atque ciuitates omni modo curanda est adeoque mandatis Principum continetur, vt curet is, qui prouinciæ præëst, malis hominibus prouinciam purgare. nec distinguitur vnde sint. *l. 3. de offic. Præsid.* Quin etiam propter vtilitatem publicam, atque tranquillitatem tam iuris communis ratio, quàm vsus recepit; vt vbicumque reperiuntur criminum rei, ibi prehendi, accusari, & condemnari possint. *l. 1. C. vbi de crim. agi oportet*, quanquam remitti solent, postulantibus Magistratibus, eò loci, vbi delictum est commissum, vt ibi puniantur ad exemplum, terroremque aliorum *l. solent. D. de custod. & exhib. reor. Nou. vt nulli Iud. 1. 3. 4. §. si verò. Auth. si verò C. ad l. Iul. de Adult.* sed & qui crimini obnoxium in suo prędio detinet, si non offerat eum, vel tradat, acriter punitur. *l. 2. C. de his qui latrones.* Quin & constitutio Frederici *l. 2. feud. tit. de pace tenend. & eius violat. §. si iudex*; domino castri, quò pacis violator fugerit, iubet eum Iudici sistere, & domo suâ excludere, ac saltem bona eius mobilia exhibere, operamque ad eum apprehendendum dare.

Et

Et sanè Prę fectus vrbi debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem: & ad referendum quid ibi agatur, *l. 1. de offic. præfect. vrb.* Erat etiam olim Romæ familia publica circa portam & muros dispositа, vt inde, sicubi opus esset, deuocaretur. *l. 1. de off. præfect. vigil.* Quin & per totam noctem vigilabat, & coërrabat calceatus præfectus vigilum. *l. 3. eo. tit.* prospiciens ne tumultus nocte exorirentur, vel incendia monebat inquilinos, ne ea per negligentiam aliquam orirentur, vt extinguendis aquam vnusquisque in cænaculo haberet. *d. l. 3.* incendiarios quoque, fures, latrones, receptatores, & effractores puniebat. *l. 3. §. 1. & l. vlt. D. eod. & l. 1. C. eod.* 2. *Specialibus in eam datis magistratibus.* 3. *In ciuitatibus.*

Augustus pluribus vno die ortis incendiis septem cohortes opportunis locis constituit, vt binas regiones vnaquæque cohors tueretur. à quo & Vico-magistros inuentos scribit Tranquillus *in Augusto, c. 3.* quibus etiam Præfectus vigilum imperabat. *Spatium*, inquit, *vrbis in regiones vicosque diuisit*, instituitque, vt illas annui Magistratus sortitò tuerentur. Hi Magistri è plebe cuiusque viciniæ electi. Hi Constantinopoli numero 70. instituti: & quini quatuordecim vrbis regiones custodiebant. Sed & eadem cura prouinciarum. Tranquil. *in Tiber. c. 19. tuendæ pacis*, inquit, *à grassaturis, ac latrociniis, seditionumque licentia curam habuit, stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Hęc ille. Idem & Iure-cons. *l. 2. & 4. D. de seru. fug.* Græci irenarchas vocant *l. 6. D. de custod. reor. Irenarchæ*, inquit, *l. Irenarchæ C. de irenarch. l. 10. ad prouinciarum tutelam, quietis, ac pacis, per singula territoria faciunt stare concordiam.* à decurionibus iudicio Præsidum prouinciarum idonei nominabantur, curiosi etiam & stationarij vocabantur. destinati certis locis milites, qui ortos tumultus sedarent, factiosos vincirent, criminaque patrata Præsidi indicarent. *l. 1. de Off. præf. vrb.* & liminarchę; quorum erat solicitudo, ne delinquentes fugerent, *l. 4. D. de ser. fugit*, denique quidquid illicitum fieri viderent, prohibere tenerentur. veluti ne hæretici ad cœtum piorum, litaniasque conuenirent. *l. 3. C. de hæret.* ne qui alteri etiam impio iniuriam inferrent, *l. 6. C. de pagan.* eos qui in illicitum collegium coierint, apud Præfect. vrbi accusare *l. 1. d. t.* omnia enim quę ad turbandam tranquillitatem pertinent, per se atque hos ministros Iudices impedire oportet. 4. *Et Prouinciis.*

5. Deinde, inquit Iustin. *in Auth. de mandat. primò conueniens est te prouidere, vt nulli populi ciuitatum alterutris seditiones faciant: sed omnem pacem esse Dei ciuitatibus. dum æquitas etiam hinc nostris subiectis seruatur, & neque lucri, neque passionis alicuius causa ad aliquam partium declinatur.* & iterum; *neque occasione religionum, heresimue quæstiones alicui prouinciarum commouere.* sed sæpè eiusmodi ministri compositis nefariè criminationibus iniecto passim metu, præsertim remotissimo cuique, fœdas concussiones faciebant. ideoque rectè Constantinus *in l. 1. C. de curiosis.* edicit, vt curiosi, vel stationarij, vel quicumque funguntur hoc munere, crimina Iudicibus nuntianda meminerint & sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. quod hodie fiscalibus officiis, iisque omnibus, ad quos mores hodierni inquirendi, & accusandi publicam authoritatem transtulerunt, & curiarum Ecclesiasticarum Promotoribus, & sicubi adhuc vigent, testibus synodalibus, valdè inculcandum foret: & clancullariis delatoribus, quibus satis esse videtur Superiorum aures sauciasse, & eorum quibus malè volunt apud illos existimationem, probationis aut veritatis nullâ curâ susceptâ.

Qui & ipsi compescantur si malè versentur aut calumnientur.

6. Cæterùm qui ex officio accusationes suscipiunt, mouente eius officij solicitudine, vel iussu Iudicis causam conuenienti diligentiâ instruunt, dummodo calumnia & temeritas absint, voluntarij delatoris, aut accusatoris periculo non subiacent. *l. monent. C. de delat.* nam hic omnino ad talionem, ille ad sumptus, aliaque tenetur. nec est quod hodie tranquillitatem publicam priuatis ex causis magis turbet, quàm exoleta horum castigatio, quam olim adeò Principes atque Iudices ad solicitudinem suam reuocabant. & maximè si fides domestica violaretur, & seruitia arcana dominorum proderent. quod vnico tantũ casu maiestatis admissum fuerat. *l. seru. C. de delatoribus. l.* 10. vbi Gratian. Valentin. Theod. *Seruum*, inquiunt, *domini delatorem iubemus in exemplum omnium perditorum seueriſsimæ sententiæ subiugari, etiamsi obiecta probauerit, excepto crimine maiestatis.* Id enim in patriam admitti, & patrem patriæ, cuius salus carior est, quàm salus priuata patris-familiàs vnius. Digna sanè censura magnanimitate Romanâ. ne quam viam facerent perfidiæ, nisi quis perfidus priùs foret, & perduellis, vt nec in hostem quidem publicum perfidis seruitiis vti vellent,

Non tamen si ex officio delata bona fide non probent.

7.

Sed voluntarij delatores & domestici omnino.

vellent, quæ in Regum vel dominorum suorum cædem operam suam offerrent quamuis per eam Reges vincere, & regna imperio adiicere potuissent; quibus carere maluerunt, quàm fidei domesticæ infringendę ansam dare. Quare Senatus respondit litteris Cattorum Principis Arminium veneno interimere offerentis, *non fraude neq; occultis, sed palàm, & armatũ populũ Romanũ hostes suos vlciſci. quâ gloriâ*, inquit Tacitus *l. 2. ausum fuisse æquare se priscis Imperatoribus, qui venenũ in Pyrrhũ Regem vetuerant, prodiderantq;*. & Alphonsus Rex Neapolitanus cùm inimicitias haberet cum Alphõso Castellano, & Rogerius Comes Pallanzæ obtulisset suâ manu Castellanum occidere; respondit, *si totius mundi regnum consecuturus esset, numquam se tantum scelus permissurum*. Quare cùm Annibalis cædes apud Regem Prusiam proeurata artibus esset, in hęc verba erumpit Liuius *l. 39. Mores quidem Populus Romanus quantum mutauerit, vel hic dies argumento erit. horum patres Pyrrho regi hosti armato exercitum in Italia habenti, vt à veneno caueret prædixerunt: hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt.*

8. *Ex quorum testimoniis occulta non propalanda.*

Proh! quantis hodie pretiis famulitiorũ testimonia emuntur, aut cui porrò bono, euoluuntur familiarum recessus, & quæ pluribus quàm allia & cœpæ tegumentis sunt obuoluta, explicantur, in lucem efferuntur, & quę solum Deum vltorem habere debebant, publica offensa eliminantur! quò enim fructu? vt saucià per scandalum Repub. sola officiariorum marsupia sanentur. quos grauiter obiurgat Iustin. *Auth. de mandat. Princ. §. oportet. non res sunt, quæ delinquunt, sed qui res possident. at illi reciprocant ordinem. eos quidem, qui digni sunt pœna, dimittunt, illorum autem auferunt res.* & iterũ *Auth. vt nulli Iudic. liceat. §. quoniam verò. Iubemus*, inquit, *prouinciarum Iudices omnia secundùm leges iudicare.* & infrà: *non criminis vindictam proprij lucri causa inferre, aut delinquentium res proprium lucrum facere.* & infra: *vt ne propter rerum desiderium inueniantur iniustè aliquos castigantes, aut peccantes vendere.* sed quanta hodie nundinatio impunitatem mentium! sed ab his quę ad auaritiam ministrorum faciunt omnino abstinendum est. si etiam Vlpianus *in l. diuus. §. 1. D. de bon. damnat.* loquens de nummis & annulis quos damnati penes se habent, *nec spiculatores*, inquit, *vltrò sibi vendicent, nec optiones desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis punitus est.*

9. *Ne remediæ morbis sint grauiora.*

Igitur eruere delicta non oportet, quorum prolatio Remp. magis sauciat, quàm patratio. boni medici bona regula est, ne

remedia morbis sint grauiora. quam ob causam Pompeius reprehensus fuit, quòd censor fuerit grauior remediis, quàm delicta erant. Tacitus *l.* 3. & cùm Germanicæ legiones seditionis reos occidissent, Tacitus *l.* 1. trucia illa castra nominat. & Germanicus *ibidem* horruit à scelere; *non medicinam illud pluribus cum lachrymis, sed cladem appellans.* & *l.* 2. cùm diu agitatũ foret, de luxu ciuitatis coërcendo, Tiberius diu apud se pensitauit; coërcitio plus damni in Remp. ferret, quàm indecorum attractare, quod non obtineretur; vel retentum, ignominiam, vel infamiam virorum illustrium posceret. Proinde Cato *melius esse*, inquiebat, *improbum hominem non accusari, quam præuaricari.* Omitto contra charitatem & iustitiam fieri, atque Euangelica præcepta, si omnino occulta in lucem efferantur: & non priuatus tantũ, sed Resp. amplius lædatur exemplo, quàm emendetur remedio. adeoque, quod & alibi dixi, prudentissimè & sanctissimè ad inuiolabilem vsum reuocandum esset, quod Innocent. III. in Concilio generali decreuit *in c. qualiter & quando x. de accus.* quam inter XXIV. Constit. à Concil. Trid. citatas benè examinat Steph. Weyms.

10. *Sed & Iudices à quibus non appellatur in damnandis reis valde sint circũspecti.*

Est & aliud quod Iudices magistratusque nostrates, apud quos in causis criminalibus appellationibus iam-olim locum mores non faciunt, monitos oportet: vt cùm de capite hominis absolutè iudicant, non nisi cunctis exactissimè cognitis pronuntient. cùm enim nulla sententia criminalis præcipitanda sit, sed manifestissimæ probationes priùs desiderentur; tum ibi maximè iudicium præceps cauendum est, vbi error prouocatione corrigi non potest.

CAPVT VII.

De Criminum vindicta.

1. *Quies publica à vindicta criminum iuuanda.*

QVietem publicam maximè conseruat criminum vindicta, quâ mali è medio tolluntur; alij, ne mali sint, exemplo terrentur. is finis est iudiciorum criminalium, & pœnarum. Impunitas peccata preuocat. in his vindicandis iustitia distributiua adhibenda est, summis acerba, mediis minora, leuioribus lenia remedia. Læsę maiestatis rei plectuntur vitâ & bonis. memoria eorum post mortem damnatur; adeò vt lugere eos non liceat. *l. liber. §. non solent. D. de his quæ notant. infam.* quod in hęreticis alicubi seruatur; vt non petan-

In reis, liberis, bonis.

tur

tur sepeliendi. *l.* 1. *de cadau. punit.* & in liberis circũscripto omnis dignitatis priuilegio, vt non tantùm hæreditate patris arceantur, quam fiscus occupat; sed & matris, aui, propinquorum, & extraneorum, vt miseri viuant, egeni, infames, & intestabiles. *l. quisquis ad leg. Iul. maiest.* nec ius sepulchrorum habeant. qui rigor & olim obtinuit. *vt charitas*, inquit Cicero, *filiorum amiciores parentes Reipubl. redderet.*

Adulterium etiam matris-familiàs lex capite punit. non ita mariti crimen, quod alioquin par esset, cum soluta peccantis: ob rationem publicæ honestatis, seruandarum familiarum, hæreditatum, homicidiorum, aliorumque incommodorum vitandorum gratiâ, quæ ex muliere aliena timentur; non æquè autem ex muliere vacua, seu quæ virum non habet. singularia ex hoc crimine traduntur, de pœna adulterij, de mulcta dotis, de iure occidendorum deprehensorum, de ordine instituendæ & exercendæ accusationis, de præscriptionibus, quæ accusantibus obiiciuntur: de transactione inter reum, & accusatorem habita. 2. *Pœnæ adulterarum grauiores quàm virorum ex circumstantiis.*

Eadem honestatis publicæ consideratio causa est cur libera mulier cum proprio seruo rem habens capite luat, seruus metur: *C. de mulier. quæ se seru. prop.* Vnde & illustres hodiè cum ministris peccantes, non eo rigore quidem, sed supra reliquas puniendæ sunt. 3. *Eædẽ causæ in aliis stupris pœnas alterant.*

Libidinum pœnam etiam auget persona pupilla, si tutor eam corruperit, cuius informandi mores commissi ei sunt. *C. si quis eam cuius tut. fuer.* adeoque non ineleganter duci proditori comparatur violator pupillæ tutor. Quint. *declam.* 284 nisi fortè vxorem eam duxerit.

Si nondum viripotenti stuprum illatum sit, *l. si quis* 38. 4. §. *qui nondum. D. de pœnis.* si sanctimoniali; in qua etiam conatus pro effectu est, *l.* 5. *C. de episcop. & cleric.* si vi publica aut priuata adhibita. *C. ad l. Iul. de vi.* si per raptum. *C. de rapt. virg.* vbique ex his causis pœnæ asperantur. per insecutum coniugium tamen mitigantur, vt videtur colligi *ex Nouel.* 143. in raptore tamen Trid. *s.* 24. *de matr. c.* 6. pœnas ibi irrogatas vtroque casu iubet habere locum.

Homicidia etiam capitali pœnâ lex coërcet, dolo tamen malo occisum hominem lex exigit. vt fortuita *l.* 1. *& 5.* & vitæ tuendæ causa *l.* 2. 3. 4. *C. ad l. Corn. de sic.* excludantur. & emendationis, si seruus loris cæsus mortuus sit, sine distinctione dierum, de quibus *Exod.* 21. *C. de emendat. seru.* quæ emendatio ob- 4. *Etiam homicidiis.*

tinet & in propinquis senioribus ; vt stultos iuuenes mediocriter in leuioribus delictis patrio iure corrigant. *C. de emendat. propinq.* nam ob graue delictū ad Iudicem mittendi sunt, *l. 4. C. de pat. pot.* vt & serui à dominis *l. circumcidere in fin. D. ad l. Corn. de sic.* Vnde Cuiac. *in Parat. C. de emendat. seru.* negat propinquos posse mulierem adulteram castigare. Idem dicendum in monachis vt ob grauia delicta ad Iudicem ordinarium remittendi sint. & in Capitulis secularibus, etiam exemptis, ea etiam ratio causam dedit decreto *c. 6. s. 25.* Trid. aliisque.

5. *Parricidiis.* Homicidia asperantur si parentes à liberis, vel liberi à parentibus, vel intra quartum gradum propinquis, affines, patroni, & coniuges cæsi sunt. *D & C. ad l Cornel. de sicar. C. de iis qui parent. vel liber. occid.* item si maleficiis, aut veneficiis in vitam aliorum grassati sunt, *C. de malef & mathem.* nam plus est hominem exstinguere veneno, quàm gladio. *l. 1. C. eo tit.*

Maleficis affines sunt sepulchrorū violatores. *Graue crimen*, inquit Tacitus, *læsarum religionum.* vt & ait *l. 1. C. de sepul. viol. quando è bustis & rogis reliquiæ quædam, & cadauerum præsegmina ad exitiabiles viuentium fortunas petuntur.* Falsi crimen graue etiam est, & vltimo supplicio si exigat magnitudo punitur, *l. cui. 22. C. ad l. Cornel. de falsi.* grauius fit si accedat plagium liberi hominis. *l. vlt. C & l. vlt. D. ad l. fabiam de plagiar.* si qui adulterinam monetam flant, feriunt, vel probam vitiant, minuunt, arrodunt. *C. de falsi. monet.* si qui dolo malo nouum sibi nomen imponunt, quo quid alienum accipiant, *C. de mutat. nomin.* si qui libertini, aut ignobiles pro ingenuis, aut generosis falso se gerunt, & irrepunt in honores solis ingenuis, & nobilibus debitos. *C. ad l. Viscell* si qui falsum testamentum fabricant, hæreditatem, aut legatum in eo sibi ascribunt. quod adeò odiosum est, vt Senatus-consulto Liboniano puniatur ex quasi falso, qui dictante, volente, & iubente testatore in testamento quid sibi ascripserit. *C. de his qui sibi ascrib. in test.*

6. *Aliis criminibus.* Alieni appetentia circumstātiis etiam suis intenditur, adeoque pœnis diuersis coërcetur. nam & lex Iulia quadrupli pœnæ subiicit Prę sidem, si quid sordidi tempore gerendi honoris acceperit, si quid dederit ambitu honoris. *l. vlt. C. ad leg. Iul. repetund.* si se gesserit vt mercator litium, vt ait *l. 3. eod.* quò spectant Iudices qui causas trahunt vt sportulas dilatent. & nominatim eorum etiam ambitus coërcetur, qui antequam rationem suæ administrationis reddiderint, repetunt officia eadem, atque continuant. *C. ad l. Iul. de ambit.* iterum Iudices

gra-

grauiùs puniuntur, si pecunias publicas ceperint, nec retulerint in ærarium Peculatus id crimen est. Repetundarum autem, cùm pecuniæ priuatæ sunt captæ. Eo crimine inuoluuntur & socij, & ministri, qui scientes substractas pecunias recipiunt. Non est dissimile crimen rapere, & ei qui rapuerit rapta seruare. Crimẽ peculatus capitale fuit. qui rigor si seruaretur, starent regna, quę vacillant aut concidunt. Bella geri possent spongiis istis sanguisugarum publicarum expressis. quæ magno Regũ dedecore geruntur esuriente milite, & mendicante, subsidiis etiam quasi mendicatò postulatis. si illud saltem obseruaretur quod Plinius 3. *epist. de Betica*, refert. *Senatui*, inquit, *placuit bona defuncti, quæ habuisset ante prouinciam, à reliquis separari, illa filiæ, hæc spoliatis relinqui.* si prouincialibus, si regiis ærariis restitui iuberentur, quæ iis furtim aut malis artibus extorta sunt. quod frequens Vespasiano fuit.

Furtum etiam si pecuniæ sacræ fuerit, valde intenditur. *C. de crim. sacril.* si vis adhibita sit *C. de vi bonor. rapt.* si hæreditas expilata sit. *C. de crim. expil.* si grex ouium abductus sit. *C. de abig.*

Iniuriæ asperantur, si quis verberatus, percussus, domusvè 7.
eius vi introita sit, si facta sit iniuria sacerdoti, dum sacra facit, *Iniuriis.*
dum procedit cum infulis & ornatu, si facta sit illustribus viris, si per famosum libellum, cuius adeoque non tantùm auctor, sed etiam qui inuenit nec combussit, sed euulgauit, tenetur quasi auctor: quomodo & qui latrones receptat, extra ordinem punitur. *l. 1. D. de recept. C. de iis qui latron. Proximos*, inquit Quint. *decl. 255. existimo esse eos transfugis à quibus transfugæ recipiuntur. hoc natura simile est facere scelus, & probare.* Magnitudine etiam damni iniuria crescit, & pœna. vt in iis qui Nili aggeres rumpunt. *C. de Nili agger. non rump. l. pen. D. de extraord. crim.* & capite punitur qui vllos inde riuulos deriuarit, & vsurparit sibi.

Hæc igitur summa sit, vt nulla scelera sine vindicta omit- 8.
tantur, & iuxta mensuram delicti sit & plagarũ modus. men- *Omnis pœna ad mensuram qualitatum delicti.*
surare oportet, atque accuratè attendere ne mensor falsum modum dicat, ne morbis remedia sint grauiora, sed & ne demerito leuiora. multò minimè scelera vlla remaneant impunita; fœcundum crimen inultum mox alterum atque alterum parit. vix est vt Iudicũ diligentia tam felix sit, vt Herculis sortem superet, quin si vnum hydræ caput amputent, plura subnascantur.

Sed

9. *Prudenter in cauſis criminalibus & quomodo procedendum.*

Sed & prudenter verſandum eſt in criminalibus Iudiciis, præſertim publicis, non inuitandi præmiis delatores, non accuſandi omnibus permittenda facultas, non Iudicibus quando & quomodocumque lubet inquirendi, ſed præeunte famâ, eaque non à maleuolis orta. & ad ritum capit. *qualiter & quando. x. de accuſ.* delatoribus præſertim voluntariis non licet impunè denunciare, ſed niſi probetur crimen, ſumptus & damna reponunt. accuſatores ſine inſcriptione non recipiuntur, ſed neque qui in reatu ſunt, qui duos habent delatos, qui ab accuſatione deſtitere, & ferè quicumque infames, quin & miles & mulier, niſi ſuam ſuorumque iniuriam proſequatur. *C. qui accuſare. & C. de accuſat. & inſcrip.* ſed & recepti accuſatores qui intra tempus præſcriptum reum non peregerint, infamiâ, & quartâ parte bonorum mulctantur, etiam exilio, ſi pauperes ſint, quibus damnum famæ iniuria non eſt. *C. vt intra cert. temp. crimin ques. term.* quòd ſi tergiuerſati ſint, & animo ab accuſatione deſtiterint, incidunt in Turpilianum, infamiam, & quinque librarum auri mulctam *C. ad Senatus-conſ. Turpilian.* quòd ſi dolo malo falſa crimina intenderint, in publicis iudiciis per inſcriptionem talio pœna eſt. *l. 7. C. de calum.* olim & inuſtionem litterę K. in fronte patiebantur, ex lege Remmia. quod hodie ſublatum *l. 17. c. de pœn.* Itaque non vt cuilibet lubitum eſt, ad criminum vindictam proſilire licet, ſed ex legum preſcripto. Quæ tamen nec Iudicem prætermittunt. curioſos, & ſtationarios reliquoſque quibus inquirendi & deferendi officium incumbit, ſi partibus ſuis defuerint, ſi gliſcere crimina per ſocordiam ſiuerint.

Sed & ritè exhiberi, cuſtodiri, tranſmitti reos, & requiri leges voluerunt. requiri quidem; nam aliàs in grauioribus damnari non poſſunt, *l. 1. C. & l. 1. D. de requir. reis.* bona tamen poſſunt obſignari, & poſt annum publicari, quę vix reſtituantur *l. 2. & 3. C. eod.* quamuis redeuntes ſemper audiantur, *l. vlt. C. eod.* vt famę reſtituantur.

Exhibiti rei, vel carcere & vinculis compedibuſque, vel cuſtodiâ militum, aut ſeruorum quorundam publicorum, aut fideiuſſionibus, aut pignoribus & repromiſſionibus ſecundùm delictorum aut delinquentium qualitatem obligantur, & prout præſumptiones innocentiæ, aut argumenta criminis fuerint

fuerint. *C. de custod. reor.* semper tamen ex speciali Iudicis præcepto. *l. vlt. C. eod.* & custodia publica sit oportet *l. vnic. D. de verb. sign.* nam qui priuato carcere quem cohibuerit, olim vltimo supplicio damnabatur, tamquam Maiestatis reus, *l. 1. C. de priu. carc.* hodie pœnam carceris publici tot diebus sustinet, quot priuatum exercuit. *l. 2 C. eod.*

Iudicium criminale eodem ferè filo deducitur, quo ciuile, nisi quod quanto maius momentũ est vitæ, quàm fortunarũ; tanto maius sit oporteat Iudicis diligentia: adhibitis etiam quæstionibus quæ seueræ indagationes vocantur, non nudis interrogationibus fiunt, sed per vim & tormenta cruciatusque corporis reorum vel testium, & quandoque accusatorum, si aliter rei veritas haberi non possit. *D. & C. de quæst.*

Conuictis autẽ aut confessis reis pœna mox irroganda est, quæ æstimatio est delicti. *l. Sanctio. D. de pœn.* atque supplicium peccati. adeoque hodie omnes positæ sunt in arbitrio iudicantium, olim certæ erant, & legitimæ, quas nec Iudices exprimere oportebat, de facto tantùm iudicantes *l. 1. §. nam siquidem D. ad S. C. Turpil.* nec enim factum sequi non poterant. *l. non poterit D. de furt.* 10. *Quomodo pœnæ infligendæ?*

Per mores hodie Iudices qui sententiam ferunt, pœnam exprimunt, vt arbitrium indicent, & qui apud Belgas merum Imperium & ius gladij exercent ferè ex decreto tantùm Senatorum qui Scabini vocantur, exercent. sed & raro apud nos exemplo Marcgrauius pœnæ genus irrogat, Scabini damnant, pœnâ non expressâ. Concludit ille ad confiscationem corporis, & bonorum: hi adiudicant petitionem: vel absoluunt, si oporteat; vel si minùs oporteat, quàm petitum sit, minus adiudicant.

Pœna plerumque apud Belgas furca, gladius, latronibus rota, fustes & virgæ, cum stigmatibus dorso impressis, secundis etiam & tertiis, si recidiui fuerint, exilium, relegatio, ad infamiam ostentatio in columna publica, mulctæ & bonorum confiscatio. quæ tamen apud Belgas nec vbique, nec ex omnibus criminibus infligi potest, plerumque non nisi ex crimine læsæ Maiestatis, annotatis tamen bonis viuente reo.

CA-

CAPVT VIII.

De Ostraciſmo.

1. *Cùm res publica requirit, vſurpandus.*

NOn tantùm malis hominibus prouinciâ purgare oportet, ſed & expedit nonnumquã Reip. ſuſpectum, quamuis probũ, per oſtraciſmũ dimitti. quo genere cenſuræ Græci vſi ſunt, ſed & Rom. Imperatores nõ malè ſi quos ſuſpectos habebãt, ſpecie legationis, honorũq; in alias prouincias ſepoſuerunt, per ſimulationem amicitię, ſecum ab exercitibus abduxerunt. & Nero nondum malus Plautum per litteras admonuit, *vt conſuleret ſibi & vrbi, ſeque prauè diffamantibus ſubtraheret, eſſe illi per Aſiam auitos agros, in quibus tuta & inturbida inuenta frueretur.* Tacit. Oſtraciſmi eo genere prudenter ſæpè Hiſpani vtuntur, in Indias, ſeu alias prouincias dimiſſis iis, qui Reip. ibi operam non malam ſæpè præſtiterunt, quamuis non leuem ſuſpicionem ante dediſſent. Quod ſanè laudabilius eſt,

2. *Citra mortem niſi in ſceleribus luce clarioribus.*

quàm exemplo in eos vti, quo Seianus, Cecinna, Parmenio ceciderunt, pręſertim ſi conſtare apertè eorum ſcelus non poſſit. vt Cecinna concidit ita vigente diſcrimine, Sueton. *in Tito* referente, vt is etiam chirographum eius pręparatæ apud milites coniurationis deprehendiſſet. nam hoc tantùm caſu, & cùm aliter ſaluus Princeps, ſaluaReſpub. eſſe non poſſit, vbi pernicioſior eſt quies, quàm temeritas; & conſilium laudari non poteſt, niſi peractum, admitto quę habet Clapmar. *de arcan. rerump. l.* 4. *c.* 12.

3. *Ratio imperiorum ne noceri poſſit. nihil nimis excelſum ſit.*

Ratio ſanè imperiorum eſt, *ne noceri poſſit*, vt ait Dio. ideoque *ſatius eſt prouidere*, vt ait Philoſophus *polit. lib.* 3. *c.* 4. *ne aliquis in Rep. tantopere creſcat.* vbi verò Reſp. in eum ſtatum peruenit, medicina vtendũ eſt. *Cedat*, inquit Seneca, *quidquid excelſum eſt.* Quale & illud Athenienſiũ; *Nemo de nobis vnus excellat, ſed ſi quis exſtiterit, alio loco & apud alios ſit.* quomodo Africanus lubens ciuitate ceſſit. *Periculoſum erat*, inquit Liuius, *in Rep. præſertim libera vnum hominem eſſe caput & columen imperii: ſub vmbra Sacpionis Vrbem terrarum orbis dominam latere, nutus eius pro decretis patrum eſſe.*

4. *Ideò & Principum filiæ nõ niſi de conſenſu nubunt.*

Quare & inter Principes id obtinuit, ne fœminæ ex domo Auguſta proarbitrio nubant. Agrippinâ maritum petente Tiberius negauit, *non ignarus*, vt ait Tacit. *quantum ex Rep. peteretur.* auidiſſima enim potentiæ erat, quod illi ridens exprobrabat

brabat Tiberius: *Si non dominaris filiola, iniuriam te accepisse existimas?* Idem Tiberius Seiano Liuiæ nuptias ambienti apud Tacit. *lib.* 4. *Falleris*, inquit, *Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liuiam, quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, eâ mente acturam, vt cum equite Romano senescat.* Nam vt idem Tacit. *in Agric. matrimonium ad maiora nitenti, decus ac robur.* Sic Darius apud Iustin. *lib.* 1. *Principio regni Cyri Regis filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium recepit, vt non tam in extraneum translatum, quàm in familiam Cyri reuersum videretur.* ita Octauia Claudij Imp. filia Neroni desponsata est *quod maiora illi patefacturum erat*, inquit Historicus: progressum scilicet ad imperium. itaque in elocandis regiis filiabus diligente circumspectione opus est, vt ambitiosus procus non admittatur, qui regnum aliquando affectare possit, siue in monarchia, siue in Rep. Non carere mysterio multi credunt, quòd Palatinus Boëmici ambitus reus, nec à socero admissus fuerit, nec à sororio intra regnum magnæ Britanniæ receptus, sed in nemore Hagiano venari, & tranquillam vitam degere relictus.

Non dissimili ex causa apud multas gentes non in liberos reorũ dumtaxat, sed & in propinquos sæuitum est. sed & apud Romanos non rarò. *Mutianus*, inquit Tacitus, *Vitellij filium interfici iussit, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restrinxisset.* Nam gnati paterni regni vindices Sen. & iterùm Tac. *lib.* 5. *Annal. Placitum posthæc vt in reliquos Seiani liberos aduerteretur.* & apud Amian. Marcellin. *intercepti imperiali motu interiere omnes ad vnum, eorumq; soboles, parua etiam tum, ne ad parentum exempla succresceret, pari sorte deleta est. Nec verò me fugit*, inquit Cicero, *quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui: sed hoc præclarè legibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes Reip. redderet.* Sed hoc nihil facit vt iustè occidi insontes possint: vt abesse iubeantur à Rep. cui periculosi sunt, concedi potest saluti publicæ, non vt in corpora sęuiatur. ideoque rectiùs Alexander, *apud Curtium lib.* 8. *Olim istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos parentesq; solui, & profiteor omnes eodem honore futuros eos in quo fuerunt.* Diocletianus non tantùm Cassij liberos viuere permisit, sed etiam honoribus affecit. Cęsar, & Augustus, aliique non hostium multorum liberos tantùm, sed & plurimos, qui ipsi hostes fuerant, non in gratiam tantùm receperunt, sed dignitates, & ipsos consulatus dederunt. beneficiis tantis animi hostiles expugnantur, & hostilia obliuiscuntur. tum nihil potentius ad clementię fa-

5. *Consanguineos in pœnam vocari non posse ob aliorum reatum.*

6. *Nisi fortè vt absint.*

mam. Hæc tamen ita prudenter temperare oportet iram inter & clementiam, vt Cassij & Bruti in Principis nimium clementis & Reip. perniciem non alantur. Arcadius & Honorius *in l. quisquis C. ad leg. Iul. Maiest.* testantur filios paterno debere perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hereditarij criminis exempla metuuntur. tamẽ se vitam eis dare, ciuilibus tantùm pœnis irrogatis. in causa scilicet maiestatis. nam aliàs pœnæ suum tenent auctorem *l. 22. C. de pœn.* neque alieni criminis quisquam successor constituitur. *l. 26. D. de pœn.*

7. *Nisi in seruis & militibus.* Sed & aliàs tamen cùm delicti atrocitas exempli seueritatem requirit, etiam insontes nonnumquam pereunt. ita obseruatum cùm interfecto domino omnes serui trucidabantur. qua de re Cassius *in Tacito 14. Annal. & quidem insontes peribunt; nam & fuso exercitu cùm decimus quisq; feritur, etiam strenui sortiuntur.* & Liuius *lib. 2. Centuriones duplicarioſq; qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit: cætera multitudo sorte decimus quisq; ad supplicium lecti.* Rationem in Cluentiana dat Cicero; *vt metus ad omnes, pœna ad paucos perueniret, & ne miles in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis & supplicij metus est à maioribus constitutus: ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est.*

8. *Necessitas exlex.* Sanè necessitas ius ordinarium soluit. ita seditiosum & latronem occidere licet statim, ac deinde ad Principem scribere. *l. 6. D. de iniusto rupto.* sic castrorũ præfectus seditiosos supplicio afficit, quamuis ad legatum ea iurisdictio pertineat. *l. 9. D. de custod. reor.* quod Tacit. 1. *Annal.* à Menio refert factum esse *bono magis exemplo, quàm concesso jure.* sic difficili tempore annona vendi iusto pretio iubetur inuitis. *l. 6. de extra ord. crimin.* cùm aliàs nemo inuitus vendere cogatur. ita filius etsi non hęres pro debito principali tenetur, & vxor in pignore posthabetur *l. 4. C. de primipil.* sic priuatum depositi ius publicæ rationi cedit. *l. 31. D. depositi.* ad eandem notam pertinent *l. 11. D. ad l. Iul. Maiest. l. 10. §. 16. D. quæ in fraud. creditorum.*

9. *Et salus publica.* *Sic & salutis causa rei familiaris commoda negligenda esse,* ait Vercingetorix, *apud Cæsarem lib. 7.* Gallis suadens vt sua ipsi frumenta & ædificia incenderent, quo libertatem & imperium tenerent. sic & *l. 3. C. de primip.* sed alio sensu, *vtilitas publica præferenda est priuatorum contractibus.* Iustam rationem tradit Liuius *lib. 26. Resp. incolumis & priuatas res facilè saluas præstat, publica perdendo tua ne quidquam serues.* adeoque, quatenus salus publica exigit, hæc iusta sunt; non pro lubitu. *quasi verò*, vt inquit

quit Saluſt. *iuiuriam facere, id demum eſſet imperio vti.* Laudabiliùs Titus apud Sueton. *abſtinuit alieno vt ſi quis vnquam.* quare quod ſalus publica alicui auferendum ſuadet, ex ærario publico refundendum videtur, *l. 2. C. pro quibus cauſis ſer. prem. lib. accip.* quantum fieri poteſt; id enim iuſtitia diſtributiua exigit, quę non permittit vt publicum onus in paucorum humeros reclinetur: & prudentia politica, *ne per ablationes rerum coniurationes inſtituantur.* vt minatur Philoſophus, *lib. 5. polit. cap. 6.*

CAPVT IX.

De ſeditionibus.

COngruit bono & grauiPręſidi curare, vt pacata atque quieta prouincia ſit quam regit: quod nō difficile obtinebit ſi ſollicitè agat, vt malis hominibus careat prouincia, eoſq; cōquirat *l. 13. D. de off. Præſid.* atq; in primis odia, atque ciuiles contentiones vt remittantur, allaboret. nam ex his vires paulatim ſumentibus à priuatis familiæ, à familiis tribus, à tribubus vrbes, ab vrbibus prouinciæ integræ incenduntur, & totæ demum conflagrant. ſeditiones atque bella ciuilia contemptis ſæpè initiis nata ſunt, nec niſi multo ſanguine reſtingui potuerunt. Ira ciuilis nec legem nec modum nouit, bellum ciuile nullam diſciplinam: victoria ciuilis calamitas, etiam pace obtentâ ſæuitia bello grauior. 1. *In iis officiū Iudicis vt cauſæ tollantur.*

In hæc initia vigilare, & præoccupare noxias Magiſtratum oportet. etiā minima nō contemnere. cauſas ſanè nullas prębere, iniuſtè arreptas auferre, aut moderari Furiis aliquādo, & tempeſtatibus cedere. operiri, qua ad rationis ſemitam redeatur, nouitatem omnē vitare, & oblatā præſcindere, optimatū atque plebis ſtatū antiquum nec augere, nec minuere, vtriuſque mores priſtinos ſartos, tectos ſeruare. ſi quid enim inſolentius fiat, qui ſe lęſum credit, facilè ſurgit in iras, & turbas. pręterquam quod genus humanum querulum eſt, & peſſimo cuique facilè murmurare, & ex plebe aliquis Marius, aut ex nobilitate quiſpiā Sylla, Catilina, Cæſar eſſe velit; ac dominatus cauſâ ſurſum deorſum omnia vertere. neque libido dominandi vllibi aut vmquam ſuos Tamberlanes defuiſſe permiſit. Sacræ Litteræ atque omnium gentium Hiſtoriæ plenæ ſunt. Conſenſ. *lib. 9. polit. cap. 3.* Romanas ſeditiones 2.

ab vrbe condita singulatim omnes enarrat, tum sub Regibus, tum sub Consulibus, tum *c.*4. sub Imperatoribus, tum *c.*6. aliarum Rerumpubl. ex Lipsio Louanienſ. tum *c.*7. Osmanidarum.

Causæ à superioribus.

Rectores Prouinciarum, vrbiúmve sępiùs populum superbâ arrogantique crudelitate in seditionem verterunt.

3. *Superbia & auaritia.*

sæpè auaritiâ, tributorumque exactionibus, maximè nouorum maiorumque duriter imperatis. quæ sæpè Principibus exitio fuerunt, raro non nisi ministris lucro. tum verò si non consensu Ordinum, & notoriâ necessitate exigantur, si nec ipsi Principes indixerint, sed Præsides tantũ extorqueant, immane periculum est. non alios hîc quàm Belgas testes volo. nisi accedat Battus Dalmata Tiberio exprobrans, *Romanos belli causam dare, quòd non canes, sed lupos pecoris custodes mitterent.* Nihil enim mirum, tumultuari subditos, si Magistratus latrocinentur.

4. *In iustitia.*

Iniustitia etiam cùm ius non redditur, aut iniquum redditur, facit non rarò vt malè habiti ad vim conuertantur.

5. *Minæ, metus.*

Magnum insuper incitamentũ ad seditionem est metus, ac minæ. quas, antequam executioni mandentur, & quodcumque malum prospicitur, anteuerti, & præoccupari solitum est. Aristot. *lib.5.polit. c.*3.

6. *Spes.*

In vicino est spes, maiora, melioraque consectantium. inter quos primi, qui honorum cupidine & ambitione incensi sunt. quę causæ vix absunt ab vlla rebellione. sæpè sunt solæ. Aristot. *d.c.*3. & huc spectat nimia vnius paucorúmve potentia. quæ vel ipsos in spem dominatus erigit, vel æmulos excitat. *Propter excellentiam porrò*, inquit Aristoteles, *seditio oritur, cùm aliquis vnus, aut plures ampliores opes, maioremq; potentiam obtinent, quàm fert ciuitas. aut Reip. administrationis potentia. ex talibus enim rebus monarchia, aut dynastia nasci solet.* quo circa in nonnullis locis pręstantiores per testam ad certum tempus relegari solent. quod Græci dicunt ὀστρακίζειν, vt Argis & Athenis. Atqui præstat ab initio prouidere, ne viri tam excellentes in ciuitate possint existere, quàm malo ex patientia & ex negligentia nato posterius mederi.

7. *Contumelia.*

Contumelia adhęc, si magni viri eâ afficiantur, & licentia deinde in fœminas, præsertim nobiles, vltionem prouocat.

8. *Fastus.*

Fastus denique amicorumque pridem contemptus. Suet. *in Iulio, c.*76.77.78.79. & Tarquinio vrbe pulso, nõ aliud nomen inditũ, quàm *Superbi*, quo populus existimauit satis vitia, &

iustas

iustas suæ defectionis causas denotari. Et fastus tum est intolerabilior, cùm sub titulis Maiestatis accedit crudelitas. quare bonus Imperator aiebat crimen Maiestatis suo sęculo cessare. admonentque Iurisconsulti veteres crimen hoc non habendum in occasionem ob Maiestatis venerationem: personam spectandam, an potuerit facere, & an antè quid fecerit. Sub malis Principibus crimen Maiestatis nobilis scriptor singulare dicit, & vnicum crimen eorum, qui crimine vacant. denique quot sunt imperantium vitia, tot esse possunt causæ rebellionis, sed quas iam diximus genere & impetu prævalent.

Imprudenter ergo etiam administrata Respub. vel ipsos Ordines, vel ipsum vulgus ad seditionem excitat, sed maximè si antiquum regionis morem, prisca iura, aut priuilegia contemni videant. præsertim ea, quibus aliqua populi libertas consistere, eaque sub regium arbitrium subigi credatur. quod incautè aliquando habiti Belgæ septuagenario nunc bello testantur. 9. *Imprudentia, morum incuria.*

Periculosum etiam est diuersos inter se populos miscere, & in ciuitatem assciscere. Arist. *d. c.* 3. nisi fortè in exigua Rep. vbi multis mox matrimoniis affinitates fidem, amicitiamque conciliant. vt Romulus multos eodem die hostes eosdem & ciues habuit, & Sabinarum raptus, ne soceri & generi semper pugnarent, impediit. 10. *Populorum confusio.*

Tandem & multarum seditionum seminaria sunt oppositi inuicem Magistratus. vt apud Romanos tribuni plebis. 11. *Oppositi inuicem magistratus.*

Ad extremum populo arma ad defensionem permissa occasionem in multis imperij ciuitatibus dederunt eiiciendis Magistratibus. 12. *Arma vulgo permissa.*

Insuper inconsulta Principum liberalitas, dum aliena, aut olim à prędecessoribus data aliis largiuntur, rixas sæpè & bella excitant. Ob Valachriam aliasque Zelandię Iusulas antè Hollando, deinde Flandro datas per quatuor olim sæcula subinde pugnatum est. 13. *Inconsulta liberalitas.*

Prouincialium etiam & subditorum vitia sæpiùs seditionibus originem præbent. præsertim in amplo imperij corpore, vt ab vno capite difficile regi possit. & dissitis sub vno Principe longè lateque prouinciis, vt difficiliùs mandata regia, & plerumque tardiùs eò deferantur. neque tutum semper & vbique sit legatum mitti cum summa potestate. D. Augustinus *de ciuit. Dei lib.* 19. *c.* 7. *Quamuis desint hostes, tamen ipsa imperij latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet* 14. *A subditis etiam causæ populi vitia.*

& ciuilia, quibus miserabilius quatitur genus humanum, siue cùm belligeratur, vt aliquando conquiescant; siue cùm timetur, ne rursus exsurgant.

15. *Odia.* Plerumque seditionibus mutua odia & inuidię quibus in Principes amor prętexitur, causę seditionum sunt. vt in Gallia auorum sęculo, Burgundico & Aurelianensi sanguine odiis consanguineis litatum est. fomes stirpitus nondum est eradicatus.

16. *Nobilium egestas.* Potentes qui patrimonia absumpserunt, qui fodere non valent & mendicare erubescunt, nouas res moliri solent, ex quibus fugant quod patrimonio surrogent. Aristotel. *lib. 5. polit. c.* 6. Iulius, Catilina, Cetegus, Curio, Milo, Antonius Triumuir post rem decoctam ambitioni publicas causas prætexerunt.

17. *Aut plebis.* Mercimonia, opificiorum, artificiorumque lucra si intercidantur, & cum finitimis commercia; si plebs labore vacua ocietur, fameatque; timendæ sunt expilationes domorum, & grauiora incommoda.

18. *Contemtus Magistratus.* Remp. etiam turbant facilè potentes, si potestas Magistratuum paulatim sit imminuta, ita vt eos contemnant ij quorum est parere: nec audeat, nec facilè possit magistratus reprimere insolentes, felicitate rerum elatos, in luxum, superbiam, & Magistratuum contemtum, cæteraque vitia inde consectaria prolapsos. vnde Florus *lib. 5. c.* 12 *Quæ enim res alia furores ciuiles peperit quàm nimia felicitas?*

19. *Collegia incauta.* Collegia etiam, sodalitates, confraternitates, quibus etiam ius coëundi datum est, nisi diligenter obseruentur, ne quid contra leges faciant, periculosa admodum sunt.

20. *Religionis nouatio.* Denique nihil potentius ad omnem seditionē quàm religio, & superstitio, in eisque nouationes. id quod per omniū seculorum historias liquet, sed multo maximè per nostri sæculi tempestates, ab hęresiarchis seditionum ventilabris excitatas. Id quod pluribus exequitur Consen *lib. 9. polit. c.* 10. & 11. vbi præsentē Reip. ac religionis Christianæ in Europa statū explicat. turbatam in Imperio publicam pacem *c.* 18. atq; euersam *c.* 17. nec ciuilem obtineri posse, nisi Ecclesiastica turbari desinat *c.* 18. posse tamē certis conditionibus *c.* 22. 24. non mixtione religionū *c.* 23. aut syncretismo. *c.* 24. 29. etiā Lutheranis nō probato *c.* 27. 28. colloquia *c.* 33. scriptiones *c.* 34. conducere, petulantia interim ingenia *c.* 30. calumnias *c.* 32. coërcendas: arbitros affectibus liberos quærendos, *c.* 31. certissimam esse ratio-

rationem Concilium generale, *c.*35.ex more Ecclesiæ:*c.*36. sententia etiam aliorum *c.* 37. vtile esse, quod secundùm veterem Ecclesiæ formam & consuetudinem celebratur, adeoque Tridentium toties antè à Germanis petitum:*c.*42.contra exceptiones,quæ opponuntur, inanes, *c.*43. Principibus religionum concordiam debere esse commendatam, *c.* 20. eius pacis publicæ ineundæ rationem, *c.*44.

Semper tamen ea ratio tenenda, quæ ex more & ingenio gentis ipsi religioni, & Reip. vtilis esse queat. non nullibi carceres, & ignes religionem conseruant, alibi euertunt: quędam gentes suppliciis emendantur, quædam in peius ruunt; quędam alicubi sectæ contemptæ exoleuerunt, quædam pœnis vindicatæ alicubi violentiùs repullularunt *Meridionalium multitudo vbi religione capta est, melius vatibus, quàm ducibus suis semper paruit.* Curt. *l.* 4. Modus regiminis cuique climati applicandus,non quasi animis perinde ac linguis imperari possit, vt de Alexandro Curtius; sed ne ouis vna infectionem alteri affricet. Regiminis porrò ea in re ratio à Mecænate ad Augustum prudentissimè præscripta est: si de vera religione accipiatur: *Diuinum numen omni modo atque omni tempore secundùm ritus patrios cole, atque ad eius cultum alios compelle: eos verò qui circa illud aliquid innouant odio habe, & coërce: non deorum solum causa, quos qui contemnit, nihil aliud magni fecerit: sed quia noua quædam dæmonia introducentes, multos impellunt ad rerum mutationem. Vnde coniurationes, seditiones, conciliabula existunt. res profectò minimè conducibiles Monarchiæ.* Iussit & id lex XII. *Tab. Nihil*, inquit Tac.*lib.* 19.*æquè dissoluendæ religionis esse, quàm vbi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.*

21. *Remedia.*

22. *Religionis antiquæ & fidei strictè obseruatio.*

Id porrò semper Principes atque Magistratus propositum habeant, vt verum Dei cultum, veram religionem, quocumque vtiliori, pro ratione loci, & temporis modo promoueant, neque secularibus rationibus aut politicismis vltra genuinos Christianæ politices terminos abducantur: memores promissorum,& minarum 1.*Regum c.*2.*Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me, sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

23.

Porrò in omnes seditionum causas, & origines diligenter inuigilare Magistratui conuenit, & quidem nullo potest efficaciori modo quàm principiis obstando, quę inualida esse solent, sed impetu crescere, eoque valentiùs quò velociùs. quibus enim tempus datur, tanquam mare, cui non opponitur

24. *In omnes causas & causas intenta vigilantia.*

agger, gliscere permittuntur, omnemque in circuitu regionem inundare. & fit, vt seditio iam iustâ potestate superior sit, nec vi compesci possit, sed iam cuniculis oppugnari debeat, tempestati cedi, & aliquid de rigore veteris iuris remitti, postulata in totum, in partem, ad tempus, concedi. Nihil enim est periculosius, quàm in istis turbinibus indurare animos, sæuitiâ etiam vel desperatione ad extrema impellere. exarmare etiam quocumque modo, aut promisso ciues, ac prouinciales oportet, ne armis assuescant, pericula contemnant, militarem audaciam induant, vires suas introspiciant, alienas contra Principem suppetias petant, impetrent: in bella etiam primo sui defendendi nomine, & mox offendendi Principis causâ ruant ipsi, & vicinos, adeoque semper æmulos, Principes trahant: deinde quo iustiùs populus rem geri putet, senatusconsulto etiam atque Ordinum decreto Principem iure sui dominatus excidisse declarent, nouam Remp. forment, aliis Principibus & Rebuspub. probatam reddant, fœderibus stabiliant.

25. *Et in Auctores.* Omnes ergo, vt diximus, seditionum causas auferre, aut ne nascantur, si fieri potest, impedire, quàm maximè oportet; natas quàm ocyssimè amoliri, adeò vt seditionum etiam auctores, si in principiis ipsis tutò extingui non possint, donis tamen & muneribus placandi sint, promissis etiam honorum & dignitatum. synceris quidem & à quibus fraus publica absit.

26. *Excitatis etiam inter eos discordiis.* Deinde si magis id fieri tempus suadet, inter ipsos seditiosos discordię excitandæ, seditiosi inter se committendi. diuidere distractos, punire, negotij, præsidiorum nomine dimittere oportet, aliis modis quos sors offert coërcere, discutere. sed nosse gentis genus oportet, & mores vulgi. *Multitudo omnis sicut natura maris per se immobilis est, vti venti & aura cient, aut tranquilli, aut procelloſi.* Tac. *l.* 18. *Non est*, inquit Cic. *pro Planc. consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. Hæc*, inquit Liuius *l.* 24. *natura multitudinis est, aut seruit humiliter, aut superbè dominatur. libertatem quæ media est nec spernere modicè, nec habere sciunt. nihil in vulgo modicum. terrere, ni paueant, mutabile subitis, tam pronum in misericordiam, quàm immodicum sæuitia, sine rectore præceps, pauidum, socors.*

27. *Non tamen perpetuò alendis.* Quòd si tamen tempus suaserit discordias inter seditiosos excitari, rebus compositis omnino alendę non sunt, sed stirpitus tollendæ. factiones plerumque cum Reip. periculo sunt coniunctæ. strages magnas dederunt Guelfi & Gibellini: Arminiaci

miniaci ac Burgundi; Rosa alba atque rubra; Liguistę ac Hugonoti, Snouckij ac Cabilaui, &c.

Si grauius nihil admissum in motu populi quàm turbulenti clamores; solent mitiùs coërceri *l.28. D. de pœn. §. solent quidã, qui vulgo se iuuenes appellant in quibusdam ciuitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accomodare, qui si nihil amplius admiserint, nec antè sint à Præside admoniti, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur: quòd si ita correcti in iisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt, nonnumquam capite plectendi, scilicet cùm sæpiùs seditiosè & turbulentè se gesserunt, & aliquoties deprehensi tractati clementiùs in eadem temeritate propositi perseuerauerint: si grauiora delicta accedunt grauius statuendum est, transfugæ ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores, aut viui exuruntur, aut furcâ suspenduntur, & auctores seditionum aut tumultuum populo concitato pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut bestiis obiiciuntur, aut in insulam deportantur.* 28. *Coërcitio pro modo culpæ tumultuantium.*

Quisquis cum barbaris aut militibus scelestam init factionem gladio feritur, bonis omnibus fisco addictis. l. quisquis C. ad l. Iul. Maiest. sæpè cùm à multis peccatum est, sorte deliguntur puniendi, decimantur, decimus, vigesimus, centesimus pœnæ subditur.

Canones seditiosos excommunicant. *c. fin. d. 90.* seditionarios initiari vetant. *d. 46. c. 8.* & vt in seditione solent in Magistratus & Principes maledicta proiici, Canon. 83. Apost. ita statuit: *Si quis contumeliâ affecerit Regem, aut Principem, pœnas luito.* Si quidem clericus, deponitor: si laicus, communione priuator. Sic Maria soror Moysis aduersus eum insurgens leprâ percussa est. *Exod. 22.*

Apud multas gentes vsitatum fuit, vt filij, nepotes, & consanguinei omnes eorum interficerentur, qui in Principem aut Remp. aliquid moliti essent. Id Arcadius & Honorius non admittunt. sed tamen in liberos pœnam extendunt. Iure hæc inquam statuta sunt, sed ad prudentiam Rectorum pertinet dispicere, quando lege agere conueniat, quando silere legem, & suppliciis non asperare populum, & impellere inclinantem. quando leges audaciæ impares futuræ sunt, pacare mollibus dictis, & promissis. Roboamo seniores auctores erant, vt eâ die populo cederet, & pacatum dimitteret. *3. Reg. 12. Si hodiè obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusq; fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.* sed ex consilio iuniorũ respondit Rex populo dura: & mox populus regẽ aspernatus est; *quæ nobis pars in Dauid. Vel quæ hæreti-* 29. *An & propinquorũ?* 30. *Prudenter & sæpe lenius agendum.*

tas

tas in filio Isai? ab eoq; defecit: *Vade in tabernacula tua Israel. nunc vide domum tuam Dauid*; tributisque præfectum Aduram lapidauit omnis Israël. fugere coactus est rex, recessit ab eo Israël, vocauerunt Ieroboam congregato cœtu, & constituerunt eum regem. & tribus Iuda & Beniamin centum & octoginta millia electorum virorum ne in rebelles duceretur oraculo & religione impedita est. Sanè, in huiusmodi seditionibus promptâ prudentiâ & solerte iudicio opus est. Id numquam malè cessit, dulcibus verbis lenire plebem, quando manifestum non est leges auctoritatem habituras.

31. *Moderatio tributorũ.* Cęterùm tempestiuè causas non auferre, vnde effectus ad seditionem prodeunt, extra culpam numquam est. præbere autem earum ansam perditi consilij. aluerunt plures in Rep. dissidia, quibus ipsi dein conciderunt. Ægypti reges in more id habuerunt. sed malo suo domi debiles, externum hostem inuenerunt, qui eos facilè inuasit, vicitque. & sęculo nostro apud Gallos exemplum, ac alibi non defuit.

Profectò Principes exigendis vectigalibus, ne noua ratio aut quantitas imponatur, diligenter cauere debent. pernitiosa est eorum propagatio; plerumque subditos à suo Principe diuidit, & eorum amorem, & obseruantiam tutissimum omnis imperij vinculũ disiungit. infinita sunt omnis ætatis, omniumque regnorum exempla. Bodin. latè *de repub. lib.* 6. Monet optimè Tacit. *l. 5. hist. pecuniis conquirendis Principes plus inuidiæ sibi, quàm virium addere.* moderatio & veteris consuetudinis obseruantia, subditos suo Principi reddit obsequentissimos. magni faciunt prouinciales, seruari sibi veterem consuetudinem, vt loquitur Martian. *in l.* 1. *D. de Off. præt. l. obseru. §. recto. D. de Off. proconsul.* & vt cumque subinde minui videatur potestas imperantis, cùm vel subditorum vetera iura, vel immunitates fert, vel adauget; redditur tamen re ipsâ tutior & firmior, vt rectè Theopontus Spartanorum rex vxori regiam potestatem ab eo imminutam conquerenti respondit. nam vt eleganter scribit Valerius Max. *lib.* 4. *c.* 1. factum Theoponti commemorans; *ea demum tuta potentia est, quæ viribus suis ponit modum.*

32. *Ex Ordinũ iudicio.* Quinimò qui prudentiæ nomine laudatiores fuêre Principes, quãquam arbitrio suo possent noua vectigalia imponere, non aliter licere sibi voluerunt, quàm si comitiis ex more euocatis, Statibus, vt nos loquimur, congregatis, id probetur. *Part. lib.* 6. *tit.* 7. *lib.* 1. *nouæ recapit.* Regni ac Reip. quies nullâ re magis conseruatur, quàm humanitate & beneuolentiâ Principum,

pum. cui respondet amor subditorum. noua vectigalia vtrumque offendunt.

Et ideò tam iustè quàm prudenter Vlpian. *in l. 4. §. final. de public. & vect.* In omnibus vectigalibus ferè consuetudo spectari solet: idque principalibus constitutionibus continetur. & Paulus *in l. licitatio. §. earum. D. eodem. Earum*, inquit, *rerum, quarum vectigal numquam præstitum est, præstari non debet.* & Imperatores *in l. si prouincialium, C. noua vectigalia instituì non posse, in verbis, & probatum fuerit vltra antiquam consuetudinem.* & denique ipse Iustinianus *in Nouella 43. c. 31.* his verbis: *Neque enim sustinemus aliorum onus ad alios deferri, aut tam immitem proponere formulam, vt quotidiè vectigalia augeantur, & quemadmodum superiùs edocti sumus, & quadruplo, quintuplo, atque adeò decuplo maiora irrogentur. Cùm nihil tam magno studio, atque tam serio affectemus, quàm ne nouo quispiam vectigali oneretur. Nouum autem fuerit, non tantùm quod nunc primum impositum fuerit, sed etiam quod primum modum excedat.* Hactenus benè & prudenter Iustinianus. Drusus Frisiis tributum iusserat, modicum; vt in vsus militares coria boum penderent: non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quę mensura: donec Clenius Frisiis impositus terga vrorum delegit, quorum ad formam acciperentur. quæ res Frisios ad rebellandum adegit. Tac. *l.* 4.

33. *A nouis abstinentia.*

Vehementiores etiam habent aculeos latrocinia Magistratuum, qui nullo iure plebem exhauriunt concussionibus, & hostili peculatu. quia Magistratuum facinora Principi imputantur, qui non emendat, minorumque scelera Magistratibus, qui non puniunt. profectò numquam nimia potest esse diligentia in inquirendis his reis: numquam nimia seueritas in puniendis ritè conuictis: nulla securitas in neglectis. exercita diu populi patientia erumpit in furorem, cui dein Magistratus sæpè nec Princeps par sit.

34. *Magistratuum punitio.*

Sed & maximè Magistratuum crudelitas furorem populi prouocat, & si vnquam alio in casu, hoc maximè recidit in auctorem scelus: sed & in Principem, atque omne dein Imperium excutitur. si ament Imperium Principes, crudeles non sint; crudeles non tolerent Magistratus. *Errat*, inquit Senec. *lib. 1. c. 19. de clem. si quis existimat tutum esse ibi Regem, vbi nihil à rege tutum est. securitas securitate mutua paciscenda.* & Plutarchus: *Reges reuerà prosubditis, tyranni subditos timent.*

35. *Clementia.*

Crudeles nulli securè vixerunt. Vnde ad Neronem vox illa Flauij Tribuni rogati, quibus de causis ad obliuionẽ sacramẽti pro-

36. *A crudelitate, minis, cõtumelia, abstinentia.*

proceſſiſſet? *Oderam te*, inquit, *nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti: odiſſe cœpi; poſtquam paricida matris, & vxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.* Tac. *lib.* 15.

Iuſtum Principem timent mali, crudelem omnes: viuum execrantur, ſublatũ ex oculis diris deuouent, & publico gaudio. De Neronis nece tantum gaudium extitit publicè, vt plebs pileata totâ vrbe diſcurreret. Sueton. *c.* 57. *De Tiberio, c.* 75. morte eius ita lætatus eſt populus, vt ad primum nuntium diſcurrentes pars Tiberium in Tiberim trahi clamaret, pars terram matrem, Deoſque manes oraret, ne mortuo ſedem vllam niſi inter impios darent. Domitiano ſimiliter occiſo, *Suet. c.* 23. ſenatus adeò lætatus eſt, vt repleta certatim curia non temperaret quin mortuũ contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret. De aliis alia. Vitellio etiamnum viuo tanta rerum ludibria irrogata, quibuſdam ſtercore, & cœno inceſſentibus, vt minùs fuerit apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificari, & vnco in Tiberim trahi.

Ab antiquo ſapiente dictum: *Alieno ſanguini parce, vt tuo.* tum ſcilicet charitate quæ proximo debetur, tum metu, ne qui effuderit ſanguinem, effundatur ſanguis illius. pretioſus æquè eſt ſanguis agaſonis ac regis, ſerui ac liberi, cucurbitę atque Imperatoris. vnus enim eſt Deus omnium, vnus creator, vnus redemptor, qui æquo iure de omnibus ſtatuet, pellem pro pelle exiget, ſceptra ligonibus æquabit, homicidia, latrocinia, aliaque ſcelera in omnibus æquo iure vindicabit, imò rigidiùs in Regibus & Magiſtratibus. *Potentes potenter tormenta patientur*, quia non rectè iudicarunt; quia ſanguinem innoxium fuderint, aut ne à ſuis funderetur non impedierint, effuſum non vindicauerint.

Ad crudelitatẽ pertinet metus, atque minæ imperantium, ſeu Magiſtratuum. *Nec verò*, inquit Cicero, *vlla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna.* Rectè Camillus, *apud Liuium l.* 12. *Tot populos inter ſpem, metumq; ſuſpenſos animi habetis, & veſtram itaque de iis curam, quàm primum abſolui, & illorum animos dum expectatione ſtupent, ſeu pœnâ, ſeu beneficio præoccupari oportet.* Silures vulgato rumore quòd Imperator dixiſſet, vt Sicambros, ita Silurum nomen penitus extinguendum, *l.* 32. Tac. *in deſertione pertinaces manebant.* Futuri mali apprehenſio violentiùs ſuadet, quàm præteriti recordatio. magis agitat cura imminentis periculi, quàm memoria iniecti. qui de vita ſua diffidit,

diffidit, alienâ morte ſuam vitare nititur, atque ex deſperatione in ſpem erigitur, & periculoſa Principibus atque Magiſtratibus conſilia, ſpes & metus eloquentiſſimi perſuaſores, vbi audendum, aut moriendum creditur. Caueant porrò Magiſtratus atque Principes, ne in huiuſmodi præcipitia ſuos agitent, ne minas inijciant, metum incutiant, & inſurgendi neceſſitatem: ſi quid imprudenter factum fuerit, emolliant, inflictumque aculeum euellant; aut ſi memoriam nimis tenacem vereantur, honoribus atque præmiis alibi datis, vbi nocere non poſſunt, medeantur.

Adeoque & contumeliâ abſtineant, & in vxores præſertim magnatum licentiâ, maieſtatem ſine faſtu tueantur, in verbis ab acerbitate caueant, aliorum contemptu atque ira prudentiæ aduerſa. ingenia ſuorum noſcant, atque ambitioſa honoribus mulceant. ſed quibus nocere non poſſint, nihil temerè aut imprudenter ſtatuant, ſed negotiis maturè diſcuſſis, adhibitis etiam in conſilium fidiſſimis æquè ac peritiſſimis. Iuſtitiam porrò & ſummè colat ipſe Princeps & Magiſtratus. qui in eam peccauerint ſeuerè emendet, & liberalibus ſtipendiis ne corruptibili auro egeant pręcaueat, exemplo Cambyſis, qui atroci & nouâ pœnâ, nequis poſteà corrumpi Iudex poſſet, prouidit.

37. *Subditorũ vitia corrigantur.*

Denique in omnia Magiſtratuum crimina, quibus populus ad ſeditionem aut rebellionem moueri poſſet, quàm rigidiſſimè animaduertat per ſe, Magiſtratus maiores in minores.

Subditorum etiam vitia Principes ac Magiſtratus coërceant, mutuâ odia tollere nitantur. audiant Iuſtin. *in Auth. de mandat. Princip. c. 2. Conueniens eſt*, inquit, *te prouidere, vt nulli populi ciuitatum alterutris ſeditionem faciant, ſed omnem pacem eſſe Dei ciuitatibus*. Veterem nobilitatem & præſertim pauperem abi gnominia & paupertate vindicabit locupletibus matrimoniis, quæſtuoſis muneribus. periculoſa paupertas in magnis & nobilibus animis, munificentiâ ac liberalitate ab aliis cogitationibus auocanda eſt. Mechanicarũ artium magnam curam habeat: mechanica opera plurima inſtituat: negotiatoribus, vt volentes concurrant, magnam det immunitatem.

38. *Mercimonia, artificia augeantur.*

Omnimodò allaborandum vt mercimoniis & artibus populus implicetur, ne ocietur, diteſcat imò; ſaltem nullatenus egeat; ne dura plebem neceſſitas in facinora impellat. nihil non ſuadet, & audet egeſtas. opulentus populus grauiora &

grandiora tributa sine tædio soluit, merces abundanter illatæ sine murmure vectigalia pendunt. Optimè id norunt Bataui, qui omne in id studium contulerunt, vt artes mechanicę & negotiorum cursus vndique in suas prouincias abundanter defluerent, vnde neruum belli cum obsequij integritate tot nunc annos tendunt, & ex angusto orbis angulo tot tantorumque regnorum monarcham, vt mus elephantem, diuexant. Appositè admodum Mauritius Nassauius supra vestibulũ secretioris cuiusdam cubiculi scripta habebat tria hęc verba: *VVindt, leeft, gheeft.* Lucrare, viue, tribue. ita accidet si Prinpes atque Magistratus sollicitè curent, vt annona vilis sit, artes atque merces abundantes, & ex iis lucrum desideratum, vt sine luxu viuant, parum esse videtur, si de lucris aliquid præcidatur, quod in publicum tribuatur. Ex diuerso si populus iis subsidiis destituatur, egeat, fameat, & languida corpora circumferat, atque his tamen sanguisugæ applicentur, qui reliquum sanguinem exprimant, non aliud agitur, quàm vt ad fatales casus ante fatum oculis propositum audendos miseri cogantur.

39. *Luxus coërceatur.* Sed & pacatâ Rep. artibus mercibusque affluente, & fructibus vernaculis abundãte, summâ sollicitudine luxus coërcendus est. ne priuati insolescant, ne Magistratum non satis audiant, potestatem publicam imminui nullo modo ferendum est, nec vnquam nisi fortè si non præcautus populi furor intumuerit, cui ad tempus cedendum sit, & mutatis fortè personis, potestatis tamen ratio semper habeatur.

40. *Nocturni cœtus vitentur.* Nocturni cœtus & vagationes prohibendæ sunt, scelera suadent, & mala grauia. etiam vigiliæ Christianorum primitiuorum posterioribus sæculis sublatæ, ob mores aliquorum malos. Couar. *Var. c.* 19. Nocturnas coitiones leges XII. Tab. interdixerunt, nocturnum furem occidi permiserunt, secus quàm diurnum. iter faciendum non esse, nisi prælato lumine, author. Paul. *rec. sent. l.* 1. *t.* 21. quod & multorum statuta rectè prohibent, in iisque nox & dies distinguendi, vt Deus, *Gen. c.* 2. appellauit lucem diem, & tenebras noctem. quibus & si clerici vi legis non ligentur, committendum tamen non est, vt securitatem publicam turbent. sed & personati vultus compescendi sunt. Borel. *de Magist. edict. l.* 3. *c.* 9. & 10. Clodij id & Materni Commodum Imp. in personatis sacris Matris Deûm trucidare tentantis exempla suadent.

Peri-

Periculo quod à ciuilibus armis parari potest opponenda est, & in vsum reuocanda Constitutio *Nouella* 85. *de armis c.* 1.2.3.4. ne cui liceat priuato ea habere, vendere, fabricare. Cyro & eius Proceribus arma reseruata. Philistini 1. *Reg. c.* 13. cauent ne Hebræi gladios aut lanceas fabricent. In Ægypto Mammelucis solis in armis esse licuit. Augustus concilium à Mæcenate datum huius rei summam apud se esse sineret, dedititiis & subactis gentibus iussum arma tradere, ponere. Sed id quidem vbi quietè domi res permittunt, non in turbidis limitibus: præsertim si absint militum præsidia, ne vicino hosti moliendi quippiam ansa præbeatur in fines milite, & armorum tractandorum gnaro ciue destitutos. & continua ciuilia bella Belgis nostris vetuerunt, ne ciues arma ponerent, sed tutandis muris sumpta hactenus retinerent. Sed & in pace collegia (*Gulden*) peculiari sacramento Principi obstricta plerisque Belgicæ locis habentur. quorum vsus sæpè compescendis seditionibus fuit salutaris, iuuandis etiam bello Principibus, & magnis olim rebus conficiendis vtilis. cùm stipendiarios milites census Principum, vt hodiernæ rationes, nondum solos admisissent. ita vt pacis etiam tempore (quod consulit Scriban. *polit. lib.* 2. *c.* 37.) exercitum Principes nostri semper haberent. 41. *Armis plebs abstineat.*

Denique collegia & societates ciuicę diligenter obseruandæ sunt, ne illicita coëant, ne licita aliquid ex lege publica corrumpant. *l.* 1.2.4. *D. de collegiis & corporibus.* ne vni pluribus collegiis adscribantur. *d. l.* 1. coëant ad negociationem, easque pactiones, quę publicis legibus prohibitæ non sunt, *d. l.* 4. 42. *Collegia caute habeantur.*

Porrò in Belgio pręter artium merciumque sodalitia, alia etiam sunt, quæ publico sacramento Principi tenentur, (quas etiam Guldas vocant) quibus solet prudenti consilio vir aliquis consularis, aut senatorius præesse, & conuentibus interesse, qui possit etiam aduigilare, qui periculosi sermones habeantur. Demetrius Cynicus à Vespasiano relegatus est in insulam, quòd de Republica parum cautè disputaret. Diogenes quidem & Crates Cynicus grauiora passi. Alia etiam vrbium Belgicarum collegia, quæ tanquam illarum membra, iure patrio etiam publica tractant, prudenter etiam haberi solent, atque intra eos terminos solerter contineri, quos antiqua eis consuetudo præscripsit, & publica ita tangant, ne tamen vltra crepidas efferantur. Subsidia Principi decernant, 43. *Vt in Belgio:*

leges non ponant, sed orent. In his laborandum ne à se inuicē, ne à Magistratibus dissideant, aut controuersias, quas publica negotia adferunt aliquando, seminaria faciant altercationum inter populum & senatum, ne vnius corporis membra distrahantur, aut seditiosi sermones nascantur; vel si quid ortum fuerit, emendatis vtrimq; culpis actutum componatur.

44. *Bono ciui an & quādo in partes eundū?* Sed & in his seditionibus quęri solet, quę sint partes boni ciuis, quiescere, an moueri, an partium alteri admoueri debeat? Solon legem sanxerat, si ob discordiam, dissensionem, seditio atque discessio populi in duas partes fieret, & ob eam causam irritatis animis, vtrimque arma caperentur, pugnaretúrue; tum qui eo tempore, in eoque casu ciuilis discordiæ non alterutri parti se coniunxerit, sed solitarius separatúsue à communi malo ciuitatis secesserit; is domo, patriâ, omnibusque fortunis careret, exul, extorrisque esset. & Cic. 1. *de Off.* eleganter contendit, quòd qui potens imminentem iniuriam proximo non repellit, ęquè eâdem insimulandus sit culpâ, ac qui parentes, patriam, socioſque despectat. qua eadem ratione multorum locorum consuetudines illud Iuris vsurparunt, vt quisquis duos rixantes & depugnantes, cùm posset intercessione suâ disiungere, contempserit; homicidij correus habeatur.

45. Crudelis sanè in patriam est, & ciues, si quis eâ sit authoritate, aut potentiâ, vt cùm componere seditionem possit, negligat: si impedire, ne Resp. detrimentum capiat, contemnat: si prohibere, ne iniuria alteri parti fiat, despiciat: si accessione suâ suorumque iustâ causâ victoriam certam sperare possit, neque se in partem dederit.

46. Quòd si non liqueat Sylla an Marius potiori iure nitatur, cùm vsurpari illud Ciceronis potest: *Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo*; iterum cùm exiguæ causæ multus sanguis paretur; in neutras partes ei, qui, vt mox dictum, non est potens, eundum est: tunc ille audiatur:

-----nec te ciuilibus insere bellis.

47. Quòd si in Magistratū, in Principem, in Remp. moueatur, maiestatis reus fuerit, qui Remp. aut Principem, cùm iuuare possit, deseruerit. quòd si improborum vires nimiæ sunt, vt inanes iræ futurę sint proborum, seruet se Principi, & Reip. in meliora tempora, vt Ioiadas puerum regem clàm educauit in ea vsque tempora, quibus Athalię pellendæ iam par esset.

Alla-

Allaborandum tamen ſemper ne medicina morbo gra- 48.
tior ſit, ne victoria crudelis ſupra meritum. ne barbara-
rum gentium auxilia vocentur, qui impios ritus inuehant,
& quibus periculum ſit ne pars vtraque prædæ aliquando
cedat.

Et profectò extrema omnia tentanda ſunt, antequam pa- 49.
làm ad arma veniatur. omnia conſilia priuata, publicaque *Comitia indicenda ſed prudenter.*
tentanda, vrbium prouinciarumque comitia. quibus, præ-
ſertim in Gallia, ſemper rerum nouarum appetente, ſalus
publica ſæpiùs ſtetit, emendatis iis, quæ à miniſtris regiis
peccarentur, poſitiſque limitibus, vbi populus exceſſerat.
intercurrentibus Mercuriis Regi populoque gratis, quorum
virtus, integritas, atque intra iuſtitiæ ſphæram conſtantia,
huic atque illi æquè probata eſſet. qui numquam niſi bonis
artibus fauores regios ambiuiſſent, aut popularem gratiam
affectaſſent. ſæpè, inquam, huiuſmodi comitia regibus po-
puliſque ſaltutaria fuerunt. eique doctrinæ Tholoſanus in-
ſumit librum *de rep.* 25. Sanè noſtros iam olim conſtat ex
Tacit. *de morib. Germ. ſtato tempore in ſyluam auguriis patrum, & priſcâ formidine ſacram omnes eiuſdem ſanguinis populos legationibus coïre.* ita de Sennonibus. De Germanis porrò in vniuer-
ſum coïre, *niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus:* deinde *illud ex libertate vitium quod non ſimul, nec iuſſi conueniunt, ſed & alter, & tertius dies contatione coeuntium abſumitur.* Infrin-
gendę amplæ libertati oppoſitum Commodi conſilium, cum
Marcomannis, & Quadis pacem eâ lege offert, *ne ſæpè aut pluribus locis conuentus haberent; ſed ſemel in menſe dumtaxat, & in vno certo loco, idque centurione aliquo præſente Romano.* Dion. *frag. lib.* 78. ita per antitheſim Liuius *lib.* 13. de libertate
Ætolorum & Siculorum reſtrictione: *Sicut vos Naupacti legibus veſtris per Magiſtratus à nobis creatos concilium habetis; ſic Siculorum ciuitatibus Syracuſas, aut Meſſanam, aut Lilibæum indicitur concilium, prætor Romanus conuentus agit, eo imperio euocati conueniunt.* Grotius *de Rep. Bat. cap.* 6. tumultus noſtros
Belgicos ob inhibita comitia à vulgo excitatos aſſerit, dum
publico conſilio medela querelis dari omittitur. & Eyndij Se-
natus Conuiualis ait Philippum Bonum Belgicis Prouinciis
in vnũ corpus contractis priuilegia varia, atq; inter ea liberta-
tẽ vbi locorũ, quando, & quibus de rebus conueniendi delibe-
randique pro cõmunis rei cõmodo dediſſe: alij aſſerunt ſolis id

Brabantis competiisse, atque ob incommoda secuta publico scito remissum. Lætus profectò Introitus Brabantiæ libertatem quæ in comitijs erit capite sancit, conuocationem tamen Principi tribuit. *art.* 41. Cæterùm & prudenter ea comitia habenda sunt, nec eo tempore, quo ita turbati sunt prouincialium animi, vt si coierint, diuidere non possis æqua simul atque iniqua petituros, quæ nec negare possis nec concedere. Si negaueris, in præsens secessio: si concesseris; in omne imposterum æuum tumultuum seminarium immineat. quo errore Gandauenses olim Comitum auctoritatem adeo depresserunt, tot tantisque impetratis priuilegiis, vt ex eis deinde ortis seditionibus, tot centuriatis, & per Rolandum calatis comitiis, vt magis populus, quàm Princeps dominari, nec aliud quàm à stirpe præcisâ remedium peti posse videretur. quod Carolus V. Imperator, eo quamuis loco natus, tandem adhibuit, edito magno illo priuilegio omnium antecessorum priuilegiorum abrogatorio: vrbe post tumultum territâ, atque armis sine sanguine in potestatem redactâ, castroque imposito, ne veteres tabulas relegerent, & Rolando imposterum tacere iusso, ne sonitu memoriam irritaret. postquæ tempora, excepto fatali totius Belgij tumultu, ea vrbs tranquillitatem suam admirata est, & causam amauit.

50. *Quid in rebellione?* Quid si populus Principem tyrannum, Magistratum nullo iure regere, tyrannidem per omnes exerceri, iura, priuilegia, libertatem patriæ violari clamet, preces, legationes, nihil profuisse, nihil reliquum spei nisi in armis, si non placet crudeli seruituti immori? Sanè D. Petrus docet nos obedire præpositis etiam discolis. & D. Paulus *ad Rom. c.* 13. piæ mentes Deũ orabunt, vt meliorem lucem affulgere patiatur. Boni etiam aliqui ciues sentiunt rebus ita constitutis voluntario potiùs exilio sibi consulendum, quàm aliquid in Remp. moliendum. Augustinus *propos.* 73. *in epist. ad Rom. Ex tyrannis*, inquit, *bonus subditus laudem habet, vel eos lucrando, vel patienter ferendo, non autem eos occidendo.* & Concil. Constantiense *sess.* 15. errorem tyrannicidarum damnauit.

51. Sanè priuatis aut per tumultum non licet quippiam in Regem aut Remp. statuere: an ordinibus patrijs, quo ritu, quâ formulâ aliquid in Principem statuere, Imperium abrogare, ex auctorare, priuatum aut exulem esse iubere liceat, multi Iure-consulti, Theologi, & Historici veteres, & hodierni disputa-

putarunt, & præsertim tempore nuperæ Gallicæ liguæ, & Batauorum defectionis. quæ non lubet hîc excutere: nec causam aliorum sub diuersis prætextibus rebelliones ausorum contra Principes, aut supremum Reip. dominatum. Quem nullâ feloniâ amitti, nullâ perfidiæ causâ dynastam principatu exui, qui superiorem non agnoscat, post *Pennam*, *Baldum*, *Afflictum* tradit Chopin. *de feud. Andiga. libro 2. tit. 4. in fin.* & Alberic. Gentil. tractatum non ita pridem edidit, vltimam ex tribus Regalibus quas vocat disputationibus, *de vi ciuium in Regem semper iniusta.* Laudant omnes, non admittunt omnes pro regni lege Traiani vocem Surę tribunatum militum tradentis, *Ensem accipe, quem pro me ita demũ strinxeris, si iustè imperauero: qòud si perperam per me fieri quidquam cognoueris, etiam in perniciem meam vtaris.* Quamquam Hotoman. *q. Ill. 5. Rex*, ait, *qui fidem publicè subiectis datam, & iureiurando confirmatam violat, non iam Rex, sed humanæ fidei, & Iuris gentium expers habendus est.* Sanè Carolus Audax ob perfidiam Ludouici XI. & iniusta sępiùs bella ei, prouinciisque illius illata semper sustinuit, eum supremo in Artesiam & Flandriam imperio excidisse, adeoque se, vasallosque suos ac subditos à Regis obedientia, & Parlamenti Parisiensis iurisdictione, quam ex natura etiam ditionis debitam fuisse olim negat Damhoud. *prax. ciuil. c.* 232. subtraxit, in eaque possessione mortuus est, pactis cum Rege induciis. quòd pacem nec Rex renunciato supremo eo Imperio, nec Dux eo agnito inire vellet. Præclarè Faius noster, *in libello M. S. quem de Iure ditionum Mariæ Burgundicæ scripsit.* Galli sanè dominos feudis priuant jure suo abutentes. Papon. *arrest. lib.* 13. *arrest.* 13. sed regna & supremi dominatus legibus sunt soluti. adeoque tantùm subsunt rationi, & legi, quæ diuinâ manu scripta est *in tabulis cordis nostri*; altiùs sanè repetenda, & disputanda, vt Cic. 1. *de legibus. cuius muneris colendi efficiendiq; nati, & in lucem editi simus, quæ sit coniunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. his enim explicatis fons legum, & iuris inueniri potest. non ergò à prætoris edicto, vt plerique nunc, neque à XII. Tabulis, vt superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris huius disciplinam puta.* Igitur rectè Grotius *libro insigniter erudito* (si quędam eximas, quę ad religionem pertinent, quæ Romani notarunt) *de bello lib. 1. c. 4.* satis luculentè docet bellum in superiores ordinariè licitum non esse iure naturæ, lege Hebræâ, minùs Euangelicâ, censurâ, & factis veterũ 52.

Christianorum, vix admissâ ineuitabili resistendi necessitate, si non resisti tunc quam pati priuatim aliquos publicè magis expediat. vt si manifestè Rex totius regni hostem se ferat, si regnum alienet, Nisi regnorum delationibus olim leges ea super re scriptę fuerint. quod de singulis regnis inquiri potest. Ita Regi resistitur post amissum regnum ex lege commissoria, vel qui partem dumtaxat imperij habet, pro ea parte, quæ ipsius non sit, pro iis casibus, quibus in delectione imperij resistendi libertas reseruata est. sic & resistitur Principi populi liberi, si pro ductu imperium inuadat: nam quatenus supra id quod olim delatum est, attentant, non Principes, sed priuati sunt.

53. Porrò qui non reges sunt aut principes, sed inuasores alieni imperij; iis resisti posse ex iure belli manentis, quod pactio aut fides data nulla interrumpit, ex lege antecedente, ex mandato ius imperij habentis, vix alio casu. Nam, vt Salust. *de bel. Iug.* ait, *Vi quidem regere patriam aut parentes, quanquam & posßis, & delicta corrigas, tamen importunum est, cùm præsertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaq; hostilia portendant.* & plerumqne seditiones non malum auferunt, sed peius adferunt. *an*, inquit ille apud Tacit, *l.* 4 *Hist. Neronem extremum dominorum putatis? idem crediderant qui Caio, qui Tiberio superstites fuerant, cùm intestabilior & sæuior exortus est.* quare prudenter & sanctè Ambros. *l.* 3. *off. c.* 9. *Si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur, commodius est alterum non iuuari, quam grauari alterum.* Sed & hæc omnia non alicuius priuati arbitrio. sic quia Cæsar in possessione erat imperij, & imaginem nummus præferebat, tributum ei solui Christus iussit. *vt hæc omnia plenius vbi supra Grotius, & Gentil.*

45. Brabanti sanè nostri lege læti introitus *art. fin.* id patrij Iuris habent, vt si iustum regimen & priuilegia quinquaginta octo articulis promissa non seruentur, ad nulla Principi obsequia, aut obedientiam teneantur, donec is quod contra ea factum erit, in pristinum statum, & ius restituerit.

Quem articulum Batani aliique fœderati perinde atque etiam ad se pertineret eorũque scriptores citarunt, & Gentil. tam *ea Disp. de vi Ciuium in Regem.* quàm *lib. de bello* & Eyndius *in senatu Conuiuiali* peculiarem eam Brab. legem sub principatu Marię & Maximiliani per vniuersum Inferioris Germaniæ tractum publico pacto communem, & vniuersalem factam esse, ait

ait. citat Tractatum An. 1488. quem hactenus videre non licuit, nec Grotius allegat *c. 6. art. 7. de Rep. Bat.* cuius diligentiam, si genuinus sit miror si fugisset.

Sed neque articulus dicit, quòd ad priuatum quemlibet pertineat iudicium, an rex promissis non steterit, quo ordine, quo ritu ea declaratio facienda sit. an non preces, & honesta monita præmitti debeant, antequam non dico arma sumantur in Principem, quod non permittit articulus, sed antequam obsequia non præstentur. Filiusfamiliàs, & pater si contendunt; filius bonus cedit, non patrem domo pellit: ergóne pellet incola patrem patriæ? Parentem, patronum liberi in ius non vocant, aut liberti: nisi veniâ à Prætore petitâ, & domesticis mediis priùs tentatis. sed nec exteris bellum indicitur nisi per feciales rebus ablatis, repetitis, & negatis. Nihil à rege iustè petitum est, vt emendaretur, si quid ministri peccauerant, quod non concesserit, multa etiam quæ nullo iure peti poterant, concessit; testes sunt enim primæ seditiosorum petitiones, libellis vulgatæ, pacificatio Gandensis, Tractatus cum Ioanne Austriaco initi, dimissio omnium præsidiorum ac militum Hispanorum, conuentus Coloniæ, Brædęque habiti, aliaque sexcenta. etiam reus stellionatus si debitum offerat, lis & condemnatio cessat. *l. 1. C. de crim. Stellion. Securitati*, inquit Alexander, *tuæ consulere poteris, si oblato omnibus debito criminis causam peremeris.*

Heu quantum terræ potuit pelagiq; parari
Hoc, quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ!

Sanè rarò aut ferè numquam excusari possunt, qui contra Principem coniurant. cui ne maledicendum quidem à sacris litteris docemur. qui patrio iure, metu, & honore à patria coli debet. & dum concurrit Princeps, præ patre timendus est, tuendusque, præsertim priuato, qui nõ statuere, ita nec tollere potest, qui malis publicis medicus datus non est, qui medicinam, neque certam atque indubitatam dare potest. si singulorum arbitrio subesset Princeps, nemo subditus non meliore conditione viueret, qui suos habet Magistratus, extra quos nihil aliis in eum iuris est. Rectiùs Cerealis *apud Tac. l. 20. vt imbres & cætera naturæ mala, sic luxum & auaritiam dominantium tolerandum esse.* & Liu. *l. 27. vt parentum sæuitiam, sic patriæ patiendo & ferendo leniendam esse. Bonos Principes voto expetendos quales cumq; tolerandos esse.* & Tac. *lib. 11. falsò libertatis vocabulum obten-*

di

di ab iis, qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent. & lib. 20. libertas & speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum seruitium, & dominationem sibi concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet. & lib. 16. Vt imperium euertant, libertatem præferunt; si præuerterint, ipsam aggrediuntur. Quid ad hæc Batani? quid ad hæc Armeniani? an non hîc legunt originem, prætextum, successum rebellionis suæ? *vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent!*

CAPVT X.

De Mendicantibus.

1. *Validi non permittendi.*

MEndicitas multis de causis, de quibus proximè, pernicioſa aut periculoſa est Reipublicæ, quam & gratis vt mures exedit. quapropter mendicantes validi, & Iuris scripti & Principum nostrorum aliorumque constitutionibus; & Magistratuum hîc municipalium ordinationibus coërcentur. sed rectè illud: *Fortis res est lex, si Præsidem adiuuantem habeat.* quod quia hac in causa aliquando non satis contingit, sæpè innouantur, sæpè proclamantur leges, sæpè rauceſcit præco, manet tamen malum.

Rectè *lex cunctis. C. de mendic. valid. l. 10. Cunctis, quos in publicum quæstum incerta mendicitas vocauerit, inspectis exploretur in singulis & integritas corporum, & robur animorum. atque inertibus absque vlla debilitate miserandis necessitas inferatur, vt eorum quidem quos tenet conditio seruilis, proditor studiosus, & diligens dominium prosequatur; eorum verò, quos natalium sola libertas persequitur, colonatu perpetuo fulciatur quisquis huiusmodi lenitudinem prodiderit ac probauerit, saluâ dominis in eos actione qui vel latebram fortè fugitiuis, vel mendicitatis subeundæ consilium præstiterint.* sed plenius

2. *Inquirendi.*

insuper *Auth. de quæstor. Nouel. 80.* cùm plurimi Constantinopolim confluerent desertis propriis sedibus, quæstorem Iustin. instituit, qui inquireret in peregrinos, & causas aduentus eorum. si lites forent, velociter eos, præsertim agricolas, eripi difficultatibus curaret, & contentionibus absolutos remitti in suas ciuitates & prouincias. Vniuersitatum verò lites (notandum hodie) duo tantùm aut tres, cæteris in

patriam

patriam dimissis, procurarent. illis porrò qui negotium ibi non haberent excedere compulsis. mendicantes verò, *Si huius*, inquit, *terræ fuerint, & corporibus quidem validis vtantur, vitæ autem eius decens non est occasio, hos non frustrà esse terræ onus permittere, sed tradere citiùs eius operum publicorum attinet artibus ad ministerium, & præpositis pauificantium stationum, & hortos operantibus, aliisq; diuersis artibus, aut operibus, in quibus valent simul laborare, simul autem ali, & segnem ita ad meliorem mutare vitam. Læsos autem aut læsas corpore, aut canicie graues, hos sine molestia esse iubemus in hac nostra ciuitate, aut piè agere volentibus adscribendos, & eorum singulos interrogare, quâ venerint gratiâ, & inquisitis, quæ dignasunt super iis agere, vt non pigri hic sedeant, sed competentia agentes ad proprias reuertantur prouincias.* 3. *Operibus applicandi.*

Qua in re confœderatarum Prouinciarum Belgicarum ciuitates excellunt, & præsertim Amsterodamensis, quę non patiuntur aliquem publicè mendicare, sed infirmis & debilibus necessarias eleëmosynas procurant, validos in loca publica cogunt, quorum præfecti singulis pensa præscribunt pro artis suę peritia. quam si nullam norint, alia imperant, quę nullo vel leui artificio expediuntur. victum interim & amictum præbent: & si frugis bonæ apparuerint, etiam lucellum. Nuper Alostenses omnes vndique aduenas validos mendicantes fossis, quæ vrbem cingunt, purgandis deuouerunt, atque ita opus publicum minimo sumptu perfecerunt: vitia otiosorum minuerunt: quin imò id obtinuerunt, vt breui eum locum mendicantes vt charybdim vitarent, & aliò declinarent, vbi non vexaret labor improbus. 4. *Qua in re rectè Bataui.*

Romæ institutus erat Magister census, qui singulis mẽsibus peregrinos, qui, vndéve essent, & quid agerẽt, inquireret; otiosos in patriam remitteret, ne iis quidem qui studiorum caus aduenerant vltra annum ætatis vigesimum primum manere permissis *l. 1. C. Theod. de stud. liberal. Vrb. Rom.* qui tamen & Prę-sidũ Prouinciarum vnde venerant litteras, quibus eorum oppida, natales, & merita exprimerentur, exhibere, & hospitia sua indicare tenebantur: alioquin in prouincia sua liberalibus studiis, præsertim circa iuris professionem operam dantes, vsque ad vigesimum quintum ętatis annum à studiis non auocabantur. *l. cùm vos. C. qui ætate vel professione. l.* 10. 5. *Romæ.*

Otiosa sanè & vaga mendicitas etiam sacris Canonibus est odiosa, adeò vt Conciliũ Carthag. decernat, vt etiam clericus 6.

Clerici etiã ne otientur aut mendicent nisi ex voto.

ricus victum & vestitum sibi, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo & agriculturâ paret, & omnes qui ad operandum validi sunt, & artificiola & artes discant. *c.* 9. *&* 4. *dist.* 91. *c.* 2. *ibidem.* Quare nec Ordines, quos vocamus mendicantes, à turpi otio ita dicuntur, sed à diuitiarum contemptu, & humili perfectione: quòd relictis amplis patrimoniis in vsus pauperum, seu alios pios, stipem ipsi ostiariam rogant, quâ vitam tenuiter tolerent, dum suæ interim saluti, proximorumque insudant, & leuis momenti temporalia metunt, dum toto vitę cursu, & studio spiritualia serunt.

7. Nec tamen eleëmosynarũ largitio rectè vetatur.

Id tamen non satis piè quidam obseruant, vt vetent, ne qui mendico debili quamuis, & ægro eleëmosynam largiantur: non enim id statui potest, vtpote pugnans cum lege diuina, quæ nunc ex charitate, nunc etiam ex iustitia dari necessitatem patienti eleëmosynam iubet. non aliud præco nunciet, aliud Iudex clamet. fateor politicis & iustis sæpè ex causis prohiberi posse ne qui mendicent, dummodo debilibus necessaria prouideantur: nec aliundè egeni adueniant. singuli apud suos ciues, municipes, paganos maneãt, necessaria postulent. Id quod etiã Principes nostri iusserunt, edictis editis: sed quid si apud suos alicui fame pereundum esset? quòd si iaceat moribundus in plateis, cui licebit claudere viscera misericordiæ? cui vt claudantur mandare? quis poterit obscurare minas Iudicis; *Esuriui, & non dedistis mihi manducare; Sitiui, & non dedistis mihi potum: ite in ignem æternum?* quem vadem contra has minas dabunt, qui quod Deus iubet ipsi vetant?

CAPVT XI.

De Relationibus.

1. Lubenter audiendæ.

SÆpè Resp. eo morbo correpta est, vt à suis Magistratibus curari satis nequeat. id quod tempestiuè Principi denunciandum est, quem eas relationes lubenter audire oportet. Sic *l.* 4. *C. de off. mag. offic. quemadmodum*, ait, *se militum numerus habeat, castrorumque ac clausurarum cura procedat, quotannis significare nobis propriâ suggestione procures.* Sed tamen dignas principatu. res minutas nec consectetur, nec admittat. vt Tiberius Senatum arguebat, quòd cuncta curarum ad Princi-

2. Sed dignæ principatu seu cuiuscũq; gradu.

pem

pē reiicerent & in Senatu dixit, neq; ædilis neque, cōsulis *personas se sustinere*, subdens *maius aliquid & excelsius à Principe postulari*. Tac. *l.* 3. quod gradatim ad superiores Iudices, Magistratus, & Episcopos spectat, vt maioribus ipsi se negotiis dedant: minora iis, quos sub se habent, relinquant, dummodo in ipsos inuigalent. ad exemplum Cosmi Magni Ducis, qui importunè à quodam interpellatus, respondit causæ illius cognitionem ad octo viros spectare, eorumque arbitrij esse sententiam pronuntiare. Tiberius autem, *cui neque virtus, neque sapientia, dummodo vellet, vnquam defuit, vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis Senatui præbuit, postulata prouinciarum ad disquisitionem patrum mittendo*. Tac. *l.* 3. *Ann.* & 2. *An. adhuc frequens senatoribus si quid è Rep. videretur, loco sententiæ dicere.* & 1. *an. de Augusto; cuncta per Consules incipiebat tamquam vetere Rep. & iterum insurgere paulatim, munia senatus, Magistratuum, legum in se transferre nullo aduersante.*

3. *Minores ad minores reiiciat.*

Ex his causis vetus Ecclesiæ decretum est, vt omnes Episcopi per orbem vniuersum constituti ad sedem Rom. singulis bienniis, trienniis, quadrienniis, quinquenniis, pro diitantia prouinciarum venire, aut morbo seu aliâs legitimè impediti, ē clero suo aliquem mittere teneantur; vt referant statum suæ diocesis Vniuersali Pastori, & diligentię suæ, ac profectus populi, rationem reddant. in limitibus relationem annuam exigit *d. l.* 4.

4. *Frequenter fiant.*

Libenter relationes ergo audiant Principes, & magni Magistratus. *l.* 2. *off. vrb.* subordinatè enim inferiores recurrere debent. Vnde legatos non oportet Principem consulere, sed Proconsulem suum. & hic ad consultiones Legatorū debebit respondere. *l.* 6. *de offic. Procons.* Porrò aliquando sunt necessariæ, vt si quid Princeps mandauerit quod contra legē sit. nuntiare enim debet Principi, & secundam præceptionem suscipere. *Auth. de mandat. Princip.*

5. *Et subordinatè.*

CAPVT XII.

De pœnis & præmiis.

1. *Nulla communitas sine pœnis & præmiis stare potest.*

QVæcumque in Rep. nutare Principes Magistratusque animaduertunt, præmiis pœnisque sustineant. *Nec domus vlla, nec Resp. stare potest, si in ea nec rectè factis præmia extent, nec supplicia peccatis.* Cic. 3. *de natura Deorum.* Magistratus ergo virtutes beneficio promoueat, vitia pœnis exscindat, nempe

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Sæpiùs infamiâ tantùm, & probro notasse puniuisse est, præsertim si sciatur & seruetur portas hisce ad dignitatem adipiscendam clausas, existimationemque perire: sed &

—— egregios inuitant præmia mores.

Nil non aggressuri sunt homines, si magna conatis magna præmia proponantur. Quare numquam committendum est, vt virtutibus sua merces desit, sua delictis pœna; geometricâ tamen proportione, magnis magna, minoribus minora tribuantur. Consuli triumphus, legatis consulatus,

2. *Ad proportionẽ magna magnis tribuantur.*

torques equitibus, cæteris spolia, plebeiis ius aureorum annulorum, nobilitatis, cingulum militare, maiorum gentium nobilitati torques aurei velleris, sancti Spiritus, fascia cruralis, & si qua alia id genus magnis præmia promittuntur, vt ne quidem Ecclesiasticæ dignitates extra eam causam sint, quin benè de Ecclesia meritis conferantur. qua tamen in re nulla temporalis rei consideratio admiscenda est, nihil commercij Simoni sit cum gratia Spiritus sancti.

3. *Non auri pretia sint, sed honorũ notæ.*

Porrò præmia virtutum non in ære tantùm & auro constitui constat, sed etiam in rebus momenti exigui, quæ virtutum notæ habeantur. vt apud Græcos, & Romanos coronæ, aliaque. nam tradit Tacitus *lib.* 18. *apud maiores virtute quàm pecuniâ rem Romanam melius stetisse.* Notarum enim eiusmodi maius pretium erat, quàm auri. Vnde fortis eques à T. Labieno ex præda Gallica aureis armillis donatus, cùm Scipio Imperator: *Habes*, inquit, *donum viri diuitis*; proiecit ille ante pedes Labieni aurum, cùm subintulisset Scipio: *Te Imperator argenteis armillis donat*; alter gaudens abiit.

Valer.

Valer. Max. *l.* 8. *cap.* 15. in concilio Persarum cùm deliberaretur bellúmne cum Græcis suscipiendum esset, Perseus ille suos prudenter admonuit, *viderent quibuscum bellum aggrederentur: iis scilicet qui propter coronam oleagineam nulla pericula detractarent.* Ita apud Romanos coronę ciuicæ, querneæ; obsidionales gramineæ, ouales, myrtheæ; triumphales, laureæ erant; ludicra munera, si materiam spectes: magna virtutum incitamenta, si notas honorum. vnde apud Tacitum *l.* 2. Flauius Arminij frater ob fortia facta, oculumque in prælio strenuè amissum in præmium stipendia adaucta, torquem, coronam, aliaque dona militaria memorat. *Inridente Arminio vilia seruitii pretia.* sed quæ contrà à Romanis æstimabantur. adeoque cùm miles ciuem seruauerat, duos hostes occiderat cùm lex vnicum requireret, sed locum deserere, quod lex non admittebat, coactus esset; consuli oportuit Tiberium, an corona ciuica deberetur. Gell. *l.* 5. *c.* 6.

Ad eam rationem de Rep. meriti libertate, societate, ciuitate donabantur, integrę etiam vrbes, & prouinciæ. multa hodie præter titulos scutiferi, militis, equitis, baronis, milorti, comitis, marchionis, ducis, velleris, aliorumque nominum equitum, vel antiquitus, vel medio æuo vsurpata, ad excitandas per glorię cupiditatem virtutes ad vsum reuocari salubriter, vel noua inueniri possent. dummodo ea insignia non nisi virtutum pretium essent, nec tantùm ignaua nobilitas sufficeret, aut requireretur. aut non nisi per Seianum aliquem impetrari possent, sed Seiani voluntas, nisi scelere quæri; sed Principes saltem quamuis ipsi minùs boni, vel Tiberium imitarentur, *qui quamuis eminentes virtutes non consectaretur, rursus tamen vitia odio habebat.* Tacit. *l.* 1. Allaboret igitur Iudex vt quaquà possit ipse iure suo, vel apud Principes consilio virtutibus viam aperiat, vitiis obstruat: beneficiis, & pœnis. quos duos Democritus Deos in hoc mundo posuit. Plin. *lib.* 2. *cap.* 7.

4. *Bene meritis, eorumq; Liberis contra paupertatem cautum sit.*

Quæ quamquam ita sint, & præmia virtutum insignibus constare possint non sumptuosis, non tamen est admittendum, vt benè de Republica meriti viui cum paupertate conflictentur, morientes vxoribus & liberis inopiam derelinquant Pericles Athenienſium Dux spondebat Magistratum liberos eorum, qui in prælio occubuissent, vsque ad pubertatis tempus aliturum.

Veneti sæpiùs non tantùm stipendia à defuncto in liberos prorogarunt, sed etiam nubiles filias ex fisco dotauerunt. Nemo vnquam in viuos aut defunctos liberalior fuit Hispanis nunc Regibus, sed Reipubl. opibus metienda sunt præmia. nimia promissio Neronem & pòst Galbam perdidit.

5. *Vt tamen opes reip. non superentur.*

6. *Neque immeritis communicentur.* Pessima pręmiorum gratia est, si non tantùm sine examine, & æquilibrio meritorum, sed nihil meritis, imò turpibus personis & turpem ob causam conferantur. *Vbi malos præmia sequuntur, haud facilè quisquam gratuitò est bonus: malitia præmiis excitatur, vbi ea dempseris, nemo omnium gratuitò est malus.* Præmia etiam si passim vulgentur, non sunt prędmia. Honores quondam fuerunt rari, & tenues, ob eamque causam glorioſi; nunc autem effusi, atque obsoleti. Mordax est illius dictum apud Thuanum, *Torquem conchyliatũ postquam indignis promiscuè communicari cœpisset, non iam esse fortium virorum insigne, sed omnium bestiarum collare.*

7. *Pœnarum necessitas à malitia hominum.* Pœnarum necessitas ab hominum malitia fluxit. ita enim comparatum ait Arist. 10. *Ethic. c.* 9. vt *verba, doctrina, ac præcepta possint illa quidem liberalia ingenia cohortari, & excitare: at reliquos, qui sunt multo plurimi, non possint ad virtutem impellere.* boni prędmiis excitantur, mali pœnis cohibentur, optimi vt & pessimi qui sunt, neque pœnis neque prędmiis permouentur. quare legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire, eorũ causâ qui corrigi possunt & qui non possunt. Inclementia pœnæ ad vnum aliquem, aut paucos, fructus ad omnes pertinet, *ne pars sincera trahatur.* denique ne legis ac Magistratus authoritas vilescat. *quia conturbasti nos, conturbet te Deus.*

8. *Asperandæ sunt ex causis.* Quare & pœnæ exasperandę sunt, si gliscit malum, & frequentię criminis, aut alteri incommodo grauior pœna imponitur. In Mysia vitium inciſores grauiùs, quàm alibi plectuntur: seu ob criminis frequentiã, aut vini inopiam. ita & in Africa messium incensores. *l. aut facta. §. vlt. D. de pœnis.* sic & circumstantię incendii, ruinæ, naufragij, aliorumque casuum, quibus per trepidationem aut tumultum res incustoditæ multorum insidiis patent, arborum furtim cęsarum, armentorum studioſè abactorum, instrumentorum ad agriculturam pertinentium, lapidum pro terminis positorum, rerum ad Ecclesias vel Respublicas aut fiscales pertinentium,

vel

vel è loco sacro, vel die sacro, vel terrore potestatis publicę subtractarum hæ inquam circumstantiæ omnes in Iure nostro vel criminum species mutare videntur, vel ita augere, vt peculiarem vltionem desiderent, quod passim leges canonesque demonstrant, & attigimus suprà *de vindict. Crim. c.7.* & rectè Tac. docet *multa crudeliter agere, quo cæteris quies fit.* & Polybius *crudelitatem exercere terroris.* & Symmachus *tantum legibus seueritatis addendum esse, quantum flagitia creuerunt.*

9. *Non tamen cum legis excessu.*

Sed tamẽ in pœnis irrogandis præscriptum legis Iudex excedere nequit. *l. 6. D. ad leg. Iul. peculati.* hodie verò qui extra ordinem de crimine cognoscit, potest quam vult sententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem: ita tamen vt in vtroque modo rationem non excedat. *l. 13. D. de pœnis.* ideoque neque pœnam arbitrio suo relictam ad mortem vsque extendere. *l. 1. §. 1 & 2. D. de effract. l. 2. D. de furib.* quamuis etiam circunstantia supra modum aggrauet. *l. 7. D. vers. quid enim. D. ad legem Iul. repet.* vbi non magis corrupti Iudicis crimen ob accessionem homicidii punitur, neque ipsum homicidium ob adiunctam violationem iudicialis religionis.

10. *Ordinariè potius mitigandæ.*

Sed & mitigandæ rursum sunt pœnæ, si qua causa suadeat, præsertim in dubio *Mitigasti omnem iram tuam. Psalm. 84.* Dicitur Emanuel Lusitaniæ Rex consiliarios laudare solitus, si quando inuenerant rationem, quâ reos ab vltimo supplicio liberarent: sic vindicanda sunt delicta, vt supersint, quos pœniteat peccasse: in leuioribus causis proniores ad lenitatem Iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Meritò Liuius gloriatur quòd nulli gentium minores placuerint pœnæ quàm Romanis. Quò & pertinet ne minùs anxiè in delicta inquiratur, vt rectè Turcæ seruant. Busbeq. *epist. 3.* & optimè Stephanus *c. cosuluisti. 2. q. 5. Spontaneâ*, inquit, *confessione, & testium approbatione publica delicta, habito præ oculis Dei timore, nostro regimini iudicare sunt commissa: occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.*

11. *Nec anxiè in delicta inquirendum.*

Huc & facit, vt carcerum squalor mitigetur, tortura non necessaria nec satis per iudicia admissa non adhibeatur, in corpora occisorum non sæuiatur, supra rationabilem loci consuetudinem; purgationi vulgari, aquæ frigidæ, vel feruentis, ferri candentis, vel duelli nemo subiciatur, sed neque canonicæ, nisi ea sit infamia, non ab inuidis excitata,

12. *Carcer, & tortura, &c. mitigand.*

13. aliaque indicia, ob quam sacri Canones eam admittunt, vel exigunt, & hodierna consuetudo summâ circumspectione demum vsurpat, nec omnibus in causis, nec omnibus in foris. Optimè Fredericus in Siculis legibus iubet communibus probationibus Iudices esse contentos, tam antiquis legibus, quàm suis constitutionibus introductis. *Eorum etenim*, inquit, *sensum non tam colligendum duximus, quàm ridendum, qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, imò quod est stultius, frigescere nullâ iustâ causâ superueniente confidunt: aut qui reum criminis constitutum ob conscientiam læsam tantùm asserunt ab aquæ elemento non recipi, quæ submergi potiùs aëris competentis retentio non permittit. Sapiens* ergo *Iudex*, inquit Bodinus *l.* 4. *de monoma. cap.* 4. *in fin. ad consequendam veritatem omnes præsumptiones comportaturus est, modò ne id faciat, quod multi Iudices in Germania solent. hi enim aut magos alios conquirunt, vt per eos ad saltum cribri rescisçant, an reus sortes exerceat: aut puerulis templum adeuntibus nouos calceos arungiâ suillâ peruncto curant indui, vt magæ inde nequeant egredi, nisi eis visum fuerit, qui pingues calceos ferunt: aut ambos pedes sagæ & manus colligantes, eam imponunt aquæ leniter, eamque, si saga fuerit, in fundo mergi non posse putant; hâc enim viâ diabolus iudicia, quæ sanctè oportet seruari, commutat in scholam magiæ.*

Purgationes Canonicæ vix, vulgares numquam vsurpentur.

14. Mulctarum compendia erario fiscali inferuntur, nisi ipse Iudex vel publicis operibus, vel aliis necessariis causis specialiter deputauerit *l.* 5. *C. de med. mulct.* ne tamen Iudex rem fisci, non publicam facere videatur, ter tantùm pecuniâ mulctare potest persona eandem, ob eiusdem criminis continuationem *l.* 6. *ibidem.* nec tamen ad illius legis moderationem pertinent, qui in peculatibus, aut manubiis, aut concussionibus, furtis, aliisque flagitiis, quę coërceri seueriùs conuenit, fuerunt deprehensi. *ibidem.* sed neque tamen remissa propter inopiam mulcta, iterum exigi debet. *leg.* 6. *de Offic. Præf.*

Mulctæ publicis operibus aut fisco applicetur.

15. *Ter pecuniæ quis mulctari potest, sed recidiuus grauiùs puniri.*

CA-

CAPVT XIII.

De cogendis Nominatis.

PRæmiorum rationem consequitur, vt ij quos virtutes efferunt, etiam honoribus attollantur, quamuis inuiti. quos neque omittere ij possunt ad quos Magistratuum creatio spectat, neque ipsi electi nimium refragari. nullum enim nostrum sibi soli esse natum bene scripsit Plato *ad Archit.* 9. sed ortus nostri partem sibi patriam vendicare, partem parentes, partem amicos. Vocante igitur te patriâ ipsâ ad Rempublicam gubernandam, impium esset non parere. quare & iure nostro constitutum est, vt ad publicum Magistratum nominati, fungi eo cogantur. *l.* 2. §. *vlt. D. de decur.* & si latuerint, requiruntur, eorumque bona iis applicantur, qui in loco eorum ad munera vocantur. *l. si ad Magistratum. l. ex omnibus C. de decur. l.* 10. Idem decretum est de defensoribus ciuitatum, *Auth. eo tit.* §. *interim.* ita vt nulli sit licentia defensoris ordinationem declinare, sed inuicem vniuersi nobiliores ciuitatum habitatores hoc ministerium adimpleant, & dum circulus expletur, rursus reuertantur ad solicitudinem, & si quem in eo contingat officio mori, ex circulo propinquus subrogetur. *d. nouel.* §. *& sit.*

1. *Coguntur nominati etiam bonorum spoliatione ad officium.*

Quòd si curiales numerosi fuerint idonei, officio functi ad illud reuocari non debent, nisi aliis similiter functis. *l. quis tam d. t. de decur.* nam neque eos, qui placuerint grauare iusti est, neque eos qui displicuerint tenere prudentis est. si tamen qui cùm excusari posset, patriæ suę vtilitatibus cesserit, vel gloriæ cupiditate paulisper ius publ. relaxauerit, imposterum competens priuilegium non amittit *l. qui publici. C. de his qui sponte. l.* 10. Qui verò omnia decurionum munera, vel functiones, vel honores nullâ imminente necessitate, sed suâ sponte peregit, pro sua liberalitate pater ciuitatis nominatur. quo homines allecti, non inuiti etiam ineant Magistratum. quem vt ambire non debent, ita & ritè electi non præfractè refragari, & solitudinem suam publicæ saluti præferre. *Sunt,* inquit Cic. 3. *de Orat. boni viri, & quoniam sibi ita videntur beati; tantùm eos admoneamus, vt illud etiamsi foret verissimum, tacitum tamen tanquam mysterium teneant quod negant versari*

2. *Sed functi non nisi per circulũ ad idem reuocantur.*

3. *Sponte tamen passus inuocationẽ imposterũ priuilegiũ nõ amittit.*

in Rep. esse sapientis. nam si hoc nobis atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, quod maximè cupiunt otiosi.

4. *Per iniuriam nominatus excusatur.*

Creatio porrò ex inimicitia facta non nocet, cùm & publicæ vtilitatis interfit creationes fieri ęstimatione verâ, & commodo Reipub. *l. si propter C. si propter inimicitias creatio facta sit l.* 10. vnde per iniuriam nominatus sumptus litis à nominatore recuperat. *l. obseruare D. de decur.*

5. *A maioribus ad minores honores vel extra patriã quis cogendus non est.*

Quare maioribus honoribus functos ad minores deuocari non oportet *l. maioribus. C. d. t. ciuil.* Sed neque ad alieni corporis munera quis vocandus est, sed eius patriæ honoribus respondere debet, cui est attributus: *l. cũ te. C. quemad. ciuil. mun. iudic.* nec vltra terminos proprię ciuitatis iubetur exhibere sui prędentiam, nisi publica necessitas exegerit. *l. curial. d. tit. de decur.* vt nec licet duumuiris extollere potestatem fascium extra metas territorii propriæ ciuitatis. *l. d. tit.*

6. *Ad decurionatum qui admitti, qui cogi poterant.*

Nati ex decurionibus etiam per adoptionem *l.* 4. *C. de decur.* patrum conditionem sequebantur, adeoq; inuiti curiales fiebant *l. in filiis* 35. *& seq. l. decur.* 3. *C. de decur.* nec religionis aut monachatus prætextus excusabat *l. quidam.* 26. *t. de decur.* Libertus ius aureorum annulorum non adeptus, vel natalibus non restitutus, nec cogi nec admitti poterat, *l.* 1. *C. si seruus vel liber ad decur. aspir. nec maior* 55 *annis l.* 2. *§. final. l. non tantum* 11. *D. eod.* Minor autem viginti quinque annis nisi ex causa creabatur, vel creatus suffragium non ferebat, *l. spurii* 6. *. 1. d. l.* 11. *l. ad Remp. de muner. & honor.* nisi cœpto anno vigesimo quinto *l.* 8. *D. de muner.* Externus cogi non poterat olim lege Pompeiâ nec admitti. quam desuetudine antiquatam iterum Traianus restituit aliquando. sed si nunc sponte susceperit, subterfugere deinde non potest, *arg. l.* 3. *C. de decur.* sed tamen vt ciues origine, manumissione, & allectione, vel adoptione fiunt, *l. ciues C. de incol.* ita & in ordinem quis allegitur. *l. general. §. spurios. D. eod.* Inopes etiam excusabantur. nam decurio censum habere debebat centum millium nummûm. vt census equitis erat quadringenta millia nummûm. Plin. *in epist.* 1. *ad Romanum.* digniſſimi enim meritis & facultatibus decuriones eligebantur. *l. ad subeunda* 45. *l. eos* 12. *D. eod.* non infames *d. l.* 6. *§. qui Iudicii.* artifices tamen & negotiatores facultatibus abundantes quamuis expertes litterarum creari poterant. *d. l.* 12. *l. expertes.* 6. *C. eod.*

Quare artifices huiusmodi, & negotiatores non esse infames

fames constat. sed tamen decuriones, ne à debito munere auocentur, nec præfecturam tabellionisvè officium exercere, *l. omnes*, 50. *l. si quis decurio* 55. *l. vniuersos* 15. *C. eod.* non vectigalia, nec prædia etiam ciuitatis conducere, procuratorisvè officio fungi poterãt *l.* 2. §. 1. *D. de administ. rer. ad ciuit. pertinent. l. curiales* 21. *l. si quis procurationem* 34. *c.* 5. 1. *d. l. spurij*, 6. §. *de curia. D. eod.* quæ & Romę Hadrianus senatoribus interdixerat. Inuiti ad magistratum capescendum coguntur, & in municipiis præsertim decuriones, de quibus Iustin. *Qui nobis*, inquit, *olim constituerunt Rempub. hi ex vsu fore ratisunt, si ad imitationem regiæ vrbis per singula municipia nobiliores congregarent, & formam quandam senatoriæ curiæ constituerent: per quam & publica tractarentur, & omnia rectè fierent, atque ordine.*

Inuiti erant, quòd præter personalem operam tenerentur ad grauiora onera. vt nominatim vectigalibus colligendis, & quod eis deërat, de suo tenerentur sarcire: ob quod rure eis habitare prohibitum erat. *l. vnic. C. curial. relic. ciuit. rure habit. mal.* quanquam Anastasius decuriones à recipiendis vectigalibus deinde liberasse videtur. nam in qualibet ciuitate exigendis tributis quosdam præposuit, quos vindices vocabant. Niceph. *l.* 16. *c.* 44 (hodie vbique Principes per quęstores suos tributa curant) quódque sine prole morientes quartam partem curiæ relinquere tenebantur. *l.* 1. *&* 2. *C. quando & quib. quart. pars.* quamobrem multi facultates suas inutiliter effundebant, *Nouel.* 38. aliásue grauabantur.

7. *Onera ob quã plerique inuiti.*

8. *Sine liberis morientes curiam pro quarta hæredem habebant.*

Quare & priuilegiis quibusdam è contrario donabantur; honore in primis singulis Magistratibus proprio, etiam in municipiis duumuiris, ciuitatum defensoribus, Iuridicis, decurionibus, &c. Iterum nec ipsi nec eorum filij plebeiorum tormentis subiiciebantur, veluti eculeo, vngulis, & fidiculis. *l. diuo.* 11. *l. decur.* 16. *C. de quæst. l.* 2. §. *in filiis l. fin. D. de decur.* nisi publicam pecuniam interuertissent. *l. quælibet.* 40. *C. eod. l.* 80. *C. Theod. de decur.* aut falsum instrumentum fabricassent. *l. si quis* 21. *C. de falsis.*

9. *Contrà & priuilegiis donabantur.*

10. *Non subijciebantur tormentis.*

Quin etiam decuriones ad aupertatem redacti, præsertim propter munificentiam publicam, ex publico iuuabantur. quod & hodie eorum priuilegium asseritur qui in Hispania *Grandes* nominantur.

11. *Pauperes de publico alebantur.*

Spurii à patre Curiæ oblati legitimi efficiebantur, vt & spuriæ decurionibus nubentes. *l. si quis* 3. *C. de natur. lib.* § *fin instit. de nupt.*

12. *Spurij legitimabantur.*

Sine

13. *Litis causa extra prouinciam non vocabantur.* Sine speciali jussu decuriones nec Romam, aut Constantinopolim, vel in aliam prouinciam litis causâ vocari poterant. *l. 1. & vlt. C. de præd. decur. sine decr. non ali.* nec eorum prędia sine decreto alienari. *Nouel.* 131.

14. *In propriis synedriis iudicabantur.* Erant & penes aliquos populos collegia, synedria appellata, in quibus causæ decidebantur, nec extra illa determinari poterant, *l. fin. D. de decret. ab ord. faciend.* quale fuisse videtur Iudæorum in *l.* 17. *C. de Iudæis.* & hodiè vigente per Orbem vniuersum mercaturâ, in emporiis habent mercatores pro singulis quique nationibus, cum ea auctoritate, & priuilegiis, qualia à Principibus obtinuerint, aut prout cum populis contraxerint.

CAPVT XIV.

De dignitate non imminuenda.

1. *Ideo non viles assumendi.* NE Magistratuum dignitas vilescat si indigni sint, qui ad eos ascendunt; prohibitũ est ne ij assumantur, qui sordidis quæstibus, ministeriis, artificiis adscripti sunt, aut sint ex vltimis mercatoribus. *l. nequis C. de dignit. l.* 12. Rectè lex vltimos mercatores notat, id est, infimos, & qui tabernam tantùm exercent, viles merces, in eadem tantùm vrbe emendo minoris, pluriſque vendendo, vexantes. Cæterum qui *per mare per terras currit mercator ad Indos*, qui ex Ægypto, Polonia, Prussia frumentum, ex Arabia aromata & medicinas, ex Perside, Asia, Africa, Moscouia, America ea deportat, quibus domi Resp. caret, & periculo suo Reip. indigentiam subleuat, naturæ & climatis defectum supplet; næ ille bonus ciuis est: non nigrâ notâ, sed laude dignus. vnde per Italiam non Nobiles, non Principes eiusmodi mercaturâ infamantur, non Rex Lusitaniæ, alijuè. quanquã apud Liuium *l.* 31. *in fin.* quæstus omnis patribus indecorus visus, cùm Q. Claudius Tribun. Pleb. legem promulgasset, ne senator nauem ampliorem haberet, quàm 300. amphorarum, quæ fructibus domum vehendis suffectura videbatur.

2. *An vilis mercator.*

3. *Inuicem si honorent.* Ad conseruandum honorem Magistratibus etiam illud pertinet, vt se inuicem pro debito honorent. vnde Hieronymus *c. 7. d* 95. *Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos; honorent clericos, quasi clericos; vt & ipsis à clericis quasi Episcopis honor deferatur.* Scitum est illud Oratoris Domitij: *Cur ego te,*

in-

inquit, *habeã vt Principẽ, cùm tu me non habeas vt senatorẽ?* & infrà; *peßimæ cõsuetudinis in quibusdã Ecclesiis tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis nõ loqui, quasi aut inuideant, aut non dignentur audire.* vnde & *c. 9. & 10. ibidẽ ex Conc. Carth. Episcopus sedens stare presbyterũ non patiatur: in Ecclesia, & in confessu presbyterorũ sublimior sedeat; intra domũ verò collegã se presbyterorũ esse cognoscat.* facit & *c. ecce ego, & alia ibid.* vnde lex *in sacris. C. de ræp. in sac. scrin.* inquit, *scriniis nostris militantes in prouinciis ordinarij, vel spectabilis Iudicis salutatione non arceantur, & inuiti in consessum accipiantur. scituris vel principe vel corniculario, vel capitibus officij ternas libras auri ex suis facultatibus eruendas, si consistorium nostrum sæpè ingredientibus secretarij Iudicum non patuerit ingressus, aut reuerentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum Iudice societas denegata.* Ex cuius legis causa Prouinciarum Prælatis & Magnatibus qui Principum consiliarij sunt, in consessu Conciliorum Principis locus dandus est. vt in Parlamento etiam Paris. & alibi fit.

Facit eodem & titulus *vt dignitatis ordo seruetur C. l. 12.* vt neque Magistratum suum quis imminuat, neque supra competentem gradum efferat. si quis indebitum sibi locum vsurpauerit, nullâ se ignorantiâ defendat, sitque planè sacrilegij reus, qui diuina præcepta neglexerit. *l. si quis. C. vt dignit. ord.* Primùm ergo inter gradu impares ordo seruatur dignitatum, inter pares temporis prærogatiua. *l. antiquitus. C. de consul. l. 12.* saluo gradu, semper honore inuicem præueniant, semper omni modo absit maledicentia, neque Magistratus se inuicem calumnientur, aut detrahant. *Videte*, inquit D. Paul. *ne dum inuicem mordetis, ab inuicem consumamini. Galat. 5.* 4. *Seruato dignitatum ordine & gradu.*

Quare & antecessores verbis & factis colant. Vitellius omnes, qui præmia pro cæde Galbæ oblatis libellis petierant, conquiri, & interfici iussit. *Non*, inquit, Tac. *l. 17. honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad. præsens, imposterum vltionem.* Dauid parricidas Saulis, & Isboseth percuti iussit. *Reg. lib. 2. c. 4. vltor est quisquis succeßit.* Tac. 17. Darius inter vltima verba, quæ Alexandro referri iussit, monuit causam proditorum & parricidarum suorum regibus cunctis communem magis, quàm Darij propriam esse. *quam negligere illi & indecorum esset, & periculosum.* Iustin. *l. 11.* Curt. *l. 5.* 5. *Quare & de anteceßoribus dignè loquantur.*

Quin & illud ad dignitatem Magistratuum imminuendã pertinet, cùm singula singulos viros exigant, si vni occupent officia plurimorũ. vnde tã sæpè quàm sanctè Canones vetuerunt ne quis in pluribus Ecclesiis conscribatur, ne quis pluribus 6. *Vnus plurium officia non occupet.*

bus in Eccleſiis conſcribatur, ne quis pluribus militiis, dignitatibus, officiis imponatur, ne quis binis, trinis, pluribúſue mereatur cingulis, non coniunctis ex priſca conſuetudine: & nemini facultas pateat eodem tempore pluſquam vnius ordinis nomen affectare. & qui ſupplicandum de re vetita Principi exiſtimauerint, pœnæ decem librarum auri pro temeritate quamuis infructuoſa plectantur. *l. his quidem. C. qui milit.*

CAPVT XV.

De Miniſtris.

1. *Cum delectu aſſumendi.*

IVdicem ſine miniſtris eſſe & dignitas & negotia non permittunt. quoſdam autem eorum à Principe vel inferiore Magiſtratu accipit, quoſdam ſibi aſſumit. illos obſeruare debet, ne quid ſupra officium attentent, nequid in eo negligant. hos magno delectu aſſciſcere, ne per eos dignitatem ſuam minuat, ne noxiam ſibi eligat. *Domeſticorum enim,* inquit Cicero, *non modò facta, ſed dicta etiam omnia præſtanda nobis ſunt.* Quare Agricolam rectè laudat Tacitus; *Aſe,* inquit, *ſuiſque orſus, primùm domum ſuam coërcuit. quod pleriſque haud minus arduum eſt, quàm prouinciam regere.*

2. *Quia eorũ facta Iudices præſtant.*

Aſſiduè etiam in hiſtoriis legimus etiam magnos Principes, etiam magnos viros ea incommoda paſſos. *Iam afferebant,* inquit Tacitus *l. 17. cuncta venalia præpotentes liberti, ſeruorum manus ſubitis auidæ, & tamquam apud ſenem feſtinantes:* Itemque: *eadem quoque nouæ aulæ mala æquè grauia, non æquè excuſata,* &c. Iterum *l. 18. nondum quartus à victoria menſis, & libertus Vitellij Aſiaticus Paricletos, Patrobios, & vetera odiorum nomina æquabat.*

Igitur domeſticos quidem nullos aſſciſcat improbos; ne ipſi ignominiam parent. ſolent enim vitia miniſtrorum etiam heris affingi. nec enim creduntur probi famulitio improbo delectari. deinde domeſticos coërceat ne ſe officiis aliorum ingerant, ſed domeſticæ ſolicitudini ſibi demandatæ inuigilent. *Domeſticus,* inquit *l. 4 C. de aſſeſſ, Iudicis à publicis actibus arceatur.* Agricolam laudat Tacit. *in eius vita, quod nihil per libertos aut ſeruos publicæ rei.* quare & Honorius aſſeſſores & cancellarios quaſi domeſticos Iudicibus vetuit in prouincias ducere, ſed ex officiis eligi iuſſit *l. nullus 1. C. de aſſeſſ.*

Quin & Iuſtin. *in Auth. vt Iud. ſine ſuff. in formula iuris iurandi* in hæc verba Iudicem adigit: *Sed etiam mihi aſsidentem ſem-*

per

per talem ſtudebo aſſumere, & circa me omnes, vt non ego purus quidem ſim; qui verò circa me ſunt furentur, & delinquant: ſi quis autem inueniatur circa me talis, quod fit ab eo, me ſanare, & eum expellere.

Et quidem grauiùs punire delinquentes domeſticos, quàm extraneos Iudicem oportet. *grauior* enim *pœna*, inquit *l. conducto C. de conduct. l.* 11. *conſtituenda eſt in hos qui noſtri iuris ſunt, & noſtra debent cuſtodire mandata.* quapropter piè Conc. Cabilon. ſub Carolo *cap.* 21. de Iudicibus ait, *miniſtros, quos vicarios & centenarios vocant, iuſtos habere debent. ne fortè eorum auaritiâ, aut rapacitate populus grauetur. Ad peccatũ Regis quippe pertinet, quando Iudicibus, miniſtriſq; iniquis miniſterii ſui complendũ committit.* Pariſienſe ſub Lud. & Lot. 2. *c.* 3. quare & Senatus cenſuit, vt ſi quid vxores eorũ qui ad officia proficiſcuntur deliquerint, ab ipſis ratio & vindicta exigatur. Vnde Vlpianus *l.* 4. *D. de Off. procon.* proficiſci Iudicem melius eſſe ſine vxore, cum vxore tamen poſſe. tametſi Auguſtus non habentibus vxorem, cum reliqua ſupellectile, quâ miſſos Iudices inſtruebat, concubinas dederit. ſed harum minor auctoritas, vxorum plerumque nimia. vt apud Tacitum *lib.* 3. rectè Cecinna cenſuerit, ne quem Magiſtratuum, cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur. ineſſe aiebat comitatui mulierũ, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, non imbecillẽ tantum & imparem labóribus ſexum, ſed ſi licentia adſit, ſęuum, ambitioſum, poteſtatis auidum. & inter cætera obiiciebat, numquam repetundarum fuiſſe aliquem accuſatũ, quin plura vxoribus obiecta fuerint.

3. 4. 5. *An conſultum vxores ſecum ducere.*

Quare & iterum Iuſtinianus *in Auth. de mandatis Princ. præcipuè verò*, inquit, *officiales tuos retinebis, non permittens eis ſubiectos noſtros impellere, neque vt illi officiales videantur quidem ſubiecti tibi, pro veritate autem tuæ præſint voluntati.*

6. *Cura in Officiales.*

Numquam infrequens fuit à Iudicũ officialibus multa indigna poſtulari. *l. præter. l. curialibus C. de luc. Aduoc. l.* 12. ſed iterũ atque iterũ monet Iuſtinian. *d. l. præter.* vt prouinciales cuncti Iudices tueantur, nec iniurias inultas tranſire permittant, & vt nihil apparitoribus vniuerſorum Iudicum liceat, quod ad prædã prouincialiũ pertinet. vnde & rurſus Iuſtinian. *d. Auth. de mandat. Princip. Feſtinabis etiam conſiliarium, & quicumq; fuerit circa te aſſumere, virum optimum, & purum vndique, & contentum iis quæ à fiſco dantur.*

7. *Et animaduerſio.* 8.

Et ſeuerè Gratianus ducem non ſolùm quod ipſe, ſed & domeſticus, manipularis, & miniſter per iniuriam extorſiſſet, 9.

in quadruplum exsoluere iussit *l. 1. C. ad l. Iul. repet.* Verè cùm ita agitur, *inimici hominis domestici eius.* quin homo ipse suimet ipsius, qui sciens volens serpentem in sinu fouet: qui venena spirantem non excutit, sed alienorum debitorum pœnas mauult luere. Post concussiones

Lingua mali pars pessima serui.

10. *Sint ministri fideles & secreti.* Si infidelis sit, arcana non celet, si quæ fortuitò dicuntur, foris eliminet, si sermones adiapheros aliis cincinnis vestiat, aliis coloribus pingat.

11. *Arcana cũ iis non cõmunicentur.* Quapropter cuius fidem quis non habet exploratissimam, cum eo arcana sua communicare nullatenus debet. & quod in genere de amico docemur, vt semper cogitemus reddi posse inimicũ; ita maximè de domesticis statuat Iudex, vt, quod sequitur, ne cum quopiam nimium sit familiaris, ita vitium in domestico vitet maximè.

Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis minus, at minus dolebis.

Rara felicitas cui intra domesticos parietes non aliquando verbum excidat, quod in foro à præcone proclamari nolit, à quo non aliquando dicatur aliquid, fiat, geratur, quod non in calumniam trahi possit, si alio verborum sono, & sensu recitetur: si aliis circumstantiis donetur: si coloribus non natiuis pingatur.

12. *Solicitudo maxima circa assessorem, scribam, &c.* Meritò ergo summus delectus adhibendus est in iis asciscendis, quibus Iudex vti velit. non eques quamuis bonus indomitum sumit equum; non institor quamuis prudens inexpertum nauclerum; non Rex quamuis bellicosus ducem exercitus effæminatum: non ergo Iudex quamuis bonus subministris vtetur, qui malitiâ, qui negligentiâ, qui culpâ non vacent. alioquin, vt optimè dixit pessimus Diocletianus, *bonus, aptus venditur Imperator.*

13. Maximè autem solicitum esse oportet Iudicem circa assessorem, consiliarium: vt disertè is in mandatis Principum solet exprimi: graphæum, secretarium, & quicumque actis arcanisvè adhibentur. veniunt enim in partem Iudiciorum, & rerum agendarum. quamuis enim Iudices per se, non per assessores libellis subscribant *l. 2. de assess.* & causas criminales definire ipsi teneantur; *l. 1. de off. eius cui mandata.* sanxit tamen Diocletianus, vt Præsides ciuilia negotia possent, non tenerentur, cognoscere. *leg. 2. de pedaneis Iudic.* Igitur eos in quorum humeros Iudices partem curæsuæ non tantùm, sed & famæ, atque animæ reclinabunt;

bunt; tales exigant apud quos confidenter hæc deponi posse credant.

Eoque hodie maior cura esse debet circa eos qui sunt ab actis, secretis, graphæos, scribas, notarios, actuariorum adiutores, subadiuuas, exceptores, præsertim quòd hodie tanta fides eorum scriptis tribuatur, vt testibus non interrogatis plenè probent, quanta non olim. Bald. & Ias. *in l. prætor. in princip. D. de edendo.* & apertè à Iustin. *in Nouel. 73. siue Auth. de Instr. caut. §. si verò nullus.* declaratur. vult enim testes iustrumentis forensibus subscriptos, de illorum veritate interrogari, & si mortui fuerint scripturam fide carere. 14.

Assumptos autem huiusmodi assessores & actuarios Iudices amicè & liberaliter habeant. optimè iterum Diocletianus *l. 1. de assess. Studiorum labor meretur, vt hi qui in publicis administrationibus constituti, sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe præmiorum, atque honorificentiâ suâ prouocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam; non metu terribili, & necessitate incongruâ libertati.* 15. *Liberaliter habendi.*

Quare ad modum Iudicum Pessenninus Niger salaria ex publico assessoribus constituit, ne eos grauaret, quibus assidebant. dicens Iudicem nec dare debere, nec accipere. ita Spartianus. quod & Alexander statuit. quamuis diceret eos ad Magistratum promouendos esse, qui sine assessore possent administrare. idemque Pessenninus constituit, Seuerus aliique seruarunt: vt quibus in prouinciis aliqui assedissent, posteà administrarent, atque præessent.

Ex his etiam causis non est concessum cuipiam duobus Magistratibus assidere, & vtriusque iudicij curam peragere. neque enim facilè credendum est duabus necessariis rebus vnum sufficere *l. 14. de assessor.* sed neque licitum est aduocationem & patrocinium prestare, in eademque causa deinde assidere. *ne affectionis suæ,* inquit eadem lex, *vel aduocationis memor incorrupti Iudicis non possit nomen perferre.* vnde & Mandatis cauebatur, vt Præsides attenderent, ne patroni in causa cui *patrocinium præstiterant, testimonium dicerent. l. fin. D. de test.* 16. *Qui & vni tantùm assideant.*

Iterum ad modum Iudicum ad 50. dies post depositam administrationem remanebant in prouincia. *leg. 3. D. de assess.* nec qui semel assederant, per ambitionem ad eandem functionem redibant. *l. 4.* ex prouincia ortus in eadem non assidebat. *d. l. 3.* ea diuisa ex altera ortus, in altera assidebat. *ead. l.* peculium castrense habetur, quod consilijs administratores 17. *Ac in pluribus comparantur Iudicibus ipsis.*

res iuuando licitis, honestisque lucris acquisiuerint *l. 7. eod.*

18. Enimverò difficile est æquè scrupulosam adhibere cautionem in assumptione apparitorum, cohortalium, similiumque officialium, quorum numerosus erat exercitus. nam Comes Orientis 600. habuit apparitores *l. 1. C. de apparit. Comit. Orient. lib. 12.* Officium Præfecti prætorio Africæ fuit virorum 398. *l. 1. §. in officio C. de off. P. P. Affric.* aliorum numerus amplior. & apparitores hi dicebantur, *l. 2. C. de com. sac. lar. l. 1. C. de filijs Official. qui in bello mort.* beneficiarij etiam dicebantur. sic omnes, inquit Vegetius *lib. 2. c. 7. consecuti aliquod munus in officio Præfectorum, beneficiarij, vel ordinarij vocantur.* quo modo feuda beneficia, & vassalli beneficiarij appellantur.

In apparitoribus olim admodum numerosis non datur tantus delectus.

CAPVT XVI.

De fide obseruanda.

1. NIl magis eorum lumen obscurat, dignitatemque imminuit quos Deus & fortuna altiùs euexit, quàm fidei neglectus; adeoque eius obseruantem eò quemque magis esse conuenit, quò sublimiùs est collocatus. vinculum enim est humanæ societatis, cui seruandæ potestates omnes sunt institutæ. quare Franciscus I. cùm Carolum V. in regno & potestate haberet, à quibusdam Marchiauellici seminis consiliariis monitus, vt occasione vteretur, respondisse fertur: Si fides toto orbe terrarum exularet, eam tamen Regibus seruandam esse, qui eâ solâ, nullo autem metu constringi possint. Sanctè: si tamen verè. nam discrepant aliorum temporum actiones, & monitum illustris fœminæ ab adamante elicitum, ac veredaria Caroli fuga.

Fidei obseruantia eo maior sit, quo quisque maior.

2. Vladislaus sanè Pannoniæ Rex prætextu piæ causæ, & Christianismi propagandi; fidem per Christum Turcæ iuratam fregisse dicitur, & Turcam ante conflictum iussisse tabulas recitari, quibus hunc ipse epilogum coram exercitu addiderit: *Hæc sunt, Iesu Christe, fœdera quæ Christiani tui mecum percusserè, per nomen tuum sanctè iurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfidè Deum suum abnegarunt: nunc Christe, si Deus es, vt aiunt, & nos hallucinamur, tuas measq; iniurias, te quæso, vlciscere: his qui nomen tuum sanctũ nondum agnouere, violatæ fidei pœnas ostende.* Censuerunt viri docti & pij non aliter quàm ipsi barbari, etiã illis datam fidẽ seruandam fuisse, & ob violationem

Pœnæ violatæ.

Vla-

Vladislaum exercitu, regno, vitâ à Christo mulctatum. E contrario animaduersũ est, Germanos fidei tenacissimos tot seculis Imperium tenuisse, Germaniæ regem nullum inter multa & grauissima bella à suis desertum, in acie cæsum, aut ab exteris in captiuitatem dũctum, & ab annis octingentis sex tantum à Germana sinceritate degeneres à suis in ordinem redactos, Carolũ Crassum, Ataulphũ, Venceslaum, Henricum III. Ottonem IV. Fredericum II. Non eadem fides Orientalibus stetit. sed Imperatorum 86. fusus sanguis, & alibi nec reges populo, nec populus regibus eandem fidem præstiterunt. periere plures non siccâ morte. 3. *Præmia seruatæ fidei.*

Prisci Romani tum exteris tum inuicem datæ fidei obseruantissimi fuere. vt & Vitellius Fabio Sabino querenti quòd pacta turbarentur, corruptis licet temporibus, nõ aliud ausus fuerit respondere, quàm *nimio militis ardori modestiam suam esse imparem.* Tac. *l.* 19. Sanè Hanno Carthaginensis cùm fiduciâ fidei Romanæ ad colloquium venisset, & tribunus fortè militum ei dixisset, posse meritò ei euenire, quod à Carthaginensibus Cornelio accidisset, vterque consul tribuno tacere iusso, *Isto te*, inquit, *metu, Hanno, fides ciuitatis nostræ liberat.* Valerius *l.* 9. *c.* 6. Acceperat ea ciuitas ab incunabulis suis à Numa Pompilio eum morem, *vt fides, ac iuramentum propulso legum ac pœnarum metu ciuitatem regerent.* Liu. *l.* 1. neque alioquin Claudius in deditione Mithridatis dubitasset, *accipere captiuum pacto salutis, an repetere armis rectius foret, nisi obseruanda esse pacta putauisset. Quid enim*, inquit Iurisconsultus, *in l.* 1. *D. de pact. tam congruum humanæ fidei, quàm pacta seruare?* 4. *Romani tenacissimi.*

CAPVT XVII.

De dissimulatione.

FIdem simulatio mendaciumque oppugnat. Candorem & veracitatem in viris magnis esse, mendacium & dolum malum abesse, quàm deceat, alibi diximus: Dissimulationem tamen oportunam nemo potest improbare, sed & sæpè necessariam esse fateri oportet. Saul initio regni, cùm filij Belial eum despicerent, neque pro more munera adferrent, *dissimulabat se audire.* 1. *Reg.* 10. *in fin.* prudenter sanè. in regno nouo, & electione ipsius noua. *Cùm populum persuaderi* 1. *Oportuna & necessaria sæpè.*

posse diffidimus, cogi fas esse non arbitremur. Cic. *lib.* 1. *epi.* 9 Populo quidem inest malignum quiddam & querulum in imperantes, cui si quando Principes nonnihil cesserint, maiora ab eo obtinebunt. Senatus post mortem Romuli offerendum populo ratus, quod amissurus erat, electionem noui regis detulit, & populus ad iudicium senatus remisit.

2. *Aliquantũ de iure decedere, fructuorum aliquando pacando populo.*

Est non modò liberale, paululum nonnunquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Cic. 2. *off.* Eo genere Belgæ de Principibus bene mereri soliti. nec vlla gens est, quæ in vicem tot priuilegiis sit donata. sæpè & seditiones ne erumperent, priuilegiis concessis impeditæ: sæpè quæ eruperant sedatę sunt. Idemque obtinet quàm maximè apud eas gentes, quę nec integram libertatem, nec seruitutem ferre possunt. sæpè in senatu Romano disputatum de plebe, imperio, an verbis lenibus compescenda. Appius aliiuè superbo ingenio, imperio consulari rem agendam censebant: vno aut altero arrepto quieturos alios: Seruilius aliiqúe lenibũs remediis aptiores, *concitatos animos flecti quàm frangi putabant cùm tutius tum facilius esse. certatumque haud incruento prælio foret, ni Quintus Consul alter consularibus negocio dato, vt collegam vi, si aliter non possent, de foro abducerent, ipse nunc plebem seuientem precibus leniisset, nunc orasset tribunos, vt concilium dimitterent, darent iræ spatium.* Liu. *lib.* 2. & iterum *lib.* 3. *atrox certamen aderat, ni Fabius consilio neutri parti acerbo rem expediisset.*

3. *Insidiæ ciuium sæpè dissimulandæ.*

Quin imò in insidiis & coniurationibus dissimulandis, summa prudentia est, si eo vsque populus aut miles deuenerit. *solum sæpè insidiarum remedium est si non intelligantur.* Tacitus *Annal. l.* 14. nisi dissimulaueris, adigis vt attentent qui coniurarunt. *Professa perdunt odia vindictæ locum.* Seneca in *Medea, periculum est ostendere ciuitati, quanto plures mali sunt.* Sen. *de Clem. cap.* 14 *securitati consulendum antequam vindictæ.* Condemnati Lucius Vectius, & Tarquinius, quòd Cæsarem & Crassum Catilinariæ coniurationis reos nominassent, ne populus eorum auctoritate moueretur; lætabatur Cicero coniuratione detectâ; anxius autem erat, & dubitans in maximo scelere tantis ciuibus deprehensis. Senatus Carthaginensis à præcipuo ciue ad filiæ nuptias inuitandus, & epoto veneno tollendus, legem sanxit quâ numerum conuiuarum sumptusque restrinxerit. *Scelus*, inquit Iustin. *lib.* 21. *declinatum, non vindicatum est. nec in viro tam potenti plus negotij faceret res cognita quàm cogitata.*

4. Non minori ratione dissimulandum est Principi, si quid à vicinis

vicinis Principibus quod minus velit, fiat. non oportet eos intermittere solita officia, congratulationes, consolationes, legationes, honores qui legatis deferantur, & munera. *Et exterorũ iniuriæ.*

Præsertim si vires non sint pares. *Turpe est* enim, *si qua Resp. vt acceptã iniuriam vindicet, ipsa in maiorem quam aliis paret, calamitatem incidat, aut se det præcipitem.* Thucydides. Sabini raptis filiabus furiosi, incompositi præcipitant se in bellum: *sit obuius cum exercitu Romulus, leuique certamine docet vanam sine viribus iram esse.* Liu. *lib.* 1. *Sapiens numquam potentium iras prouocat, imò declinat, non aliter quàm in nauigando procellam.* Senec. *Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.* Eccl. c. 8. Soli Tusculani vera arma veraſque vires quibus ab ira Romanorum sua tutarentur inuenerunt, pace scilicet constanti vim Romanam arcuerunt, quam armis nõ poterant. Liu. *lib.* 6. nam Camillus Consul, cùm infesto exercitu aduersus eos tenderet, nihil se mouerunt; non portas, non templa, non fores, non tabernas clauserunt; frequentabant fora, plateas, negocia, nihil solitum intermittebant, nihil insolitum aërem aureſue percutiebat, vt vrbem ingrediens nihil hostile Camillus obuium haberet, nihil quod iram prouocaret, nihil in quod iure sæuiret. Quod exemplum perbellè nuper imitati sunt nostri Bruxellenses, eoque offensi per siniſtros rumores, ac nuncios Principis iram placauerunt, Decretumque absolutorium retulerunt.

Id quod in bello maximè obtinet, vt res aduersæ etiam vultu tegendæ sint. *Duces* enim *rebus afflictis hilaritatem de industria simulant, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscondunt, ne militũ animi, si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur.* Senec. Quare & qui declinat conflictum, curat vt sui nesciant ideò recedere, ne desperent, aut dilabantur, sed credant fieri id ob artem, & insidias collocandas; sed & ne hostes sentiant, & irruant. Cùm Darius plenis campis innumerum exercitum Alexandro obiiceret, *milites haud aliàs tam alacrem viderant Regem, & vultu eius interrito certam spem victoriæ augurabantur.* Curt. *lib.* 4. 5. *Res aduersæ nec vultu prodendæ.*

At verò vt Duces oportet in rebus anxiis spem vultu simulare, dissimulare metum, aduersas clades, ac nuntia; ita & satagere, ne rumoribus populus milésue terreatur. capite sanxit, ne aduersam cladem quis ex ea superstes militi denuntiaret Alexand. *apud Curt. lib.* 7. Eumenes vltrò ipse indicauit *apud Iustinum lib.* 14. ne fama aut rem in maius extolleret, 6. *Aduersi rumores supprimendi vel eleuandi.*

aut militum animos rerum nouitate terreret. Vercingetorix *apud Cæſ. de bel. Gal. lib 7.* amiſſo Auarico tantum incommodum verbis & vultu minuit, neque in occultum ſe abdidit, aut conſpectum multitudinis fugit, pluſque animo prouidere & præſentire exiſtimabatur, quòd re integrâ, primò incendendum Auaricum, pòſt deſerendum cenſuerat. In contrarium Terentius Varro Conſul apud legatos Capuanos *auxit rerum ſuarum ſuique contemptum, nimis detegendo cladem ab Annibale acceptam, nudandoq;.* Liu. *lib.* 23. & Furius Philus apud Romanos furioſi fere inſtar diſſerebat, *ne quidquam eos conſultare, perditam ſpem fouere, deſperatam comploratamq; eſſe Rempubl.* Liu. *lib.* 22. Huiuſmodi ſermones, & de rebus aduerſis rumores omnino cohibendi ſunt. *Quæ ciuitates*, inquit Cæſar, *lib.* 6. *commodius Remp. adminiſtrare exiſtimantur, habent legibus ſancitum, ſi quis quid de Republ. à finitimis rumore aut famâ acceperit, vti ad Magiſtratum deferat, néue cum alio communicet, quod ſæpè homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere cognitum eſt. Magiſtratus quæ viſa ſunt occultat, quæque ex vſu iudicauerit multitudini prodit.* Sed iterum hæc

7. *Non ſpreto tamen periculo.* ita agere oportet, vt Alexandrum *diſſimulato magis quàm ſpreto periculo*, Curt. *lib* 4. & illum, vt nihil timendi, ita nihil contemnendi authorem, *apud Liu. l.* 6. non vt Vitellium, *fractis apud Cremonem rebus nuntios cladis occultantem ſtultâ diſſimulatione remedia potius malorum quàm mala differentem.* Tac. *hiſt. lib.* 3.

8. *Qui legant & legantur maximè ſimulant, & diſſimulãt.* Inſuper vt pleræque hodie legationes aliud agunt, aliud intendunt; ita qui legant, primùm eos, *per quos fallere olim cogitant, fallunt.* Senec. ſed & qui legatos excipiunt, verbis aliò ducunt, quàm quò mente pergunt. Ventidius *exploratorem quendam vt falleret, quæ maximè fieri cupiebat, ea vereri ſe ne acciderent; quæ timebat, ea vt euenirent optare ſe ſimulabat.* Front. *lib.* 1 *ſtratag. nulla ſunt meliora conſilia quàm quæ ignorauerit aduerſarius antequam fierent.* Veget. *lib.* 3. Ideoque *fieri quid debeat cum multis tracta*, inquit idem *eod. quid facturus ſis cum pauciſſmis, vel potius ipſe tecum.* ſed & deliberata exequi conſciis pauciſſimis oportet. *nemo omnium quò iretur ſciebat*, Liu. *lib.* 27 *ſeptem tantùm conſcij fuere huius coniurationis, qui ex continenti, ne dato in penitentiam ſpatio res per quanquam narraretur. &c.* Iuſt. *lib.* 1.

CA-

CAPVT XVIII.

De Legatis.

FIdei obseruantia maximè elucet in Legatis, qui eo ipso quo legantur, fide publicâ à iure gentium muniuntur: eoque sunt inuiolabiles. *Rarum*, inquit Tac. *lib.* 1. *etiam inter hostes, vt Legatus Pop. Rom. Romanis in castris sanguine suo altaria Deum commaculauisset.* vt iustissimè simul & seueriſſimè Dauid vltus sit iniuriam Legatis suis ab Anon illatam 2. *Reg. c.* 20. qui dimidiam barbæ eorum rasit, & præscidit vestes eorum medias, vsque ad nates, & dimisit eos, suspicatus ad explorandum regnum veniſſe, prætextu condolendi lugenti mortem patris. Rectiùs Romani cùm Tarquinij regis Legati rebellionem suscitare in vrbe tentassent, *Quanquam*, inquit Liuius *lib.* 2. *visi fuerint commisisse, vt hostium loco essent; ius tamen gentium valuit*, vt ne quidem delinquentes, etiam maiestatem Regis aut Populi ad quem mittantur offendentes, ab eo puniantur. Id quidem pro animi generositate: sed si iuris gentium rigor attendatur, nullum ancile protegere potest Legatum, in ipsum ad quem legatur molientem; multo minùs, si quid re ipsâ attentarit. Sed id in vsu fuit Romanis, vt qui ingrati essent, vel quorum legatio displiceret, mox Vrbe, paucos infra dies Italiâ, dein Imperio excedere iuberent, & comites darent.

1. *Ex fide publica inuiolabiles.*

2. *An etiam delinquentes.*

Sanè Legatorum securitas, iure gentium sancta, & ciuili laudata est, *l. vlt. D. De legationibus.* etiam exardescente interim fortè bello, *l. 7. D. de vi publica.* quod eorum libertatem non minuit, *dict. l. vlt. l. sanctum, D. de rerum diuis.* vt nec represaliæ in eos licitè concedantur. eaque securitas obtinet, quamuis nullâ partium conuentione, pacta sit, nata, vt diximus, ex iure gentium. adeoque semper vt adeundi ita & redeundi libertatem includit. *l. 3. C. de nauicularijs lib.* 11. quam malè Bellus etiam saluis conductibus denegat, *l. de salu. conduct.*

Securitas Legatorum etiam comites complectitur. Gentil. *de legat. l.* 2. *c.* 15. & æqualis quidem, quando socij sunt, vel ministri à mittente Legato additi. Cæterum ab ipso assumpti, non mox mittentis priuilegio tuti sunt, si quid grauius accidat; forum tamen & priuilegia cum Legato sortiuntur. vnde & comites Legatorum Reip. causâ abesse censentur, atque à mune-

3. *Etiam comites.*

muneribus vacant. *l. abesse. D. Ex quibus caus. maior. l.* 12. *D. de vacat. & excusat.* immunitatem à vectigalibus habent, pro iis rebus, quas legationi conuenientes deportant.

4. *Non pulsandi non tantùm, sed nullâ iniuriâ afficiendi.*

De non pulsandis Legatis mentionem facit dicta *l. vlt.* sed quęlibet iniuria continetur, seu facti, vt barba Legatis Dauid semiraſa à rege Ammonitarum. quam ille gente ad internetionem deletâ, vltum iuit. seu verborũ contumelia, vt Corinthiis & Mithridati bellũ Romani intulerunt, quod eorũ Legati superbiùs essent appellati. Alia habet Gothofred. *d. l. vlt.*

5. *An apud omnes an eos, tantùm ad quos mittuntur?*

Porrò Legatum iis esse inuiolabilem ad quos mittitur, liquidum est: an etiam aliis, non item. eorum enim respectu priuatus censetur. eoque minus Legatorũ ius læditur si ad hostem mittatur. & vetera sunt apud Romanos alioq; exempla eiusmodi Legatorum interceptorũ. & sub Carol. V. Legati Franciſci I. cum pernicioſis Christiano orbi mandatis ad Turcam, Caroli communemque omniũ hostem, missi interempti sunt. super qua re Galli altùm exclamarunt quasi gentiũ Iure læso, sed perperam. An aliquid ex induciis tunc inter Carol. & Franc. pactis per id læsum sit, & an vterque læserit, Carolus eâ cæde iussâ aut non vindicatâ, vel deditis percussoribus: Franciſcus eâ legatione, quæ mandata induciis aduersaria contineret, seu aliâs;

Historici certant & adhuc sub Iudice lis est.

Tutius ergo faciunt Legati extra mittentium e, orumque ad quos mittuntur, territoria iter facturi, si saluum conductũ ac transitũ innoxiũ obtinuerint. Generosiùs etiã fecerint Principes qui Legatos sine cæde reiecerint vel trãsitu prohibuerint. maximè si ad Principem non hostilẽ proficiscantur, sine noxa generosè dimittuntur, quos nil hostile molientes jus belli vindictę nulli subiecit: & quamquam nec ius Legatorũ eos tueatur, quod relatiuè inter mittentem & eum ad quem mittitur constituitur, tamen dum neuter inter hostes est, nec hostilia mandata perferuntur, securitas & transitus debetur, vt cuilibet peregrinanti. sic Albertus Pius Missum ad Batauos à Turca hîc interceptum innoxium dimitti iussit; vetuit tamen ne hâc rediret.

6. *Pœnæ violatorum.*

Quòd si porrò violati sunt Legati, meritò violatores pœnas soluunt. *Si ciuis pulsatus erit, actio iniuriarum est: si Magistratus, Maiestatis: si Legatus, bello, & iure gentium agitur.* ita Fabius. Ius hîc gentium accipio solemnem deditionem eorum, qui læserint. ea frequens apud Romanos iam inde à Romulo, qui de-

dendos

dendos censuit qui Laurentium Legatos violauerant, sed obsistens Tatius ipse pòst ad sacrificia Lauinij cæsus est. exinde Romulus absentibus aquâ & igni interdixit. Laurentes Tatij percussores Romulo dediderunt. Porsena cùm inter Tarquinios & Romanos quasi arbiter cognosceret, ac Tarquinij Legatos ad Porsenam intercepissent, Tarquinios Româ iure eiectos pronunciauit, quasi causâ cadant, qui ius hoc gentium violant. Q. Fab. & Cn. Apronium ob pulsatos Legatos Apolloniæ senatus dedidit Legatis. & L. Minutius Myrtillus & L. Manlius à Prætore Vrbano dediti Legatis Carthaginensibus, quos pulsauerant, & Carthaginem auecti.

Deditione eorum qui læserunt, satis fit juri gentiũ. & placantur Numina. deditio antequam fiat, dedenti constare de illata iniuria oportet. tum porrò is, cui fit deditio, cognoscit quantum demeriti sint, quo supplicio digni, an potiùs laudem clementiæ affectare velit deditis vivere beneficio suo iussis res autem ob quas Legati iuerant, marte suo vlteriùs decurrunt.

Falsus Legatus nullo beneficio, sed supplicio dignus est. Scipio tamen captiuos qui ex necessitate nomẽ Legatorũ falsò sumpserant dimisit inuiolatos, *vt Romani Imperatoris potiùs decepta fides* (inquit Valerius) *quàm frustrà implorata videretur*. Sic idẽ Scipio Legatos Carthaginẽ Româ redeuntes interceptos, quamuis Carthaginenses Romanos violassent, dimitti iussit. tametsi iure in eos id statui, quod in alios statuissent, & frangenti fidem fides frangi posse videretur. *Non enim*, inquit apud Polyb. *tam inspici oportet, quid meruerint Carthaginenses, quàm quid deceat Romanos*. 7. *Falsi seu nõ Legati tuti non sunt.*

Vsque ad renunciationem porrò actorũ Legatus inuiolabilis est, externis quidem iure gentium, ciuibus autem iure publici munéris. instar Magistratus, quem qui lædit, Maiestatẽ offendit. maximè quia summè Reip. interest, ex Legatis intelligi, quę ab eis acta sunt. 8. *Vsque ad renunciationem.*

Populo in partes secedente qui vltrò citroque commeant tuti etiam esse debent. sic Legationes à Cinna ad Syllam: ad Marium: à Pompeio ad Cæsarem: ab Octauio ad Antonium, & vice versâ. & hos temerare, Tacito est violare ius gentium. ignominiosa hæc quidem fateor aliquando sunt: sed sępè cedendum tempestati, & contrahenda carbasa, vt nauis salua nauiget. sed & subditorum quamuis Legati violari nõ debent in seditione fortè missi. vt Porsena Legatos Romanorũ à Tarquinio violatos abiudicatis ei postulatis vindicauit. quamuis 9. *Etiam inter ciues.*

Tar-

Tarquinij Romanos subditos adhuc allegare possent, & rebelles.

10. *Violatoribus sacris interdicitur.*

Iis qui legationibus obsistunt sacris interdicitur iure sacro. *Vigilat Iustitiæ oculus sempiternus vltricesq; Legatorum Diræ.* S. Martinus Papa ob violatos Legatos suos & in insulas relegatos à Patriarcha Constantinop. Romæ coacto Concilio Patriarcham anathemate feriit. ex quo nata causa eius martyrij.

CAPVT XIX.

De Cursu Publico.

1. *Quibus iure permissus?*

LEgatis præsertim vt ferè sunt hodie, quasi exploratoribus maximè subseruit cursus publicus. adeoque non permissus olim passim, sed iis qui Legati de diuersis Gentibus ad Principem properabant. *l. his. C. de curs. pub.* & ducibus in Prouinciam sibi decretam proficiscentibus, *l. nemo ibidem.* vel quibus Principes, Præfecti-prætorio, aut Magistri Officiorum *l. 9. ibid.* faciebant potestatem. *Euectiones*, inquit Constant. *in l. 3. d. tit. ab omnibus postulentur, & tam Iudices quàm custodes publici cursus minimè transire patiantur, antequam feriem euectionis aspexerint.* sed & Iulian. *l. 4. & 2.* euectionis datæ formam & licentiam non excedi mandat. Hodiè veredis vtuntur ferè quibus lubet sumptum soluere, sed olim prouinciale onus publicum erat. imperabantur enim tot iumenta quot necessaria erant pro locorum situ, & itineris qualitate. Vnde angariam dixerunt Græci, quæ per viã basilicã, & cursum publicum ducitur. parangariam, quæ per alias. Hinc & bastaga *l. 3. C. de cohort.* & pia embola *l. Iubemus nullã C. de sacrosanct. Eccl.*

2. *Vel moribus?*

3. *Nunc exactior.*

Hodie exactior est cursus publicus dispositis per certa interualla equis, in omnem horam paratis. qui quaquà versum lubeat currant, & exiguo tempore magna spatia nuncij peruolent. quod quanti in omnẽ causam interlit nemo ignorat. celeritas summum momentum rebus prosperè conficiendis sæpè attulit. summam Alexandri Magni eam virtutem fuisse historię tradunt. nec minimã illius, qui de se scripsit, *Veni, vidi, vici.* Ludouicus XI. Galliæ rex, qui fere patrum æuo cursum veredariorum dispositis per loca equis volantium inuenit vel restituit, eâ tunc arte aduersus Belgas & Burgundos, & pupillam Principem cæso ad Nanceium Carolo Audace præualuit, vt ducatum Burgundiæ inuaserit, & ad posteros in hunc diem

diem transmiserit. Artesiam verò aliosque Belgicæ fines afflixerit, imparatis omnibus, donec vndique concursum ad pellendum hostem, quem pupillæ tutorem esse oportebat. quo tempore omnes ad arma idonei ære campano per viginti continuos dies per totam Brabantiam pulsato ciebantur ad fines & Principem tuendos.

CAPVT XX.

De Potentia.

NEcessaria illa est dignitati Regię vel Reip. asserendę, atque defendendę Potentia, quam boni reuereantur, mali vereantur: incolę suspiciant, vicini timeant: ob quam subditi nihil innouare, exteri nihil inuadere audeant. Dauid sanè 1. *Paral. c.* 27. ducenta octuaginta octo millia satellitum seu militum habuit in singulos menses distributa. Iosaphat. 2. *Paral. c.* 17. vndecies centena sexaginta millia bellatorum robustorum, ac virorum fortium, quamuis in regno non ita magno. 1. *Principibus necessaria.*

Quid ad has vires Alexander, Romani, Xerxes? Ille vt fulgur celeritate res magnas confecit, sed & celeriter confectus. Isti mole ruerunt suâ. Hic Græciam inundaturus, mare exsiccaturus, ingentem traxit exercitum, sed in ruinam, confisus *in curribus & in equis*. Iosaphat autem ingentem illum numerum continuò aluit, iustâ potentiâ, non illâ tamen fisus, sed diuinâ: *sumpsit cor eius audaciam propter vias Domini*. nam vicinas gentes audiens insurgere, timuit, ieiunium prædicauit, oratione vicit. 2. *Paral. c.* 20. nec spem fefellit Deus, sed nutu suo hostes strauit, & Regi laborem legendorum per tres dies spoliorum reliquum fecit. 2. *Sed cum timore Domini.*

Potentia domestica est animorum vnio. nam *omne regnum in se diuisum desolabitur*. quod autem amore mutuo coniunctum est, facilè se conseruat. 3. *Domesticæ est animorum vnio.*

Externa potentia, Auctoritatem, Maiestatem, famam existimationemque complectitur. Famâ fortitudinis Alexander plura bella confecit, quàm virtute suâ: plures vicit, quàm vidit nationes. cùm moriturus Babylonem postremùm venit, plurium gentiũ legatos habuit etiam ex ipsa Hesperia, quàm vel ipse vt se dederent proposuerat. Sic Iosue inualuit *c.* 5. 1. *postquam ergo audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant* 4. *Externa fama, & existimatio.*

trans Iordanem ad occidentalem plagam, & cuncti Reges Chanaan, qui propinqua possidebant magna maris loca, quòd siccasset Dominus fluenta Iordanis, coram filiis Israel, donec transirent: dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel. Sic Iosaphat tutus fuit 2. *Paral.* 20. 29. *irruit autem pauor Domini super cuncta regna terrarum, cùm audissent quòd pugnasset Dominus contra inimicos Israel. quieuitque regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.* nec facilè regnum, Imperium, Rempubl. euersam legeris, vbi non priùs virtus, fortitudo, iustitia extincta crederetur. omnisque bonæ famæ læsus pridem antea status fuerit.

5. Diuitiæ iustè. Diuitiæ potentiæ materiam subministrant, si iustè quærantur, si prudenter administrentur. donum Dei sunt, vt docet Augustinus, gratum cùm datur priuatis, necessarium cùm Principi. itaque & illas propter supplementa necessitatis, vt loquitur Augustinus *in Psalm.* 66. desiderabit Princeps. Quare idem Augustinus *lib.* 2. *cap.* 10. *de ciuit.* in diuitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem. *Nescio*, inquit, *quomodo cùm superflua & terrena diliguntur, arctiùs adepta, quàm concupita constringunt: sed hoc ex eo est, quod pecuniæ priuatis ad sua desideria implenda petuntur, Principi ad salutem Reipublicæ.* Quare sapientissimi Reges, & inter eos piissimi thesauros atque diuitias immensas habuerunt. de Dauid 1. *Paral.* 22. & 27. de Salomone 2. *Regum* 10. 2. *Paral.* 9. de Iosaphat 17. de Ezechia 32. Ioseph quàm accurato consilio & Ægyptum à fame seruauit, & Regi immensos agros & reditus in posterum annuos parauit? Sanè parando & retinendo imperio diuitiæ oportunæ non tantùm, sed & necessariæ. aurum salutem ciuium tuetur, hostes expugnat. neque enim quo asinus aureis clitellis onustus penetrare potest, arces, vrbes, prouinciæ expugnari non possunt.

Igitur parandæ Principi atque Reipub. opes. parandi modos probos, improbosque scriptis tradiderunt multi. Consenius *polit. l.* 8. Tholos. *de republ. l.* 3. *c.* 6. plures alij vsurparunt.

6. Tributa moderata ritu patrio indicta. Legitimi, vsitatique iustis Regibus, ac Rebuspubl. Magistratibus digni imprimis moderata tributa, iustâ causâ, iusto modo, ad ritum patrium exacta. quæ ita notoria esse optandum foret, vt nec Theologi dicerent difficillimum esse iudicare de iustitia tributi. Salas *de legibus tract.* 14. *disp.* 25. *sec.* 10. nec casuistę, ideò quòd pleraque præsumantur iniusta, licere

cere illæsâ conscientiâ fraudem illis facere. quod sanè nullatenus admittendum foret, si scito Ordinum, si patrio ritu, si hostis pellendi, si religionis, si patriæ seruandæ causa indicta esse, eò verti, non, quò non decet, diuerti, iustâ proportione exigi, non arrosa distribui constiterit. nemo enim ita patriam odit, quin grauari eam malit, quàm amitti. *Ne vrbibus*, inquit Appianus *l. 5. ciuil. agrisq; pellamini, pecunia danda est, in vsum militum. nec ea maxima, sed quâ auditâ libenter acquiescatis. Impossibile enim est*, inquit Iustinian. *Nouel.* 149. *vt sacris tributis non illatis, alioqui Respub. conseruetur. Militares namque copiæ assignato sibi salario inde percepto, hostibus resistunt, & collatores à barbarorum incursionibus, & truculentia vindicant. denique agros atque ciuitates à latronum alióue modo imcomposita vitam sectantium, irruptionibus, agendis excubiis defendunt.* quod iterum inculcat *Nouel.* 161. *de prouin. præsid. c.* 2 *§. ad hæc.* vbi tamen tam gloriosè quàm sanctè vectigalia minuit, quo Respublica meliore successu potiatur.

Munera personalia, operæ publicæ, moderatè indictæ, nec minùs ad potentiâ faciunt, & faciliùs præstantur. ideoque personales functiones pretio olim redimi vetabatur. *tit. de exc. num. C. l.* 10. Inter iura Regia 1. *Reg.* 8. operũ præstationes recitantur. abusi sunt tyranni, Pharao, aliique Ægypti reges, Romani, Nabuchodonosor, Nemrhot, Semiramis, Tarquinius Priscus *apud Plinium l.* 36. *c.* 15. insanis per rupes & saxa aquæ ductibus, cauandis montibus, immittendis fluminibus. quod opus insaniam pyramidum Ægyptiacarum in quibus trecenta & sexaginta hominum millia sudarunt, superauit. Insana ista, & glorię aucupandę, pro qua apud probos & posteros ignominiam, vel etiam nominis obliuionem retulerunt, non publicę saluti structa sunt. cui muri arcium, mœnia ciuitaturres & propugnacula ædificantur. 7. *Munera personalia.*

Oeconomia Regũ, Rerumque Publ. opes seruat, & auget. non exigo nummularium, neque instar Euclionis circumspectantem procuratorem; liberalem esse permitto, sed neque prodigum, gnarum velim rerum, rationumque suarum, noscere œconomiam, non quæ per tot vectigalium vocabula corraduntur, proiectare, & in inutilia terræ pondera impendere. Seuerus *malum* dicebat *esse Principem, qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec vtiles Reip. aleret.* ministros licet habeat fideles, numerosos etiam pro dignitate. quibus non desunt liberalia honoraria, vt etiam externo 8. *Oeconomia.*

cultu veneratio Principis in ministris luceſcat, citra luxum tamen inutilem. Parcimoniam etiam commendatam habebit. quæ pridem maximum vectigal audiit. Parcimonia non excludit munera bene meritis, aut de quibus ſperatur bene, eroganda. excludit largitiones quæ ex iniuria fiunt, atque expenſas nullo publico fructu faciendas. Vt Romani tributorum exactionibus graues, & eorum inutilibus expenſis fuerunt. Lipſ. *de Magnit. Rom. c.* 10. *& ſequent.* ſed neque prodigæ tantùm profuſiones, ſed & promiſſa ingentia non minùs improbanda ſunt, & perniciem pluribus attulerunt. Vt de Galba Plutarchus, *promiſitque eius rei gratiâ aulicis & prætoriis (vt vocant) militibus viritim denarios ſepties mille, iis qui in prouinciis militabant M. CCI. quam pecuniam niſi pluribus quàm Nero maleficiis totum humanum genus affeciſſet, nullo modo comparare poterat. ea promiſſio primùm Neronem, mox Galbam perdidit: quorum alterum ſpe accipiendi prodiderunt; alterum, quòd non pendebat, necauerunt. ac poſtea quærentes eum qui tantumdem daret, priuſquàm voto potirentur, inter defectiones, & proditiones perierunt ipſi.* malo hoc quàm etiam hodie quidam Principes laborent, pereantque nemo non videt.

Succedunt leges ſumptuariæ in veſtibus, conuiuiis, munuſculis conuiuialibus, baptiſmalibus, aliiſque centum id genus ex cauſis, quibus optimi depauperantur, quæque prodigè alij abſumunt.

10. *Mercimoniorum abundantia adeoq; vectigalium.* Mercimoniorum magna commendatio eſt in Reip. vtilitatem inſtitutorum: quòd Remp. alibi natis rebus abundantem reddant: quæ domi ſuperſunt foras exportent, quibus domi opus eſt inuehant. Sed ad rem noſtram, ideo qui Reip. præſunt, mercaturam promouere debent, quia ex mercibus euectis & inuectis per vectigalia ſuauiter ærarium ditescit.

Omitto Luſitanos, alioſque Reges & Principes quarundam rerum commercium ſibi reſeruaſſe, & per inſtitores non leuia lucra feciſſe. quibus ſine ſubditorum querela Reip. onera non minima ex parte ſuſtulerint.

11. *Artificiorum.* Artium etiam artificumque vtiliſſima eſt ratio. quâ plebs alitur, creſcit, occupatur. nam vulgus ſi otietur, famem, inopiam, rerum nouarum auiditatem patitur. artificum ſanè opera in merces numeroſas creſcunt, mercatores auidos conciliant, qui in exteras regiones eas deportent, & pro operis tantum & laboribus, frumenta, vina, ceteraque ad victum veſti-

veſtitumque ſpectantia, diuitias, gazas aliarum ditionum reportent.

Agriculturam veterum eſſe diuitias tam notum eſt, quàm hodiè illius neglectum ærarium ingenti iacturâ afficere, & ingenti annonæ pretiâ incremento. vnde etiam nobiles olim, & diuites, qui & domus ſplendorem, belli paciſque onera ſuſtinere poterant, non ſufficiant hodiè alendæ dignitate congruâ familiæ; multique qui ſtipendiis ſuis olim merebant, nunc quo viuant bellū ſectantur. vt prædę patrimonij vicem ſuppleant. in quam primi cedunt immeriti ruſtici, quibus pulſis aut expilatis longo tractu aduehendi commeatus cariùs ærario conſtant, quàm integri exercitus ſtipendia. 12. *Et agriculturæ.*

Nulli genti maior olim agriculturæ cura fuit, quàm Romanis, nulli melius diuturnorum & grauiſſimorum bellorum ſumptus tulerunt, quàm ij ipſi. Soli Thraces agriculturę oſores fuerunt. Narrat Herodotus, otioſum eſſe, laudabile apud eos fuiſſe, contemptiſſimum eſſe agrorum cultorem: nec mirum iis barbaris, quibus

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.

Eumolpus Petronianus per Numidiam tam magnam familiam ſparſam habuiſſe dicitur ex more Romanorum, vt capere Carthaginem poſſet. ſparſam vtique ad agriculturam, & actiones. Quod ſi Principes, & Reſpub. agros in ditionibus adhuc incultos per ſeruitia & famulitia, ſeu aliâs coli curarent, quanta annonarum vilitas ſuccederet! quibus ęrarium in ſumptus exhauritur. quanta pretia, quantæ mercedes in ęrarium quotannis inferrentur! Olim pars maior Germanię ſiluis, vepribus, tribulis occupabatur. labor docuit feracem terram fuiſſe, vtilibus nunc & optimis frugibus idoneam. quæ adhuc iacent, quis neget optimas glebas calcari, non coli?

Aurum per bella quęrere nefas eſt: per maria, periculum: par falſitatem, opprobrium: in ſua verò natura, iuſtitia. vt monet Caſſiodorus. Igitur Principes qui metalla in terræ viſceribus latentia ſcrutantur, operis conductitiis, damnatis reis, hoſtibus captis, naturæ diuitias eruunt, ærarium inſigniter inuant, ſubditoſque ſuos graui tributorum onere leuant. 13. *Auri argẽtiq; fodinæ.*

Nobilitas plerorumque regnorum fulcrum eſt ad ſubitos motus internos, externoſque ſiſtendos, ſeu reprimendos 14.

Nobilitas regnorum fulcrum, & ex eo equitatus.

oportunissimum. Si bene habeatur, fida Principi: si malè, indolet quidem; decoquit tamen: nec infida facilè, nisi contempta, & in præceps acta: non eadem speres de populo, de plebe, de seruilibus ingeniis.

Carolus V. Imperator, Belgarum Princeps, rerum omnium prudentissimus æstimator, nobilitatem pro meritis semper æstimauit, firmamentum potentiæ suæ esse in Belgio credidit. quando Belgium toties vndique turbatum pro summa securitate, præter limitanea præsidia continua, muniendum putauit turmis equestribus, quas ex nobilitate conscripsit, atque hodie *Bendes d'Ordonnance* vocantur, complectentes numeros militares trium millium. quorum vsus per viginti quinque & amplius annos ob incommoda temporum intermissus, quasi postliminiò reuersus, & quamuis ex tyrocinio fere prodiens, docuit tamen nuper ad Bredam quanti fuerit momenti, quàm salutaris, quàm vtilis commeatibus, qui per tanta spacia aduehebantur, tutandis. quos adeoque impossibiles contra præsentem exercitum semper crediderat Mauritius. eo solo errore, & ter sine successu tentatæ arcis Antuerp. deceptus, & amissæ vrbis iacturâ mulctatus. quam initio alioquin multorum insignium Ducum judicio potuerat seruare.

Et hæ turmæ, quod ad rem nostram facit, pacis tempore stipendia non merent, sed belli tantùm. semper tamen in omnem occasionem debent esse paratę: ob eamque rem insignibus tamen immunitatibus gaudent; quas non ita sentit ęrarium.

15. *In magnis Imperiis semper militū certus numerus alendus.*

In magnis Imperiis certum militum numerum conscriptum ali necesse est, qui semper ad quosuis impetus hostium excipiendos parati sint & expediti. Herodot. sic de Cattis Cauciśque, Tac. *de mor. Germ. promta omnibus arma, ac si res poscat exertus plurimorum virorum equorumque, & quiescentibus eadem fama.*

Numquam enim belli cogitatio etiam quiescentibus altâ pace omittenda est, vel apparatus pellendo saltem hosti necessarius. Ita olim feuda militibus data, vt numquam deessent qui fines tuerentur, & agri limitanei militibus Romanis.

16. *Et cōmeatus abunde habendus.*

Commeatuum annonarumque abundantia, quibus & populus quietè viuat, & exercitus alatur, mirè ad potentiam facit. magnos exercitus dissolutos, res magnas pulchrè cœptas, turpiter desertas, Duces magnos victoriam iam prensantes spe destitutos, retrorsum actos commeatuum defectu, omnium

nium temporum historiæ & vberrima ætatis nostræ exempla perdocent. bellica sanè Carolo V. (quo sæculum istud maiorem Imperatorem non tulit, nescio an superiora) fortuna numquam defuit, quin priùs commeatuum defectus adfuerit, aut grauis mortalitas. quæ sæpiùs ex illo nascitur. adfuit autem ille sępiùs, & magnos conatus penè ad complementa perductos disiecit.

Muratarum etiam vrbium & populosarum, arciumq; firmitudo, admodum ad potentiam faciunt. Bodin. *de rep. l. 6. c. 2. n. 644. & seq.* pręsertim tuendę ditionis. atque cum vna parte in hostem itur, & altera metus est, nequid ille moliatur. *qua de re diximus tit. de ædif. n. 5.* Romani certè exercitus etiam proficiscentes vix vnâ nocte sine vallo confidebant. neque tumultuariis illi tantum vtebantur, sed imò castris perpetuis. vt rectè disputat Consen. *Polit. l. 8. c. 23.* 17. *Muratæ vrbes & arces.*

At verò fœdera cum aliis Principibus aut Rebuspublicis icta, summopere ad potentiam faciunt. tum id ditionis propriæ seruandę alienis viribus, copiis, pecuniis, facile consiliũ. ita debiles à potentibus adiuti res suas seruant, potentes autem suas augent. Ita legimus Romanos socios iuuando, orbẽ terrarum sibi subegisse. ita Turcam inter Christianorũ Principum dissidia imperium suum protulisse: quamuis fide improbâ, vt qui post superatum eum, contra quem vocatus est, hostem, etiam deinde amicum & socium, cui auxilia tulerat, soleat supplantare, ditionesque antè amicas hostiliter iuuadere, & sibi habere. ita patrum memoriâ iuuando Ioannẽ seu eius filium quasi Pannoniæ Regem contra Ferdinandum Austriacum, nobilissimam vrbem Budam, maioremque regni partem occupauit, atque etiamnum detinet, & ab ipsis regibus Hungariæ tributum capit. 18. *Fœdera.*

Ad potentiam stabiliendã & incrementũ Imperij nec parũ fuerit colonias deducere & in finibus collocare: Longobardorum more, qui in omnes fere gentes transiit, nuper bello acquisitas terras, fundos, castella, vicos, pagos, territoria, dummodo non nimia sint, non regiones integræ, in feudum dare: non corpora tantùm, sed animos Prouincialium humanitate subiugare: vt doleant tardè veniisse in eam potestatem: adeoque tributis leuare, gratiam priorum Regum superare, & per eam in amorem morũ, legũ ac linguæ victos trahere: ad eos etiam si opus sit domicilio translato, etiam in vnionem ditiones contrahere: nihilque non agere ad conci- 19. *Coloniæ.*

liandum affectum deditorum, seu quomodocumque nuper in potestatem lapsorum.

CAPVT XXI.

De Annona.

1. Summè curanda.

RAtio Annonæ meritissimo Iure apud Aristotelem *polit. lib. 6. c. 8.* ad primam quasi legem Reipub. refertur; neque enim pudendum Principi minus Magistratui si Resp. extra iram Dei annonæ penuriâ laboret, quàm si paterfam. vxorem, liberos, fumulitia fame vexari negligat. vt adeò incredibile non sit, quod de Augusto refert Eutropius, cùm resciuisset in dies tantùm tres in publicis horreis suppetere frumenta, venenum parasse sumendum, nisi infra eos dies frumenta adueherentur. O patrem patriæ! sed & sui causâ Principem ea cura solicitare debet. Nihil enim non cogitat ieiunus venter; domi seditionibus aptus, militiæ desertor signorum, & imperij, reuerentiam Magistratuum excutit, Principum maiestate non terretur. rara enim omni quo patientia, qualis ea vox Cæsarianorum (*narrat ipse de bello Gallico lib. 3.*) priùs se cortice ex arboribus victuros, quàm Pompeium è manibus dimissuros. nihil populum vel pacatiorem reddit vel seruat, quàm annonę cura. *duas tantum res amplius optat, Panem & Circenses.* Rectè Liuius *l. 2. multa*, inquit, *blandimenta plebi per id tempus data: annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum missi alij in Volscos, alij Cumas. salis quoque vendendi, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumptu adempto concessum, priuatis portoriis quoque, & tributis plebe liberatâ.* & paulò pòst: *hæc indulgentia patrum asperis post modum rebus in obsidione, ac fame adeò concordem ciuitatem tenuit, vt regium nomen non summi magis quàm infimi horrerent, nec quisquam vnus malis artibus postea tam popularis esset, quàm tum benè imperando vniuersus Senatus fuit.* Hæc ille.

2. Panes.

Posterioribus temporibus magna in plebem beneficia panum ciuilium, gradilium, aliorumque. eam in rem Præfectos Ægypti primùm omnium curare oportuit felicem embolam, id est, frumenti ex Ægypto transuectionem. *Augusto Imperante*, inquit Aurelius Vict. *ex Ægygto vrbi ducenties centena millia fru-*

frumenti inferebatur, scilicet modiorum. Itali viginti millia vocant. Constantinus, quo anno Consul fuit, diebus singulis panem inter plebem diuisit. cui deinde etiam vinum, carnem, & oleum addidit: & per multos annos obseruatum fuit octuaginta millia panum eum quotidie pauperibus elargitum. *Suidas & Metaphrastes narrant.* Ciuiles hi panes vocabantur; quia ciuibus dabantur. ad palatinorum differentiam, & aliorum qui quibusdam scholarum hominibus præstabantur. *l.* 2. *C. de annon. ciuil.* hæ populares etiam annonę & ciuicæ sunt dictę, *d. l.* 2. de his Valentinian. *l.* 3. 4. *C. Theod. eo. tit. Nequid*, inquit, *super gradili pane fraudis oriatur, iussimus omne illud quod populo penditur, palam in gradibus, non clam à pistoribus ministrari*: Lipsius *in mirandis l.* 1. *c.* 10. *ex Suetonio & Dione* ex publico frumentum numeratum fuisse, nunc ducentorum, nunc centum & sexaginta. millium asserit.

Sed & magnis viris annonæ curam domi militiæque demandatam fuisse, & leges nostrę, & historię docent, & res porrò exigit. elocant aliqui rei frumentarię curam minus exigenti, seu vilissimo pretio licitanti, sed incommoda, quę referre nolo, in contrarium suadent. Apud Romanos inter prima vrbis munera annonę prȩfecturam fuisse non ignoramus. quia statim Consulum officia inter titulos iuris nostri subsequitur, & cæteris secundùm Prȩf. Prætor. senatoribus præfertur. sed & Præfectus vrbi curam hanc agnoscebat. *l.* 1. *§. cura carnis D. de off. præf. vrb.* quæ inter primas dignitates fuit. docet id Liuius *l.* 10. *Caritas etiam*, inquit, *annonæ solicitam ciuitatem habuit: ventumq; ad inopiæ vltimum foret, (vt scripsere quibus ædilem fuisse eo anno Fabium Max. placet) nisi eius viri cura, qualis in bellicis rebus multis temporibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione, præparando, ac conuehendo frumento fuisset.* Præfectum etiam annonæ fuisse anno salutis 223. Vlpianum testatur *l.* 4. *D. de contrahen. & commit. stipul.* quo Alexander imperare cœpit. vt nec sit mirum, quod vel ad solam horreorum causam Valentinianus & Valens *l. omnia C. de condit. in public. horr. l.* 10. *ad istud*, aiunt, *negotium arbitratu & iudicio tuo nobilis, prudens, fidelis, optimè sibi conscius apponatur custos, & mensor.* 3.

Ergo annonæ cura in tribus consistit; comparando, conseruando, dispensando. in quibus singulis diligentia exigitur, prouidentia, & industria singularis. 4.

Ad

5. *Agriculturæ illuc ſpectat cura.* Ad comparandum pertinet, quod Ariſtoteles monet, vt Magiſtratus curent prædia, agroſque luſtrari, cultores diligentes præmio, ignauos infamiâ affici, quomodo Romæ agrum malè colere cenſorium probrum fuit. Antuerpię aliiſque locis, quotannis propoſita præmia ſunt iis, qui de meſſe noua primitias venum primi adportarint.

Claudius Imperator nō parua propoſuit prędmia iis, qui nauibus frumentū adferebant; & damna, quę maritimis tempeſtatibus patiebantur, ipſe reſarciebat: & hac de cauſa ædificantibus opem ferebat. Tranquillus *c.* 18.

Dauid eâ prudentiâ Rex operi ruſtico, vineis, oliuetis, pecoribus non ſuis tantùm, vt Marianæ placet, ſed ciuium omnium prędecit viros ſelectos. Raris quidem locis non agrorum natura, ſed agricolarum ignauia, Magiſtratuum incuria penurię cauſam prębet. quod ſuo ſęculo exprobrat Tacit. *l.* 12. *Olim*, inquit, *ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabantur; nec nunc infecunditate laboratur, ſed Africam potius & Ægyptum exercemus, nauibuſque, & caſibus vita populi Romani permiſſa eſt.*

6. *Et fauor.* Fauori agriculturæ Iure noſtro varia priuilegia ſunt conceſſa. quæ Rebuffus latè exequitur. Romani ſi quidē agricolas magnificiebant, vt pro laude haberetur eo nomine appellari. Plin. *l.* 18. *c.* 3. & Leo Imp. *duas*, inquiebat, *artes adjuſtinendam, ac ſeruandam Remp. vtiliſſimas eſſe, agriculturā propter militū alimenta, & militiam propter agricolarum tutelam.* & iterū, *has duas artes cunctis præferendas eſſe, cæteræ aliquando ſuperuacaneæ ſunt.*

7. *Ne fruges corrumpantur.* Romani ne agricolarum labores irriti fierent, cauerant, vt capitalem pœnam ſubirent, quicumque eorum fruges meterent, corrumperentvè. Plin. *l.* 18. *c.* 3. quantum diſtamus, quàm non tutandis, ſed depopulandis agricolis milites hodie ali ſe putant! Nec creditor iuſtus quidem quantumcumque tritici, vel hordei vel in alia ſpecie, quę in fructibus aridis eſt, crediderit, vltra octauam partem hordei pro ſingulo modio quotannis prędſtandam obligare agricolā poteſt: quin & terram creditor reſtituere cogitur. *Auth. vt nullus Agricolæ mutuans teneat eius terram. & Auth. Nullum credentem agricolæ tenere illius terram, & quantam debeat, vſuram dare.*

8. *Vſurū grauentur.*

9. *Aut longis litibus.* Sed & lites ruſticorū breues eſſe voluit Iuſtinianus *Nou.* 80. *c.* 2. *Vtili etiam ratione proſpectū eſt, vt innocens & quieta ruſticitas peculiaris patrocinij defenſoris locorū beneficio perfruatur, & apud eu in pecu-*

pecuniariis causis litigandi habeat facultatem l. 3. C. de defens. ciuit. quin imò vetitum fuit tempore messis, cæterarumque illarum vacationum in ius eos vocare. Plin. *l.* 18. *c.* 26. sed & Athenienses rastra, vomeres, aratra, aliaque rustica instrumenta vendi, aut violari prohibuerunt seuerè. idem Plin. *l.* 18. *c.* 26. Alexander III. ne quid vel de Ecclesiæ authoritate deesset *c. 2. extra de treuga* statuit, *vt mercatores, rustici, euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia quibus arant, & semina portant ad agrum, congruâ securitate lætentur.* Nunc bellum in nullos magis exercetur, nec hostiles tantùm milites aduersæ partis rusticos deprædantur, sed & ij qui tutandis illis ipsis conscribuntur. Illud porrò infame, vt nõ sufficiat, si cibos hominibus, pabula equis præstiterint, nisi etiam tormentis vltimus teruncius rusticis excutiatur. qui si defuerit aut negetur, equis vnâ nocte tota horrea substernuntur, quibus cohors, quibus legio in plures dies possit sustentari. quin imò incenduntur. vnde in plebe annonæ caritas, & in exercitu mox penuria, cui ex vicino agro si citra noxam habitus fuisset, in plures menses suppetere frumenta poterant: quæ deinde aduehi ex dissitis etiam regionibus debeant. quorum nuper vecturam constitisse vidimus in singulos modios quanto emi poterant quinquaginta, & eo amplius. Inde æraria publica exhauriuntur atque æs alienum tantum contrahitur, vt in annos aliquot sequentes subsidere debeat bellum, & quod confici posset perpetuum fiat. sic narrat Plutarchus, exercitum Mithridatis ignaro ipso fame propemodum interiisse, quia duces qui adulabantur, nihil ei hac de re significabant. Exercitus Catholicus cùm primùm ante paucos annos in Rheno-palatinatum veniret Dux Spinola capite sanxit, ne quis miles vel gallinam, nisi empto acciperet. nisi enim iusto metu soluti fuissent, fugâ passim rusticorum, non annonæ subuectio speranda erat.

10. *Ne tempore messis ius vocetur, instrumenta vendantur, à milite vexentur.*

Mandatis Principum ita denique cauetur: *Debetis custodire, ne dardanij vllius mercis sint, ne ab his qui coëmptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nolunt, dum minus vberes prouentus expectant, annona oneretur. l. 4. de extraord. crimin.* Quâ causâ B. Carolus Comes Flandriæ Stratanos & complices nobiles, vt plebi succurreret, frumenta pretio iusto vendere adegit. eoque ab impiis illis sicariis occisus cùm causam martyrio justitia regiminis suppeditasset, Optimates, & populus & Successor non siuerunt

11. *Dardanarij compescantur.*

eos

eos abire inultos, posteritate etiam æterno exilio damnatâ.

12. *Rustici aliis rebus non auocentur.* Sed & quo rei rusticæ continuò incumbant, iure vetitum est, ne rusticani ad vllum obsequium deuocentur. *l.* 4. *C. de agricol. l.* 10. numquam etiã de sationibus vel colligendis fructibus insistentes agricolæ ad extraordinaria onera trahuntur. cum prouidentia sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere *l. numquam ibid.*

13. *Pretia frumenti sic statuantur, ne rustici laboris præmia non habeant.* Prouidendum etiam ne cùm maximè ne dum pretia annonæ statuuntur, viliori agricolæ vendere teneantur, quàm steterit, sed iustum aliquod lucrum totius eis anni labor adferat: quo familia sustentetur, ne illius desperatione in annos sequentes ignauiæ se dedant, agrosque deserant, frumenta desint, aut rariora sint increscentibus pretiis.

14. *Idem seruandum in mercatoribus.* Idemque accipi oportet quo ad mercatores. ne eo pretio vendere cogantur, quo sumptus non recuperent. ne desistant in posterum, mercesque aliò dirigant; quin imò aliquod lucellum supersit, quo prouocentur ad artem Reipub. maximè salutarem, aduehendo aliunde quæ domi desunt; auehendo, quæ domi in vsum nullũ sunt, aut pretiũ superfluum, meliora reportando. Quamobrem prudentissimè constitutũ iure nostro, in mercatoriæ artis, quin potius Reipublicę fauorem, vt ne Iudæis quidem mercatum exercentibus, molestiam liceat exhibere: aut alicui præter rectorem prouinciæ iis, quę venalia proponunt, pretia statuere. *l. nemo externus C. de Iudæis.* sed hodie singulæ ciuitates id præstant. Obseruandi tamen sunt admodum illi qui annonam intra easdem ditiones emendo & vendendo vexant, pretiumq; augent. quod vt ne fieret curasse præfectũ annonę tradit Feneſtell. *de Magistrat.* & Halicarnas. *l.* 7. *antiq.* fraudes huiusmodi coërcet *l.* 2. *D. ad leg. Iul. de Annon. l.* 6. *D. de extraord. crim.* magna veterum cura, vt pauperibus ac diuitibus tolerabilis per ciuitates esset vita. & varia Principũ nostrorum edicta aduersus frumentarios fraudatores, & euectores. an. 1522. 1523. 1531. 1535. 1545. 1546. 1549. 1551. 1552. 1616.

15. *Quorum merces quã minimis tributis grauentur.* Quàm minimis etiam tributis grauentur merces. quæ nisi ab ementibus recuperauerint, aliò vergunt. onerentur ea, quę luxui seruiunt, quibus carere possumus: immunia sint, quibus non possumus. pretia statuta eos maximè tangunt, quibus agricolarũ, & plebis sudor amplos prouentus domum vexit, quique coëmptas leui pretio merces in vltimam penuriam seruant.

Quando

Quando etiam Valentin. & Valens Imp. *in l. 1. C. de Episc. audien.* de re sua statuant, *Negotiatores si qui ad domum nostram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere, Christiani prouideant Episcopi.*

In municipiis ex decurionibus curator annonæ creabatur, qui frumentum non dumtaxat, sed & oleum comparabat, publicâ pecuniâ. Vnde munus hoc Modestin. *in l. si duas, 6. §. est autem. D. de excus. tut.* sitoniam & eleoniam appellat, id est, frumenti oleique emendi curam; quæ inter munera personalia refertur. *l. finali, §. cura quoque. D. de mun. & honor.* ad quod munus minor 25. annis non eligitur, *l. 2. D. de vacq. & excus.* si nihil tamen propriè in patria seruatur. Huic officio & dignitas, & auctoritas non deërat. Vnde Sceuola in *l. vlt. §. Titius. D. de pig. act. Culleos*, inquit, *cùm Seius in horreo haberet, missus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam sustulit, ac postea instantia creditoris recuperati sunt.* & Romæ præfectus annonæ non quidem initio *l. 2. §. hæc omnia. D. de orig. iur.* sed aucta Republ. in negotiatores annonæ tritici, hordei, & similium ius dixit. *l. vlt. D. quod cum eo qui in aliena potest.* creabantur etiam ædiles, qui emptum frumentum diuiderent. *l. ideo 17. de compensat.* quod ipsum munus personale est, *l. 1. §. 2. D. de muner. & honor.* 16. *Reip. annona coëmenda.*

Decuriones pretio viliori quàm annona temporalis exigit, patriæ suæ præstare non sunt cogendi. *l. decur. 5. de administrat. rer. ad ciuit. pertinent. l. vlt. D. ad l. Iul. de annon.* & si curator cariùs quàm temporis conditio postulat, vendidisset, mulctabatur. *l. 2. D. de annon.* distracto frumento pecunia ciuitati statim restituebatur, ne admissa quidem compensatione. *l. 2. §. ad frumenti. D. de administ. ad ciuit. pertin.* In summa autem necessitate alicuius vrbis alia, cui melius prouisum erat, illi iusto pretio frumentum conferre à Principe cogebatur. *l. 1. & 2. C. vt nemini liceat in coëmp.* 17. *Vilius nemo vendere cogendus quàm præstare possit ne quidem officio astrictus.*

Sed & hæc cura erat, vt iusto pretio, pondere, ac mensura omnis annona veniret. & Episcopi vocabantur, qui præsunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vsui sunt. *l. fin. §. item Episcopi. D. de muner. & honor.* sic omnium Romæ venalium rerum cura ad ædiles pertinebat, ne vitiosæ distraherentur, *l. 1. in princ. D. de ædil. edict.* 18. *Prouidendum ne quod in rebus sit vitium, in pondere aut mensura.*

Sed non alia suauior præsertim in his ditionibus, quæ totæ mercatoriæ sunt, statuendi frumentorum pretij ratio, quàm ea quâ vsus est sæpè omnium pauperum applausu Senatus noster Antuerpiensis, vt copiam frumenti habeat in publicis locis, vt species annonarias publicis horreis seruari mandat *l. 1. 2. pen. C. de nauicul. l. nulli C. de off. rect. prouinc.* seruatam in omnes necessitates obsidionis, & caritatis, 19. *Pretiũ diminuendũ vendita è publico in*

singulas nundinas annona.

quâ ingraueſcente, ſolet quantum opus ad forum mittere, & leui pretio diſtrahere, vt alij ad illud exemplum de rigore pretij remittere cogantur. Laudabile toto orbe exemplum Abbatis S. Vedaſti apud Atrebates, vt in ſingularum hebdomadarum frumentarias nundinas tantum frumenti (cuius ampliſsimos habet reditus) ad forum deſtinet, leui pretio diſtrahendum, quantum pauperibus eius vrbis, & diſtrictus ſufficiat, eoque exemplo remoratur, ne pretium vltra modum increſcat. quadrat elogium quod in hanc rem Valentin. & Valens *in l. 1. C. de Epiſc. audien.* aſsignant Chriſtianis, *quibus verus cultus eſt adiuuare pauperes, alioſq; in neceſsitate.* ſic & *c. 1. x. de empt. & vend.* ad presbyterum deferri iubet eos, qui hoſpitibus vltra pretium vendunt, & qui iniuſtâ menſurâ, pœnitere in pane & aqua.

Alterum ſubſidium rei annonariæ, præterquam quod omnes, qui ea quæ ad victum pertinent, & neceſsitatem (non luxum ſuperfluum, vt queritur Tiberius *apud Tacit. l. 3. lapidum causâ pecuniæ noſtræ ad externas aut hoſtiles gentes transferuntur.*) aliunde aduehunt, bene habeantur, neque tributis grauentur, neque exactorum iniuriis ſubiaceant, eſt; ne ea quæ vel domi creuerunt, vel aliunde aduecta ſunt, negligantur: aliáve exportentur, quibus poſtmodum Reſpub. egeat, idque & edictis prohiberi à Magiſtratu poteſt, *l. 1. & 2. C. quæ exportari non poſſunt.* & ſeriò curari debet. ſed contrà potiùs in id incumbendum omnibus neruis, vt aduectiones naturâ & induſtriâ ſint faciles, & moribus ſtationariorum viæ, & flumina, & mare nihil impedita, vel à piratis, latronibus, vel viarum aut fluminum incommodis, purgentur, reficianturque ſtudioſiſsimè. Quin imò nòui aquarum ductus, ſi qua fieri, & prodeſſe poſſunt, fodiantur, quò merces faciliùs & quàm minimo pretio traiiciantur. Vidimus & patrum & noſtrâ memoriâ quantum in omnem cauſam & caſum interſit. non aliter Batani proſperitatem Reipublicæ ſuæ ſtabiliuerunt, aut ſeruarunt hactenus, quàm ductu aquarum, obiectu fluminum, maris nauigatione. Ambracium Nero cum ſinu Corinthiaco iungere voluit, *primusque terram egeſtam ſuis humeris tulit* Suet. *in eius vita.* & à lacu Auerno nauigabilem foſſam vſque ad oſtia Tiberis ducere: *ſed intolerandus labor, nec ſatis cauſæ.* Tacit. *l.* 15. foſſa etiam Mariana, Druſiana, Ottonia, nec ignobiles, olim nec inutiles pacis & belli neceſsitatibus. Studium L. Veteris fuit Moſellam atque Ararim foſsâ connectere, *vt copiæ per mare, dein Rodano, & Arare ſubuectæ per eam foſſam, mox fluuio Moſella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, ſublatiſque itinerum difficultatibus nauigabilia inter ſe Occidentis Septentrioniſque littora fierent.* Sed Aelius Cratius Belgicæ legatus quanti intereſſet gnarus deterruit Veterē, *ne legiones alienæ Prouinciæ*

20. *Bene conſeruanda, non exportanda quibus opus habemus.*

21. *Bene habēdi eorum mercatores.*

22. *Portus aquæductus bene curādi, noui fodiendi.*

infer-

inferret, ſtudiáque Galliarum affectaret. Tac. *l.*15. ſexcenta alia ſunt. ſed nulla experientia clarior eâ quam apud Batauos ſexagenarium nunc bellum fecit, innumeri ſunt fluuij, aquæ-ductuſque ab induſtria naturaque dati, mercium aduehendarum nullibi commoditas, nullibi annonæ vilitas maior, exercitus verò & commeatuũ in omnem partem quò ducendus eſt, tam expedita traiectio, vt ſex horis tantum itineris conficiat quantum caſtra Regia per continentem ſex diebus, tantilli ſumptus vt centeſimam regiorum non æquent, dum vna oneraria plus tranſuehit quàm centum quadrigæ tot equis & aurigis famelicis,& agrorum populatoribus inſtructæ ſint ferendo. Quæ procul dubio ratio vnica eſt, præter eonfœderatorum conſilia, frugalemque & prudentem adminiſtrationem, vt orbis ille angulus tanti monarchæ arma tot iam annos ſuſtinere potuerit non tantùm, ſed & in propriis ſedibus, atque vtrarumque Indiarum inſulis magnis damnis irritârit. Ita nuper Rex Rhenum in Moſam ducere cœpit : quod quanti momenti ſit in belli & pacis cauſam oſtendit Batauus, miſſo exercitu ad eos conatus impediendos. Faxit Deus vt quæ alia id genus pertinent ad Reipublicæ tutelam, annonæ, merciumque omnem abundantiam, & vtilitatem, cum ſalute publica dirigantur, vt non minus domi ſit benè; quam Dei beneficio Belgarum noſtrorum per annos proximè laplos foris in Italia, Hungaria, Germaniaque bellica gloria renouata eſt, illudque Belgis euenit, quod Germanicus apud Tacitum *lib.*1.abominabatur: *Dij*, inquiebat, *non ſinant vt Belgarum quamquam offerentium decus iſtud & claritudo ſit, ſubueniſſe Romano nomini, compreſsiſſe Germaniæ populos.*

Denique annonæ ratio conſtat in diſtribuendo rectè, vt ingruẽte neceſsitate ſciatur quantum ſit frumenti, quanto populus egeat. Singulis vicis, ſingulis inſulis præficiantur qui inquirant, qui quod cuiuſq; indigentiæ ſupereſt, in hebdomadas, in menſes vendi iubeãt, partianturq; ne cuiquam deſit, aut quod alteri opus eſt ſuperfluat. inutilia terræ pondera ablegentur, validi mendicantes, otioſi decoctores, profuſi helluones, immodicis gulæ ſumptibus prodigi (quibus coërcendis ſcriptæ olim leges Fannia, Licinia, Cornelia, Antia, Agell. *l.*2 *noct.attic.* Macrob. *ſatur. l.*4. *c.*9.) vſurarij, qui res alienas malè exedunt, & ſuis abutuntur malè, harpyiæ inſatiabiles alienarũ rerum, ſuarum prodigi, qui canibus proiiciunt, quo multi ieiuni ventres ſaturari poſſent. Canes incumbente aut imminẽte fame occidi ſolent, omniaq; inutilia animalia, quæ alimenta hominibus idonea abſumunt. apud Belgas etiã vetari ne aqua nimio frumento in potum corrumpatur; aliaque quæ vſus & prudentia ſuggerit ſtatui.

23. *Diſtributio annonæ prudenter facienda.*

CAPVT XXII.

De ædificiis.

1. *Ædificia curanda.*

PRoſpiciebatur olim diligenter ne vrbs ruinis deformaretur. collapſa ciuium ædificia reſtitui iubebantur. Paul. *lib.* 1. *diſput. c.* 26. *l. ob negotium* 20. *D. de compenſ.* ſi iuſſum negligebant domini, curator Reip. domum extruebat, & niſi illi impenſam cum vſuris reſtituerent Reſp. eam diſtrahebat. *l. ad curator.* 46. *D. de dam. infect.*

2. *Viæ ſternendæ, curandæ, reparandæ.*

AEdiles etiam ſternendis reparandiſque viis ſunt creati, *l.* 2. §. *deinde cum eſſet. D. de origine iur. l.* 1. *de via publica. l. lectos* 12. *de peric. & commod. rei vend. Ædiles*, inquit, *curam gerant per vrbem viarum, vt complanentur, néue flumina damnum dent ædibus, & vt pontes ſint quocumque loco opus fuerit.* curent etiam vt priuati muri, vel alij, vel ædium qui in publicam viam feruntur, ſi ruinoſi ſint, ædium domini eos vt oportet, demoliantur, aut reparent. quòd ſi non demoliantur neque reparent, eos mulctent, donec vitium emendauerint. Prouideant quoq;, nequis vias publicas effodiat, aut aggeribus obſtruat, néue quid in via ædificet. quòd ſi contra factum fuerit, ſeruus à quocumque, qui eum deprehenderit, cædatur; liber verò ædilibus indicetur, qui in eum lege animaduertent, & factum opus deſtruent. Præterea vt ante ſuas quiſque ædes vias publicas reficiat, & aquæ-ductus, qui ſub dio ſunt, purget, nequid euntem currum impediat, & qui conductas ædes inhabitant, ſi earum dominus non reparet ipſi reparent, impenſam in penſionem imputabunt. curent etiam nequid ante officinas ponatur, niſi fullo veſtimenta ad auram recreet, vel faber rotas exponat. ita tamen & hi collocent, ne euntem currum impediant. neque etiam quemquam in via rixari, aut ſtercora eiicere, vel morticina pelléſve proiicere permittant.

3. *Et ſacræ ædes.*

Sacrarum ædium in primis cura Iudici eſſe debet, vt ſartæ tectæ ſeruentur. in quam rem olim quarta bonorum Eccleſiaſticorum pars deſtinabatur. *c. vulter. & ſeq.* 12. *q.* 1. & ob id hodie cùm ea partitio bonorum ceſſat, in eos onus maxime incumbit, qui aliquos ab Eccleſia prouentus obtinent. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 7. aut in ea beneficia poſsident, *c.* 1. *&* 4. *de eccleſ. ædific. c. fin. de his quæ fiunt à maiori parte Capit.* late Pecq. *tractat de ædific. & repar. eccl.* Langecruc. *in ſpec. Canon. l.* 5. *c.* 5. 6. 7. 8. *& nos egimus in iuris pontificij noui anal. eo tit.*

Mu-

Portus publici, viæ vicorum, angiportus ad vtilitatem publicam 8.
inſtituti rectè curari debent, nec vllâ parte priuatis domibus inclu- *Portus.*
di, *l. qui ſine* 19. *C. de operib. publ.* ſed publica omnibus eſſe ſtatio, &
ſecura. *l. nemo igitur*, 4. §. *final. D. de rer. diuiſ.* vt facilis ſit acceſ-
ſus, & ſecura inuectorum conſeruatio, nec moroſa tributi exactio.
Eximia, inquit Caſsiodorus *l. 7. Variar. c. 9. res tibi committitur, ſi moderatè peragatur, tu copiam facies dum ingredientes iuſtè tractaueris, auara manus portum claudit, & cùm digitos adtrahit, nauium ſimul vela concludit.*

Id tamen diligenter Magiſtratibus proſpiciendum eſt, ne ſimul 9.
cum peregrinis mercibus, peregrini mores, & vitia inuehantur. *Pro-* *Cum peregrinis mercibus mali mores ne inuehantur.*
fectò, inquit Plato, *mare ciuitati proximum quotidiana eam iucunditate afficit; verumtamen vicinitas ea reuerà nimium ſalſa eſt, aut amara. nam cùm mercibus & pecuniis ciuitas cauponando repleatur, doloſi animi inſtabiles & infidos mores parit, vnde parum & ipſa ad ſe ipſam & ad gentes alias fidem & amicitiam colit.*

Theatra etiam, ſtadia, balnea, prætoria, palatia, baſilicæ, pon- 10.
tes, viæ publicæ, & ſimilia, quæ in vſum communem habent ciues, *Theatra, portoria, balnea.*
curari etiam vt publica debent. ſiue agatur de illis ſartis tectis
ſeruandis, ſiue de his quæ in illis aguntur, vt neque deſit vtilitas, &
honeſta voluptas, neque luxuriet in theatris vel mimorum ſeu hiſtrionum turpitudo, nec laſciuiat in balneis, ad corporis valetudinem ſeruandam repertis, meretricia mollities.

Carcerum autem cum primis ratio habenda eſt Magiſtratibus, 11.
vt ſint idonei ad cuſtodiam, ad quam deputantur. *l. aut damnum*, §. *Carceres publici, priuati, manaſtici.*
ſolent. D. de pœn. D. & C. de cuſtod. reor. & ſecuri quidem, at non du-
ri. vt qui ad caſtigationem leuium delictorum, vt *in l. 3. D. de cuſtod. reor. l. 2. C. eod.* nec iſti tam horridi, quàm qui ad ſupplicium. vt erant Gemoniæ, Tullianum, & alia loca ſubterranea Romæ. Quare & iuſtiſsimæ ſunt Eccleſiaſticæ conſtitutiones, quæ vetant carceribus ita mancipari reos, vt vel fame vel fœtore interimi poſsint. Diaz *in prac. crim. can. c.* 129. & Regiæ Ordinumque Galliæ iuſtiſsimæ ordinationes, ne vllibi carceres ſint ſubterranei, vel hypogea. Comitiis Aurel. *art.* 55. ne loci corruptio, fætor, bufones, ſerpentes carceratis officiant; eſt enim id non cuſtodire, ſed necare.

Quare ædificia carcerum hiſce cuſtodiæ, delictorum, & pœnarum, nec non ſexuum diſtinctionibus idonea vt ſint, ſatagendum. ſed & vt ne Commentarienſes negligenter, aut crudeliter incluſos habeant, inuigilandum. *l. 1. de cuſtod. reor.*

Nec minùs qui vi è carceribus reos vel alio modo eximunt, de vi publica puniendi. *l. qui de dol.* 10. *ad l. pub. de reput.* & damno actori farciendo, *l.* 4. *& tot. tit. nequis eum qui in ius vocatur, vi eximat.* Denique qui carceres effregerunt. quibus capitale supplicium proponitur *l.* 2. *de car. de his qui carc. effreg.* nisi custodis negligentia interuenerit, per quam sine effractione euadentes leuiter puniuntur *d.l.* 1.

Prætereà ne quis carcerem priuatum habeat. publici enim iuris est, & sine auctoritate publica nec construi, nec haberi potest, *l. vnic. C. de priuat. cart.* Excipio parentes qui filios habent in potestate, qui intra familiam emendare eos possunt. solent tamen si seueriori eos disciplinâ detineant, magistratui indicare. Excipio etiam dominos, qui seruos vincire & cædere possunt, dummodo meminerint animaduersuros Iudices, si disciplinæ modum excesserint. Ad parentum dominorumque rationem rediguntur carceres monastici, disciplinæ seruandæ, & leuibus excelsibus puniendis permissi. nam grauiorum scelerum vindicta censuræ, iurisdictionique Ordinariorum reseruatur.

12. *Fauor ædificiorum.* Vt ædificio vrbium honestaretur aspectus, in Romana Repub. ædilium officia fuerunt, quibus ædium priuatarum & sacrarum cura demandabatur, nec non viarum vrbis, vt planæ, mundæ, tutæ essent. *l. vn. D. de via pub. & si quid in ea fact. esse dic.* quare si quà vulgo iter fit, animal nocens habeatur, competit ædilitia actio, *l. hi enim cum seq. D. de ædil. edict.*

Et Curatores operum, & Comites formarum, riparum, & aluei Tyberis, & procurationes vrbicæ in iure nostro leguntur. sed & tribunus rerum nitentium: cuius erat solicitudo, vt ædes sacræ, basilicæ, fora, balnea, circi, theatra, amphitheatra, viæ, bibliothecæ, campi, omnia denique loca publica nullis sordibus vitiarentur, tantum erat veteribus munditiei, nitoribusque studium.

Sed & ita Iustinianus *in mandatis Principum Auth. eo. tit. §. sed etiam pro vbertate necessariorum, & operum ciuitatum diligentiam habebis, procurans ex ciuilibus pecuniis partes quæ valde necessariæ sunt operum facere, & pontium similiter, & viarum & portuum, in quibus omnino sunt locis Prouinciæ, cui præsides, portuumque & murorum curam habebis, & quidquid omnino est & ciuitatibus vtile, & cogitabis, & facies, & nuntiabis, &c.*

12. *Vetus forma, interualla, prospectus.* Hoc itidem constitutum est, vt qui ædificaturus est, veterem & consuetam formam ædificiorum non possit excedere, & vicino lumen, prospectumue auferre, *l. penult. Græc. C. de ædificiis priuat.* & Constantinopoli quidem duodecim pedum spatium inter proprias & vicini ædes relinqui oportebat, *l. vlt. C. eod.* quod inde porrectum est

Murorum etiam ciuitatis & arcium non est cura negligenda, tum ob decorum, tum ob munimentum. nam si ædificia priuata ob aspectum publicum domini reparare etiam inuiti cogantur: multo magis muri vrbium & arcium, turres, & propugnacula. si quidem ad ritum priscum structa sint venerandæ antiquitatis gratiâ, si ad hodiernum, defensionis & securitatis causâ. muratas enim vrbes atque arces Regnorum Prouinciarumq; præsidia non semel rebus deploratis extremam salutem attulisse non est quod multis exequamur, relinquimus eam contentionem aliis, qui longè lateq; discutiunt, expediátne muratas vrbes & arces habere, an solo virorũ fortium robore niti. Tholos. *de rep. c.* 3. 5. Consen. *Polit. l.* 8. *c.* 23. 22. 4. *Muri ciuitatũ.*

Sanè vt antiquas historias nihil attingamus, sed Belgium tantum, quod per annos nunc septuaginta bello iactatur pluspquam ciuili, in quod contra Hispaniæ Regem iuuandis Ordinibus vnitis vires, viros & belli neruos contulerunt omnes ferè Europæi Principes & Resp. præter Austriacos, vbi tot nunc annis tantâ impensâ, tanto incolarum, aduenarum, militum, ciuiumque sanguine militia discitur, & docetur: quasi in amphitheatro hodiernæ Belgicæ artis & disciplinæ. hoc inquam bellum in tantam moram protrahitur, præter reliquas causas, maximè ob infinitum numerum muratarum ciuitatum, oppidorum, municipiorum, arcium, castellorum, præsertim ad fines, limites, aditusque Prouinciarum sitorum (quos & flumina frequentissima vndique intersecant, cingunt, tuentur & paludes non paucæ) atque ad eos limites quos hoc bellum inter partes posuit. 5. *Arces & muratæ vrbes an Reip. expediant?*

Exactum est ab induciis sexennium, sudatũ & ad Bergizomam, vbi & Belgicus, & alter Palatinatus, & tertius magnæ partis Germaniæ victor exercitus cursum sisti victoriarum indoluit. Denique ad Bredam quantum temporis insumptum est bello, quod Hugo descripsit, tam operoso, vt labores Herculis comparari possint: tam sumptuoso, vt expensas exacti nummularij difficulter supputent. His inquam vicibus ad Bergizomam & Bredam luctando sexennium absumptum est, tot antè anni ad munita oppida alia, atque arces, post quæ an. 1629. successit clades Siluæ-ducensis. Non inficior Alexandrum Asiæ imperium vno cum Dario prælio rapuisse, Iustin. *l.* 11. ad quod illud monentis apud Curtium, *l.* 4. *Et bello vicerimus, si vincimus prælio.* Scio post conflictum cum Persio *omnẽ ferè Macedoniã infra biduum deditã*, Liu. *l.* 44. *Antium paucos dies circumsessum deditũ, nullâ oppugnantiũ nouâ vi, sed quod iam inde ab infelici pugna castrisq; amissis ceciderant animi.* Liu. *l.* 2. & quæ alia adducit Marnixius *in resol. polit.*

sect. 8. *c.* 6. vbi contendit euincere eum, qui superior acie agnoscitur, facilè vrbes superare. sed & *ref.* 7. vrbem vnam præcipuam amissam suo motu percellere cæteras, vt collabantur. sed id asserо, vt natura fluuios, maria, montes, syluas, paludes muniendis Prouinciis dedit, ita & industriam castella, muros, munimentaq; locorum sexcenta, quibus sistatur fortunæ cursus, si aduersari cœperit. vt ne vnus dies destruere imperium possit, vt arma, vires, per moram reparari, & si cadendum sit, honestis conditionibus fieri queat. Ipsi Romani nullibi confidebant, nisi castris, vallis, munitionibus structis, ne vnam noctem. *vt alibi dicimus.*

6. *Fora iudicialia.*

Fora etiam tum iudiciis exercendis, tum rebus venalibus opportunis locis statuenda sunt, tum Conciliis vrbicis, & prouincialibus idonea, fora iudicialia pro causarum & Iudicum dignitate, sellæ, subsellia, vel tribunalia publica saltem, atque aperta, dum causa noscitur, & iudicatur. nam sententiam in secreto latam statuit irritam lex, *cum sentent. 6. C. de senten. & interloc.* Forum muricibus sterni quidam non malè optarunt, ne temere in illud litigantes prosiliant, sed necessitate dumtaxat compulsi, & qui desiderent mox expediri. Addendum & aliud votum, ne quæ circa miseros Harpyæ versentur: de quibus Cato, *fures priuatorum furtorum in neruo atque compedibus ætatem agere, fures publicos in auro atque purpura.* Gellius *l.* 11. *c.* 18. aduigilent Iudices atque Magistratus, vt à foro suo absint, sed ij magis reperiantur, quos Leo & Anthemius aiunt non minùs prouidere humano generi, quàm eos qui præliis & vulneribus patriam, parentesque tuentur, multis priuilegiis digni donatique. *l.* 5. *& seq. C. de aduoc. diuers. iudic. & tit. sequent. l. aduoc. C. d. tit. C. de aduoc. diuers. iudic. l.* 4. *l. cum aduoc. C. eod.*

7. *Rerum venalium.*

Locum foro idoneum exigit Arist. *l.* 7 *polit. c.* 12. excellentem, ac liberum ab omni mercatura. quo neque opifices, neque agricolæ, neque alij tales vlli appropinquent, nisi à Magistratibus vocentur.

Venalium etiam rerum omnium fora pro faciliori commercio separanda sunt, monente Aristotele *ibidem*, vt alibi oues, sues, boues, alibi carnes, alibi panis veneant. vt & faciliùs quorum ea cura est inspicere possint, vt omnia fide bonâ, & iusto pretio emantur. *l. vnic. § cura carnis. D. de offic præfec. vrb. l. fin. D. ad l. Iul. de annon. l. vnic. D. de nundi. & tit. de ædil. edict.*

Athenis agoranomi duo hæc præcipuè curabant, vt omnia in foro compositè citraque tumultum agerentur, deinde vt abstinerent à mendaciis non vendentes modò, sed etiam ementes.

Por-

est ad Prouincias, quamuis legibus duodecim tabularum suffecerit interuallum duorum pedum & dimidij, Isidorus *l.* 15. *Æthymo. c. vlt.* sed & amplius, ne cui gratissimus in mare prospectus in directam tolleretur, centum pedum spatium exigebatur. *Nouel.* 63. *de noui operis nuntiat.* quod deinde & in obliquo prospectu maris placuit. *Neuel.* 165. quod Hermenopolus paritate rationis ad prospectum montium porrexit. *l.* 2. *epitom. iuris ciuilis, c.* 4.

14. *Aquæductus, & circa eos plantatio.*

Vetitum etiam fuit dextra, læuaque per pedes quindecim prope aquæductus ne arbores plantarentur. *l.* 1. *C. de aquæduc.* scilicet ne quid eis noceatur. cuius rei tanta fuit cura, vt ab extraordinariis oneribus essent ij immunes, per quorum fines formarum meatus transirent. nedum ad aliud superindictæ rei onus attinerentur, aquæductus sordibus repleti non mundarentur. Id quod si negligerent, amissione possessionum mulctabantur. *l. aquarum. C. de aquæduct. l.* 11.

15. *Cloacæ aluei.*

Cloacarum etiam ratio insigniter habita fuit. nam *cælum pestilens & ruinas*, inquit Vlpian. *in l.* 1. §. 1. *D. de cloac. minantur immunditiæ cloacarum, nisi mundentur.*

Sed & aluei & riparum Tyberis inuentus est curator ab Augusto. quo diligentiùs quod singulis commissum erat, curaretur. seu vt Tranquillus notat *c.* 43. *quo plures*, inquit, *partem administrandæ reipub. caperent noua officia excogitauit.* & singulos diuersis curis distraxit, ne otiosi in nouo imperio commune negotium facescerent. de horum aliquo officio accipitur quod Vlpian. ait Saluianum beneficio Principis vrbicam procurationem adeptum.

16. *Prætoria à Præsidibus habitanda.*

Quin imò nulli Iudicum, qui Prouincias regunt, in ciuitatibus in quibus sacra palatia aut prætoria sunt, (ea autem dicebantur in quibus publicè ius dicere, atque habitare solebant Præsides, *Nouel.* 24. *in prin.* vt etiam Leo vocat, *in l. omnes* §. 1. *C. de episc. & cler.*) licet his relictis, priuatorum sibi domos ad habitandum, veluti prætoria vindicare: sed sacratissima modis omnibus inhabitare palatia, seu prætoria cogantur, vt hac necessitate compellantur eorum reparationi prouidere, *l.* 14. *de Off. rectoris Prouinc.* quin imò si ad priuatos diuertissent domos, eæ publicabantur. *l.* 4. *C. Theod. eod. tit.*

17. *Vrbes lustrandæ.*

Mandatum quoque Præsidibus fuit vrbes lustrare, *Nouel. de prætor. Nouel. de Præt. Paphlag.* & ædes sacras, & opera circuire, inspiciendi gratiâ, an sarta tecta quæque sint, vel aliquâ refectione indigeant, & si qua cœpta sint, vt consummentur; prout vires eius Reipub. permittunt. curatoresq; operum diligentes solemniter proponere. *l.* 7. *de off. Proconsulis.* Castrorum etiam refectionis lustrationis-

tionisque curam habere. *leg.* 4. *de offic. Iud milit.*

18. *Ædes etiã priuata restaurari iubendæ.*

Cura hæc, vt diximus, non publicas tantùm ædes, sed & priuatas complectitur; quare Præses Prouinciæ inspectis ædificiis, dominos eorum causâ cognitâ, reficere ea compellit, & aduersus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium fert. *l.* 7. *de offic. Præsid.*

Quare rectè Magistratus Bredanus ante non ita multos annos cum fortuito incendio pars vrbis conflagrasset, vetuit ędificia refici, nisi parietes lapide, tecta tegulis seu scandiis munirętur. & cauendo in futurum periculo, iussit intra annum straminea omnia tecta nudari tegulasque itidem vel scandia surrogari. vnde nihil mirum si in tantis deliciis à suis Principibus habita fuerit, & potentissimi Hispaniarum Regis arma, iramque Europæorum Regum, Principum, atque Rerumpub. & contentionem prouocauerit. Sic & ante annos plus centum Magistratus noster vetuit, nisi ex lapide domos vllas ædificari, vel instaurari. Vnde euasit in eam formam Antuerpia, vt merito iustus rerum extimator Lipsius ocellum eam vrbium appellârit.

Sed & insuper per leges priuatis prospectum est, adeò vt prætor, nec in loco quidem publico fieri quidpiam permiserit, quod priuatis possit incommodare. *D. nequid in loc. public.* publici enim vsus quæ sunt, omnibus æquè ad vtendum & prohibendum communicantur iure communi ciuitatis. *Loca publica*, inquit, *l.* 1. *D. nequid in loc. public. priuatorum vsibus deseruiunt iure ciuitatis* (nota) *& tantùm iuris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum.* Vnde & sequitur, quod eadem lex infert, quòd damnum pati videatur, qui commodum amittit, quod ex publico consequebatur quale quale sit. proinde si cui prospectus, si cui aditus fit deterior, aut angustior, interdicto locus est.

Vnde *l.* 1. *C. de seruit.* cùm veterem formam mutari, luminibus offici vetat, consuetudinem in hisce vice esse seruitutis declarat. & *l.* 3. *C. de ædificiis priuatis.* si facies prior mutatur in ædificando, Magistratuum & vicinorum consensu opus esse. Item quæ in oppido frequenter in eodem genere controuersiarum seruata sunt, Iudicem causâ cognitâ statuere. *d. l.* 3. *C. de ædif. priuat.*

Inter ea autem quæ publicam & priuatam considerationem continent, nihil magis seriò ac sæpiùs leges inculcant, quã ne vetus forma ædificiorum mutetur, ne lumen, ne prospectus vicini auferatur. Vnde *l. penult. C. de ædif. priuat.* quæ est constitutio Græca, quam interpretatur Contius, quam nõ localem pro Constantinopoli, sed

vni-

vniuersalem esse Iustin. *in l. vlt.* declarat, *qui proprias*, inquit, *domos renouare volunt, veterem formam nullatenus excedant, vt nec hi qui nouas ædificant, lumen aut prospectus auferant.* quod neruosè & verbosè prosequitur eadem Constitutio. cuius intentioni plenius explendæ Iustin. duas Nouellas edidit, 63. videlicet & 165. de prospectu non impediendo. adeo quidem, vt *l. 5. C. de oper. publ.* decernat diruenda ædificia in publico, quamuis ex rescripto Principis, ædificata, si fuerint contra ornatum & commodum, & decoram faciem ciuitatis. *& l. 13. eod.* si spatia platearum angustent.

Ex qua *lege* 5. & illud conficitur, permissum Principis in publico ædificandi, si is simpliciter impetratus fuerit, non sic accipi posse, vt cum incommodo alicuius quicquam fiat, neque solere Principem aliter permittere. *l. 2. §. merito. §. si quis à Principe. D. nequid in loc. public.*

Et exceptionem factam *in d. §. si quis à Principe nisi fortè quis hoc impetrauerit.* ita accipiendam esse, vt possit Princeps summâ & supremâ potestate concedere, vt cum incommodo alicuius in publico ædificetur, sed insolitam esse eam concessionem, & simpliciter factam non eò extendendam, & ex rescripto simplici ædificatum *iuxta l. 5.* destruendum; at demum ex summa potestate cùm sufficienter informatus est, posse quidem, sed tamen ex causa publica, in gratiam Reipub. non priuatum fauorem. bonus enim Princeps imperio vti non solet, cùm legibus locus esse potest, neque plenitudine potestatis, quâ non id tantùm quod cuilibet competit ex publico, sed priuata etiam bona auferre potest, si ineuitabilis necessitas, aut summa causa ita exegerit. Ad quam rationem Mercurius Italicus *Ioannis Henrici à Pflaumern in descriptione vrbis Senensis nu. 7.* ædes vltra cæteras in forum procurrentes ab architecti culpa aut temporum iniuria vindicat, quod Ioannes Vgurgerius Reip. inopiâ pecuniæ laboranti bina plaustra auro onusta miserit, hocque facto consecutus sit, vt ædes quas circa forum exstructurus erat, proferre vltra definitum spatium, eaque nota conspicuas præ aliis reddere liceret. duobus ergò auri plaustris ea deformitas redempta est in magna Reipub. inopia: publica ergo causa, & magna, & ad exemplum vtilis fuit.

Principes sanè Magistratusque & exemplo prouocare subditos ad ædificanda speciosa ædificia decet. exemplo quidem; vt ipsi palatia, prætoria, arces, castra, ædes, alias fiscales & publicas ædificent, instauréntue dignitati pares. apud populos quidem qui splendore & magnificentiâ sub obedientia Regia duci atque retineri debeant: 19. *Principes exemplo, subsidioq; ædificaturos inuitēt.*

in-

infra maiestatem paulò apud eos, quibus eminens excessus inuidiam, familiaritas reuerentiam, & amorem, firmissima obedientiæ signacula pariunt. Beneficio autem: vt sicut restaurationi mœnium aliorumque operum publicorum tertia portio eius Canonis, qui ex locis fundisue annuâ præstatione confertur, impenditur: *l. restaurat. C. de diuers. præd. vrb. lib.* 11. Ita quoque priuatis ædificium, quo publicus aspectus decoretur, exstructuris, in id opus, præsertim si nobile frontispicium habebit, ex ærario publico liberale subsidium detur.

Commendat ergò meritò Regibus *in institut. l.* 3. *c.* 10. Mariana, aliique alibi, ædificandi studium, atque opera Principibus digna extruendi. admitto tamen leges sumptuarias, quas Cons. *polit. lib.* 8. *c.* 14. §. 8. *& seq.* sed rarò, eò videlicet casu, quo Regia palatia superant, æquant, vel iustum interuallum inter Regem & subditum ædificia non seruant. vt theatrum Scauri. de quo Plin. *lib.* 36. *c.* 15. & per quæ illustres familiæ vel intereant, vel ita depauperentur, vt sibi deinceps non sufficiant, vel Reipub. necessitati. in quam feuda olim, & magnæ opes nobilibus datæ sunt. denique priuatos vitare velim censuram Plinij *lib.* 36. *c* 1. *Cædimus*, inquit, *montes, trahimusq́, nullâ aliâ quam deliciarum causâ, quos transcendisse quoque mirum fuit. In portento prope maiores habuere Alpeis ab Annibale exuperatas, & postea à Cymbris: nunc ipsæ cæduntur in mille genera marmorum, promontoria aperiuntur, maris & rerum natura agitur in planum, euehimus ea, quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant: nauesque marmorum causa fiunt, ac per fluctus sæuissimam rerum naturæ partem huc illucque portantur iuga montium.*

20. *Citra nimium luxum.*

Sed luxum suum sæpè Roma punitum vidit. toties legimus intensa, collapsaque templa, Capitolium, sepulchra, theatra, & Sabinum à Vitellianis in Capitolio oppugnatum, *reuulsas vndique statuas, decora maiorum in ipso aditu vice muri obiecisse*: sed multò maximè integra luit, quando intra paucos annos toties capta, direptaque fuit; ab Alarico, Genserico, Odoacre, Theodorico, Belisario, Attila, & altero sæculo à Burbonio.

Enim-verò in Religionibus Mendicantibus etiam hodie viri quidam non minùs pij, quàm politici, seruandam putant constitutionem Clementis V. & Concilij Viennensis de ædificiis conuentualibus paupertati & mendicitati consonis, atque ita vt cathedralibus, collegiatis, abbatialibus, cæterisque id genus Ecclesiis etiam quoad templorum splendorem suus ordo constet ædificandis, in hæc verba statuentem: *Conuenit ipsis quòd nullo modo deinceps fieri faciant,*

21. *Quæ in ordinibus etiam mendicantibus ius petat.*

vel

vel fieri sustineant, Ecclesias vel alia quæcumque ædificia, quæ (considerato fratrum inhabitantium numero) excessiua in multitudine, & magnitudine debeant reputari. Ideoque volumus quòd vbique in suo ordine deinceps temperatis & humilibus ædificijs sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ, quod patet oculis, contrarium foris clamet, quamuis etiam paramenta & vasa Ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus, tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum: nec per illas sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni & statui dissonarent. Propter quod sufficere debent ijs vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero & in magnitudine sufficientia competenter; superfluitas autem aut nimia pretiositas, vel quæcumque curiositas, in his seu alijs quibuscumque non potest ipsorum professioni vel statui conuenire: cùm enim hæc sapiant thesaurizationem seu copiam, paupertati quoad humanum iudicium derogant manifestè.

Quamquam, inquam, hæc ita olim decreta fuerint, tamen mores hodie, & tempora quorumdam alia iudicia ferunt, videmusque templa domosque mendicitatem professas antiqua Ecclesiarum decora supergredi. Qua in re nec ego Consenij censuram interponam. id de publico tantùm dicam, vrbium aspectum per eiusmodi ædificia honestari, populi dignitatem augeri, priuatis per operas, mercimoniaque istæc nostratia præsertim, vbi vilium mechanicarum personarum copiosus est numerus, Reipublicæ eas molitiones vtiles esse, dum suppeditatur quod hi laborent, illi vendant; vtrique victitent, augeanturque: Respublica otiosorum periculis careat. 22. *Sed mores apud aliquos & publicum decorum laxat.*

CAPVT XXIII.

Monita Miscellanea.

MAgistratus, vt *libro primo, capite primo* strictim diximus, & perquàm amplissimè tradidit NOTITIA Dignitatum vtriusque Imperij: & quàm bellissimè explicuit G. Pancirolij Commentarium non literis tantùm, sed figuris etiam atque imaginibus; in vtraque Roma varij admodum, alij atque alij sub Regibus, Consulibus, atque Imperatoribus fuerunt, alia 1. *Varij olim Magistratus.*

atque alia officia, atque nomina. In orbe Romano ad formam vrbis pleraque directa fuerunt. *qui nobis*, inquit Iustinianus *Nouell. de Decur. 38. in princ. olim constituerunt Rempublicam, hi ex vsu fore rati sunt, si ad imitationem regiæ vrbis per singula municipia nobiliores congregarent, & formam quandam senatoriæ curiæ constituerent, per quam & publica tractarentur, & omnia rectè fierent atque ordine.* In Prouincijs Præses omnium Romæ Magistratuum officia subibat. *leg. 7. §. vlt. l. 8. de offic. Proconsul.* Post inuersum sæpiùs, atque euersum imperium Romanum alia vbique vita alios mores postulauit, aliæ vbique Rerumpublicarum formæ inductæ, officia, & potestates. In ipsa Roma retentis Magistratuum nominibus sæpiùs prout mutationes intendebantur, vnis vis addita, alteris adempta est: noui instituti ad veteres minuendos. Reliquum id est hodiernis temporibus, vt non ignoremus quidem Magistratuum veterum historiam, tum aulicorum, tum eorum qui apud Principem erant, tum qui Prouincias gubernabant, tum qui vrbes & municipia. quos compendiosè cum officijs describit Gudelinus *in comment. iur. nouiss. lib. 5. cap. quarto, quinto, sexto, & septimo.* sed maximè ad ea attendamus, quæ à singulis leges exigunt: seu quo ad iustitiam populo per iudicia administrandam, seu securitatem populi armis defendendam, seu quæcumque ad vsum vitæ populo necessaria abundè habenda. ad quæ tria capita omnium officiorum cura, potestasque Iudicum referri potest.

2. *Nunc attendendum quid facere eos oportuerit.*

Summam officiorum hanc facit Gudelinus *dict. capit. sexagesimo septimo*, vt Iudices humaniter erga subditos se gererent, vt vindices forent criminum, executoresque legum; vt controuersias omnes subditorum dirimerent, vel sopirent, ne Principem sæpè interpellari necesse esset, ac vt minimè vterentur vicarijs, sed cuncta ipsimet obseruarent; vt curarent affluentem rerum copiam esse in vrbibus, ne quid ciuibus deficeret; vt inspicerent pontes, muros, itinera publica, aquæ-ductus, & reliqua opera ciuitatum, curarentque ea instaurari; ne permitterent quemquam sua signa imponere rebus ab alio possessis; vt denique puris manibus essent, abstinerentque ab omni concussione, & munerum acceptione, publicis stipendijs contenti.

3. *Eius rei summa.*

In ingressu vt nihil darẽt vel promitterẽt cuiquã pro adeptione suę dignitatis, vt iusiurãdũ pręstarẽt de Catholicâ Religione, de obsequẽ-

do

do Principi, rectéque administrando officio, de nulla pecunia data vel promissa ad officium obtinendum; denique nulla accipienda â subditis, & tributorum illatione iustè procuranda, de defendendis subditis, eorumq; controuersijs ex æquitate dirimendis, de vindicādis flagitijs, de tuēda publica disciplina, de ministris deniq; bonis assumendis, vt cautionē præstaret tributorū nomine saltem nuda repromissione, quę si foret omissa, pro pręstita haberetur, ne diu hęrerent in itinere otiosi, ne antequā fines Prouinciæ ingrederentur, vlla edicta mitterent, sed biduò tantùm ante scriberent decessori suo vt sibi cohortem obuiam mitteret, curarent quietam esse Rempublicam, omnes tumultus prohiberent, ius ex legibus & æquitate dicerent, omnium querelas audirent, cunctas lites breuiter expedirent, bonos colerent, malos & nocentes pœnis prosequerentur, haberent rationem tributorum, nihil à priuatis acciperent, contenti annonis quas de publico haberent, ne quemquam opprimerent, vt iussiones omnes Principis adimplerent, etiam tempore decessoris sui factas, vt in rebus gerendis minimè vicarijs vterentur, ne Prouincias desererent, quàm diu administratio ipsorum duraret: quin etiam & aduentum sui successoris expectarent, vt depositâ administratione quinquaginta dies in Prouincia permanerent: obseruarent ne etiam noctu delinquereretur, ne incendium oriretur, in incendiarios, fures, effractores, adulteros, alios extra ordinem fustibus & flagellis, alios extremo etiam supplicio animaduerterent, expellerent ex vrbe inertes, atque errones, inquirerent de peregrinis, curarent vt coloni ad agriculturam, serui ad dominos, cæteri omnes ad suam habitationem, suumque opus redirent, ne quis prætextu litis diutiùs in vrbe hæreret: expellerent validos mendicantes, & otiosos, vel eos ad opera compellerent, de concussionibus & nimijs exactionibus inquirerent, nulla munera acciperent, pecuniarum tam ex mulctis quàm aliunde acceptarum aut expensarum tabulas conficerent, viæ planæ, mundæ, tutæ vt essent curarent. Non sunt, vt dixi, eadem hodiè Iudicum nomina, non officiorum distributio, quisque diligentiam suam in ijs functionibus vt præstet oportet, quas hodiernus vsus officio suo proprias fecit. quæ nostratium ferè sunt, alibi diximus, & egregiè proponit Gudelin. *d. c. 6. 7. sub fin.* præter suprema Principum, & Prouincialia Concilia, Rationalium Supremorum, & Prouincialium Conuentus militares, Potestates & Auditores.

Magistratuū enixa cura esse debet, vt sint orphanotrophi, qui parentibus atq; substātijs destitutos minores sustentēt; brephotrophi, qui alumni sunt infantiū; ptochotrophi, qui pauperū & mendicorū;

Xenodochi qui aduenas, ægrotos, inopes, debiles, inualidos hospitio excipiant: nosocomi & gerontocomi, quibus curæ sint valetudinarij, & senes, & vt maiorum opes in has causas olim collatæ omnino secundùm extremæ voluntatis stylum impendantur, neq; quocumque citra supremum Pontificis arbitrium diuertatur, Clem. *quia contingit de relig. dom.* Trid. *s.7. c.15.* vt sit cura captiuorum domi alendorum, foris redimendorum, expositorum infantium, ne alij quàm Christiani, orthodoxi ad Reipubl. curam, vel administrationem, vel iuuenum institutionem admittantur, hæretici coërceantur, relegentur, præsertim qui lotum reuocant ad fontem, iterant quod semel est, aut duplicant quod vnum est, qui à religione desciscunt puniantur, signum crucis humi non sculpatur, cæteræ fidei tesseræ reuerenter habeantur, Iudæi obseruentur, ne Christianum mancipium possideant, aut circumcidant, pagana sacrificia ne fiant, qui ad Ecclesiam confugiunt loci reuerentiâ defendantur, *C. l.1.t.3. vsque* 13. si contra ius vel vtilitatem publicam quid fuerit impetratum, à Iudicibus non recipiatur 14. 22. ne matresfamilias domo extrahantur in forũ, ne Iudices confundant inuicem dignitatum gradus. *tit.*48. ne commercia illicita exerceantur. *tit.*52. Iudices ne illicitè contrahant. *tit.* 53. modum mulctæ ne excedant. *tit.*54.

4. *Facili accessu Iudex sit.* Iudex ita omnibus accessum ad se facilem det, vt omnium desideria audiantur, ne fortè dum aliquid honori postulantium datur, vel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferant. *leg.* 9. *de offic. Proconſ. Cognoscant omnes*, inquit Iustin. *quia & maximorum, & mediocrium, & paruulorum nobis cura est: & nihil est tale, quod à nostra solicitudine remoueamus. In Auth. de defens. in fin.* etiam serui audiri debent, si verecundè expostulent, si sæuitiam, si duritiam, si famem, quâ eos domini premant, si obscœnitatem, in quam eos compulerint, vel compellant, exponunt. Hoc enim ad officium eorum pertinet, vt mancipia tueantur, ne prostituantur. *l.1. de offic. præf. vrb.*

5. *Aduocatos pupillu, & pauperibus det.* Vnde & Aduocatos quoque petentibus debebit indulgere, plerumque fœminis, vel pupillis, vel aliâs debilibus, vel eis, qui suæ mentis non sunt, si quis eis petat, vel si nemo sit qui petat, vltrò eis dare debebit.

6. *Puras manus seruet.* Primùm caput *in Authent. de mandat. Princip.* est; vt Iudices puras Deo & Principi seruent manus, nullum lucrum contingant, nec captiosum aliquid contra subiectos faciant, contenti sint stipendijs fiscalibus. & *Authent. de Iud. c.7.* vt nullus præsumat transcendere, quæ in sportulis aut litis expensis dispo-

disposita sunt, vt neque ab eis aliquid peccetur, neque prodatur, neque malignè agatur.

Ad hæc oportet Ecclesiæ reuerens sit, & priuilegia seruet, & in primis vt omnes Ecclesiæ à sordidis muneribus habeant immunitatem, & quamcumque iura aut mores patrij concesserunt, nequaquam imminuat. Parochialibus Ecclesijs faueat, in ijsque diuina audiat. matrices hæ sunt, & directa linea attinent: cæteræ laterales consanguineæ. Illis cuiusque cura demandata est, siue prospera gaudeant siue aduersa fortuna conflictentur. hæ copiæ sunt auxiliares. hinc & Iustin. *in Auth. de Eccl. tit. §. si quis.* mandat, vt legatum Deo relictum, Ecclesiæ deputetur, vbi testator domicilium habet. 7. *Ecclesiam reuereatur.*

Decorum semper Iudex seruet, comparato respectu sui, eorumque quibuscum agendum est. Admonuit *apud Tacitum* Tiberius *l. 3. non eadem esse decora Principibus viris, & Imperatori, populoque, & modicis domibus aut ciuitatibus.* Vnde & illud Alexandri *apud Curtium, Et ego id agerem, si essem Parmenio.* & Electræ: *Adora tu illos, meos id mores dedecet.* Themistoclis amico inter cæsos hostes aureas armillas ostendentis, *Tolle tu hæc, qui non es Themistocles.* 8. *Decorum seruet.*

Etiam in aduersa fortuna sui ne obliuiscatur. ita Marobodius Tiberio scripsit, *non vt profugus, aut supplex, sed ex memoria præteritæ fortunæ.* Tacit. *l.* 2. & Mithridates *apud Eunonem prece haud degenere,* agit: Tac. *l.* 12. & Vitellius tribuno insultanti respondit; *Se tamen Imperatorẽ eius fuisse,* Tac. 19. & irascitur Paulus Persio nimis ad genua abiecto: *Quid miser maximo crimine liberas fortunã, quid ostendis te indignũ pop. Rom. hostẽ fuisse, quid meos labores minuis, meãq; fortunã cõmaculas?* Pluta. *in Æmil.*

Non se ingerat pluribus quàm opus sit officiis. Corbulo, cum Parthicum bellum ei esset commissum, ad Neronem scripsit, *proprio Duce opus esse, qui Armeniã defenderet,* Tac. *l.* 15. cur ita? secundis rebus moderandam fortunam ratus cùm ipse ei posset se immiscere. sic Moyses: *Nõ possum sic sustinere hunc populũ, quia grauis est mihi. Num. c.* 10. 9. *Non se pluribus ingerat.*

Caueat contradictionis studio aliorum consilia excutere. caueat etiam ab ea existimatione. nam nec tunc cùm rectè, prudenterque consulet, ei credetur. inde *apud Tac. l.* 14. Caius Cassius, *simul quicquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, vt maneret integrum, si quando Resp. consilijs eguisset.* 10. *Caueat studium contradictionis.*

Vt de tempore, ita dignitate prioribus rectè loquendũ est. de Deo & Sanctis religiosè, de Principibus reuerenter, de Magistratibus obsequiosè. degeneris animi index maledicentia. quãuis enim magni ingenij sit, vt Princeps maledicta, senatores conuitia, & quilibet cordati probra contẽnant, eoq; magis, quo culpa vacant; manet tamen impudentia criminis, nec ideo est minor, nec magis tolerãda. Dauid viuus contempsit maledicta Semei, & palatinos percutere volentes 11. *Maledicentiam.*

retraxit, moriturus tamen vindictam filio mandauit. Vespasianus decreuit illicitum esse maledicere senatori. Sueton. *in Vespas.* Concilium Carthag. 4. *c. cler. maled.* 46. graui pœna linguæ petulantiam coërcuit. quod & placuit Aristoteli *polit. l.* 5. *c.* 11. seruarunt plures Principes, & Magistratus. Borel. *de Magist. edict. l.* 3. *c.* 3. imminuit enim Majestatem Principum, Magistratuum dignitatem simul, & auctoritatem. eoque magis, quo maledicus gradu altior. quare Claudius Cæsar dicere erat solitus, *non ita de pulice sicut de fera sumendam esse vindictam.* non ita ergò de eo qui potus ad arma prosiliit scurrarum, plura etiam dicturus nisi vinum defecisset: ac de eo qui sciens prudens est conuitiatus. nõ ita de eo, qui iracundiæ calore & linguæ præcipitio lapsus est, quàm de eo qui nocturnâ vigiliâ crimen meditatus est, & in lucem proiecit. vt Nicolaus Francus vir non indoctus ob maledicos in Pium V. versus in laqueum actus est.

12. *Gratus sit.* Erga benè meritos Remp. & Principes oportet gratos esse. prouocat gratitudo virtutem; ingratitudo moratur, *Non est,* inquit Seneca *de benef. quod tardiores facit ad bene merendum turbâ ingratorum. nam primùm, vt dixi, nos illam augemus, deinde ne deos quidem immortales ab hac infusa dignitate sacrilegi negligentesque eorum deterrent. Vtuntur natura sua & cuncta interâ, illa ipsos munerum suorum malos interpretes iuuant. hos sequamur duces.*

13. *Liberalis.* Liberalitatem in Principibus & Rebusp. sine profusione maximè constat, & amicos hostesque in gratiam pellicere. tum porrò maximè liberales esse conuenit, cùm sua suorumque virtute hostilia loca subegerunt, quando non præda modò militibus, sed & partem victoriæ Ducibus & magna meritis erogare, & quasi partiri conuenit: vicos, castella, ciuitates, territoria, in feudum dare. quò & remunerationem sentiant, & postmodum arctiori clientelâ obstringantur, præsertim nobili genere orti. vt de Vespasiano Sueton. *in omne genus hominum liberalissimus, expleuit censum senatorium, Consulares inopes quingentis sestertiis annuis sustentauit, plures per totum orbem ciuitates terræ motu aut incendio afflictas restituit.*

14. *Titulis populum non irritet.* Titulis populum non irritet, præsertim nouis, inusitatis, atque odiosis. quo consilio Augustus cùm Aegyptus primùm sub Regibus esse desijt, nouitate fascium & securium, eum populum perterrefacere noluit. Nec adulatorum ijs compellantiũ voces admittat. vt Scipio Africanus à militibus Hispanis Rex salutatus; sibi maximũ nomen Imperatoris (hoc tum nomine erant exercituũ Duces) esse respondit: Regum nomen alibi magnum, Romæ intolerandũ esse. Si quid in hominis ingenio amplissimũ ducerent tacitè iudicarent

rent, vocis vsurpatione abstinerent. Liu. *l.* 27. sic Augustus *cuncta discordijs ciuilibus fessa, nomine Principis sub imperiũ accepit, laudibus elatus quòd non regio vel dictatorio, sed Principis nomine Remp. ordinasset*, Tacit. *l.* 1. reliquisseque *eadem Magistratuum vocabula*, & *l.* 3. idem de tribunitia potestate; *id summi*, inquit, *fastigij vocabulum Augustus repetijt, ne Regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præëmineret.* & Nero initio imperij dicebat, *teneret antiqua munia Senatus, Consulum tribunalibus Italia, & publicæ Prouinciæ assisterent illi, patrum aditum præberent, se mandatis exercitibus consulturum pollicebatur, se negotiorum omnium Iudicem non fore, vt clausis vnam intra domum accusatoribus & reis paucorum potentia grassaretur: nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni peruium, discretam domum & Remp.* Rem scilicet affectabant, inania transmittebant. secus quàm Alexander quem iuuenili adhuc, & gloriæ æstu nimio exercitum Curt. *l.* 4 *præcipuè monisse*, ait, *quòd Darius sibi regis titulum, nec eumdem Alexandri nomini asscripserat.* Hodiè res negliguntur, in titulis hæretur, litteræ, legationes, manu, & aspectu arcentur, si quid titulis desit, quamuis non debitum, sed affectatum dumtaxat. & minor est controuersia inter Principes, & Respub. de ciuitatibus & Prouincijs integris victis, bello restituendis, quàm de titulis amittendis vel omittendis, qui post amissam possessionem per aliquot sæcula geruntur. Non ergò Iudex nominum aliquorum fastu animos ciuium alienos à se reddat; credat Euripidi hac in re, quàm maximè: qui affabilitatem lucrum minimo impendio quæsitum nuncupauit.

15. Odia sepanat.

Monitum seruet Tacit. *l.* 1. *priuata odia publicis vtilitatibus remittere.* sic Fabius Max. rogatus, vt memoriam simultatum quas exercebat cum Lucio Papirio patriæ remitteret; silentio obstinato Papirium Dictatorem designauit, & insignem dolorem ingenti compressit animo. Liuius *l.* 9. & Tiberius Gracchus cum causa Scipionum coram eo ageretur, omnesque asperrimam sententiam expectarent, Scipiones absoluit, professus inimicitias cum Scipionibus quæ fuissent manere, nec se gratiæ quærendæ quidquam fecisse. Liuius *l.* 4. Laudanda etiam vox Seruilij (idem *l.* 27.) *pluris se Remp. quàm collegarum gratiam æstimare.* & iterum Fabius *apud Liuium l.* 24. communi populi Romani ore laudatur, *quòd minoris inuidiam suam si qua ex re oriretur, quàm vtilitatem Reip. fecisset.* Iterum Liuius *lib.* 36. *ne suas quidem simultates pro Magistratu exercere boni exempli esse*, & *lib.* 42. *iniuria Consulis Romani & si iustam minimè tamen in Magistratu exercendam.* & callidus quamuis ille Princeps: *priuatas inimicitias non vi Principis vlciscar.* & illi similis Ludouic. XI. *non oportere Regem Franciæ vlcisci iniurias Ducis Aureliani.*

Odia ergò simultatesque priuatas publico incommodo non vindicabit, seponet. atque Remp. quasi eæ non essent capescet, sed neque inuidiam, odia, aut fabulas vulgi curabit, vt à Magistratu rectè gerendo auocetur, aut ad mala consilia impellatur. vt quidam aliquando non ignobiles Duces. *Neque enim*, inquit Liuius, *l.* 44. *omnes tam firmi & constantis animi contra aduersum rumorem esse possunt quàm Fabius fuit, qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm secunda fama malè rem gerere. Non ponebat enim rumores ante salutem.* firmet animum exemplo Saul. *l.* 1. *Reg.* c. 10. audientis filios Belial murmurantes, *Num saluare nos poterit iste?* dissimulantisq; se audire. L. Volum. ob simultatem cum Appio Claudio expertus est, *quam propè*, inquit Liuius *l.* 10. *ad vltimum discrimen nuper ventum foret.*

16. *Maturo & solerte consilio.*

Maturâ deliberatione cùm res moram fert; cùm minùs, solerti aliquo consilio vtatur. sic Cecinna fugientibus legionibus proiectus in limine portæ viam clausit, quia per corpus legati eundum erat. Tacit *l.* 1. & non absimile Plutarchus de Pompeio refert. Antonius primus raptum vexillum in hostes vertit. Tacit. *l.* 19. Cæsar signiferum fugientem inuertit, non illic hostes esse, sed contrariâ viâ in illos eundum monens. Agrippinæ suggestum imperatorium conscendere, & simul præsidere paranti Senecæ monitu Nero matri occurrit. *ita specie pietatis obuiam itum dedecori.* Tacit. *l.* 13. è contrario vituperatus Vitellius quòd omnis humani diuiniq́ue iuris expers, pari libertorum amicorumq́ue socordiâ velut inter temulentos agebat. Tacit. *l.* 18.

17. *Non vtatur imperio vbi lege agi potest.*

Sapienter etiam Tiberius censuit non vtendum imperio, vbi legibus agi possit. militaris executio violenter, & ferè hostilis esse videtur, & præter cætera incommoda plerumq́ue hæc inuoluit, vt vnus pro altero aut cum altero, cùm ad eum non spectet, luat. *Iubemùs*, inquit Iustin. *in Auth. vt nulli Iud. liceat. Prouinciarum Iudices omnia secundùm leges vindicare, & peccantes tenere, & non alios pro alijs, aut ex quibus nati sunt vicis, qui crimina præsumpserunt alium pro alio comprehendere, aut damnum eorum inferre vicis. sed neque pignorationes facere propter peccantem.* Quibus tamen etiam in ciuilibus negotijs locum hodie faciunt nonnullorum locorum consuetudines. non rectè. obsistente non tantùm lege *Nouel. vt non fiant pignorationes pro alijs personis*, &c. sed & iustissimâ legis ratione, sacris litteris firmatâ: *filius non portabit iniquitatem patris.* Sed iterum Iustin. *in Auth. vt Iud. sine suff. §. eas autem.* iubet Iudicibus deuotis paternè se exhibere, deinde subiectos reseruare vndiq́ue sine violentia, nihil ab vllo eorum percipientes, sed æqui sint in iudicijs, æqui in publicis disciplinis. exequentes quoque delicta, innoxios quidem vndiq́; custodientes

eos,

eos, qui puri sunt, reis autem pœnam imponentes, secundùm legem, & ita præsidentes collatoribus, tamquam patres filijs; diligentes quidem eos, qui sunt innocentes: qui verò rei monstrantur castigantes, aut punientes, omnemque iustitiam in publicis & priuatis documentis eis seruantes.

18. *Non militari executione.*

Numquam omnino in negotijs priuatorum, vel tuitio militaris, vel executio tribuatur. *l. 1. de off. milit. Iud.* sed per apparitores cuiusque. qui tamen olim numerosi erant, & pro districtus magnitudine plures, paucioresue. *l. apparitione. C. de apparit. Procon. l. 12. l. in off. de apparit. Com. Orien. l. 12. l. per Illyricum C. de cohortal. l. 12.* & suo nomine milites. *Adhibendi autem sunt,* inquit d. l. *per Illyricum ad huiusmodi ministeriorum obsequia non illi, qui vano militiæ nomine immania lucra sectentur, sed qui necessitatem officij solicitudinibus debitis exequantur.* Sed neque matremfamiliàs in publicum Iudex protrahi iubeat. *l. nemo. D. de off. diuers. Iud.*

19. *Loci seruatorem non constituat.*

Nulli quoque Iudici penitus conceditur neque ciuili neque militari, mittere per ciuitatem Prouinciæ, quibus præsidet, eos, qui vocantur loci seruatores *d. Auth. vt Iudices sine suffragio. & in Auth. vt nulli Iudicum liceat habere loci seruatorem, nisi certis ex causis diuina concesserit iussio.*

20. *Leges sumptuarias promoueat.*

Leges omnium rerum sumptuarias reducere, seu nouas condere, pro genio populi vtile non minùs est, tam priuatim, quàm publicè. dum neque exhauriuntur inutiliter domestica æraria, neque per paupertatem priuati stimulantur ad turbandam publicam tranquillitatem. & si qua publica incumbat necessitas, faciliùs feratur ab opulentis, quàm ijs quibus domestici sumptus nihil reliqui fecerunt ad publicas suppetias. conuiuiorum vestiumque luxus absumunt, quod Reip. debetur, aurata fræna, balthea, calcaria, thoraces intertextum vestibus aurum, argentumque. Regius olim cultus viles mechanicosque tamquam personatos circumfluit; & absumitur cum dedecore quod in monetam & publicas pecunias satis esset, & materia nummis subtrahitur, & infamia fraudibus æra subrogantur: lapillis, gemmisque vilia colla, & digiti cinguntur, quibus inuehendis diuitiæ Prouinciarum emittuntur. nec viuis satis est luxuriari, nisi etiam in funere, & exequijs inutilis pompa superbiat, nec leges *De impensis quas fieri oportuat in defunctorum funerationibus* morituri magis curant quàm viui. *Nouella de impensis, &c. Cœnam,* inquit Tranquil. *in Augusto cap. 74. ternis ferculis, aut cùm abundantissimè senis præbebat.* vt non nimio sumptu, ita summâ comitate: cui nunc gregario capiti hæc sufficiant, quæ Augusto? cui nunc ad sumptus funerum satis est summa, cuius excessum sæculo

vno

vno vix dum lapso Leo X. vetuit ipsis Cardinalibus ? quot hodiè sunt diuites epulones induti quotidie vetitâ purpurâ, & byssô! quot & interim Lazari, quibus micæ panis negentur, dum vlcera lingunt canes. velit Deus ne vt rem politicam hæc malè habent, ita eorum exequiæ nihil trahant ex funere epulonis!

21. *Collegiâq; artium.* Collegia omnium artium fouenda sunt. vt Alexander Imperator, *auctore Lampridio*, sicut omnium artium, ita & vinariorum corpus & collegium instituit, qui negotiationem vini in vrbem vehendi exercerent. addito, ne quid peccaretur, officio Rationalis vinorum. qui & à Notitia imperij Rationalis appellatur. sic & saccarij (ita baiulos appellabant) soli merces in portum vectas comportabant. sed Comes portus curabat iusto pretio vt id fieret *l. 1. C. Theod. de saccar. port. Rom.* non dispar reliquorum cura.

22. *Iuris argutias vitet.* Fraudem legi per argutias fieri Iudex ne patiatur, minimè ipse faciat. Procul dubio committit in legem, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. quàm turpiter Tiberius, cùm reperisset Vestales Virgines supplicio affici nõ posse, nè lex violaretur, iussit, vt à carnifice laqueum iuxta comprimeretur, exin oblisis faucibus in Gemonias abijceretur. Tac. *lib.* 5. sic cùm Senatusconsultum prohiberet ne serui in dominos inquirerentur, iussit seruos Libonis emancipari. callidus *& noui iuris repertor.* Tac. *l.* 1.

23. *Præsertim in publicis contractibus.* Quin & interpretatio fœderum, pactionum, actionumque publicarum non ad apices & tricas legistarum, sed viri boni & æqui sermonem reijcienda est. Mauritius Saxo de Hassi liberatione Carolo V. ex consiliariorũ argutia quædã ad versutum ius flectenti, *At ego te*, inquit, *tamquam Imperatorem; non tamquam Iurisconsultum & legistam volo pactiones & fœdera interpretari.* quod Cicero *in epist. ad Q. fratrem* docet: *possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potiùs commoditatem conficiendi negotij & liberationem molestiæ.* Vidimus & nostrâ ætate comitia in longas moras tracta, magnis supercilijs peracta per subtilem paucorum verborum insertionem, ac deinde interpretationem elusa esse, atque spe suâ caruisse. Sanè Cæsar oportunitates sæpè insignes neglexit, *ne*, inquit, *dici posset eos à se per fidem in colloquio circum-uentos.* sanè candor & fides publica non leuem calumniam patiuntur, cùm specie colloquij, pactionúmve id solum agitur, vt verbis decipulæ imponantur, moræve nectantur, quibus aut oportunitates hostibus depereant, aut nobis quærantur. sed turpissimè, cùm ritè initæ pactiones versipelli interpretatione corrumpuntur, atque violantur.

Quamquam in manu Dei mors, & vita nostra versetur, & apud eum momenta singula, in statera pendantur: tamen idem Deus natu-

naturæ cursum non intersecat, nisi speciali nutu; adeoque causis secundis vires non adimit, neque morbis, neque remedijs. Quapropter vt singulis valetudinis conseruandæ, & recuperandæ cura, & obligatio innexa est; ita & Iudicibus, & Magistratibus competit curare, quantum humana subsidia conferre possunt, vt morborum causæ auferantur, remedia suppetant. cui rei impensè fauent leges nostræ, & ciuitatum reditus archiatris, & medicis, non exili parte, pro salario publico impendi permittūt. *l. 2. l. magistros. 7. l Archiat. 9. C. de profess. & med.* etiam promissâ immunitate eos inuitare. *l. nec intra. cum seq. C. de profess.* minores quidem ciuitates medicos quinque, maiores septem, maximæ decem habebant. *l. si duas, 6. §. 1. & seq. D. de excus. tut. l. 1. D. de decret. ab ord. faciend.* & Principes olim magna salaria statuerunt: & curialibus permittitur, vt ipsi eos eligant, quos morum probitate, & artis peritiâ spectatos cognouerint, quibus suam ipsi, & liberorum vitam committant. *d. l. 1.*

24. *Medicorum necessitas & stipendium.*

Quare Iudices & Magistratus curare diligenter conuenit, vt in Repub. periti sint medici, pro magnitudine vrbium, & populorum numero sufficientes, & maximè tempore alicuius mortalitatis & contagij, quando personæ atque ædes infectæ vitantur, vt ij medici non desint, qui eiusmodi morbos, causas, remedia noscant. nam si docemur quòd non alere sit necare: & victus nomine etiam medicinæ veniant *l. cætera. 44. de V. S.* quidni intelligamus ægrotos non curare, ijs adhibitis, qui curare sciant, necare esse? & cur demùm tanta vectigalia vrbibus ciues totâ vitâ pendunt, si cùm semel in tali agone egent, despiciuntur? Itaque mortalitatis tempore Magistratus omnia quæ faciunt ad remedia infectorum & progressum contagij sistendum, & in ea necessitate pauperum subleuandam inopiam, quàm maximè debet habere commendata. Magnâ laude ante paucos annos Senatus Hanno-montensis omne ærarium in eam causam effudit, & immenso ære alieno vrbem onerauit, melioribus annis paulò pòst soluendo. Quin & Senatus noster Antuerpiensis strenuè partibus suis functus est, pluribus nunc annis, quibus post finitas inducias, cum epidimia, peste, & varia id genus contagione conflictamur; editis etiam pluribus ordinationibus admodum vtilibus pro ratione frigidi huius climatis, quas etiam aliæ vrbes amplexæ, & imitatæ sunt.

25. *Ægrorum præsertim peste tactorum cura.*

Semper quisquis præest Reip. animo reuoluat quod monet Cicero 8. *ad Atticum ep. 11. Vt Gubernatori victoria, sic moderatori Reip. beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.* nam, vt idem ait, *vt tutela, sic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.*

26. *Semper qui præest de salute publica cogitet.*

est. quòd communiter omnibus prodest, hoc rei priuatæ & vtilitati Principis præferendum. *l. vn. §. hæc autem. C. de caduc. tollend.* Imperialis beneuolentiæ proprium est omni tempore subiectorum commoda inuestigare. *l. 23. C. de nupt.* salutem Reip. tueri nulli magis conuenit, quàm Principi. *l. 4. D. de off. præf. vigil.* & subinde omnibus Reip. moderatoribus, vt beata illa sit, beatitatem quatuor finibus circumscribit Orator.

27. *Vt opibus firma sit.*

I. *Vt opibus firma sit*, publicè priuatimque. euerritur ergò luxus, prodigalitas, libido, otium, quæ opes absumunt. Alcibiades ciuitatem negotiosam, si negotium cum otio commutet, statim euersionem, aut vt minimùm status mutationem passuram censuit.

28. *Copijs locuples sit.*

II. *Copijs locuples sit.* nam qui rem perdiderunt, prodegeruntve, in nouis rebus spem ponunt. vbi opes defecerunt, ad facinora animus incenditur. contemptui est paupertas, vt priuata, ita publica, nec domi reuerentiam, nec apud hostes metum reperit.

29. *Gloria ampla.*

III. *Gloriâ ampla sit.* inglorij degeneres animos gerunt. honos alit artes. amplitudo gloriæ ad omne genus virtutum propellit, ad res bene gerendas, ad Rempub. defendendam, augendamque.

30. *Virtute honesta.*

IV. *Virtute honesta sit.* hæc summa rerum. non enim fœlix Respubl. stantibus mœnibus, ruentibus moribus. Vespasianus adolescentem præfecturâ donatum, quòd vnguento fragraret, increpitum officio destituit. quot nunc hodie ea censura deijceret! quàm pauci allium, laborem, vigilias, sudorem bellicum olent!

Ad deteriora faciles sumus, nec pronum tantùm est iter ad vitia, sed etiam præceps. natura ipsa in deterius prona est, & quibusdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat. opponendi labores ruenti naturæ, eradicandis vitijs. danda opera serendis, alendis virtutibus. nec ignorare debet quisquis Magistratui impositus est, totius ciuitatis mores ad exemplum eorum, qui præsunt conformari.

31. *Quam exemplo moueat, & quibus in rebus?*

Itaque non postulet vt alij modestè viuant, suam modò ipsis continentiam proponat. parum esse credat negotij continere eos, quibus præsit, si se ipse contineat. Veram tamen continentiam animique moderationem seruet, ac præ se ferat. non fruatur laude per blanditias adulteratâ, sed stabilitâ per veritatem. Vera virtus, atque animi magnitudo nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: rectèque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. animo magis quàm voce laudari cupit. Cupiditas tamen gloriæ nocet immoderatiùs appetita: ergò tantum dumtaxat gloriæ desideret, quantum satis est ad conciliandam in rebus gerendis auctoritatem. Summa & perf[illegible] *l. 2. de off.* constat ex

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem. Summa & perfecta gloria iudice Tullio *l. 2. de off.* constat ex his tribus, *si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat*. Multi hodiè, nec multitudinis amorem, nec fidem curant, fallere illam modò possint. & quamuis in admiratione aliqua sint, non ea est perpetua. temporis filia veritas, fucos & & vela tollit, admirationem etiam exinde, & verum honorem fraudumq; partus interimit. Vera autem virtus ipsa vetustate floreſcit, & apud posteros manet gloria illius sempiterna.

32. *In quibus vera gloria?*

Sed neque gloriam ex vano aspectu auri fulgore atque argenti parat. turpe credit ei, qui animum habet, captare laudes ex corpore. astricti moris amator, antiquo ipse cultu, victuque ad viuendum credit, velut ad natandum eum meliorem, qui onere sit liberior. commodatis à Deo facultatibus vtendum, quasi precarijs possessionibus. debere opulentiam sine reprehensione, parsimoniam sine sordibus esse. delicijs, otio, languore, desidiâ animum infici. viuere debere ad exempla, ratione componi, non consuetudine abduci. remouere pompam, vsu rerum ornamenta metiri, fugere epularum libidinem, non moueri supra necessitatem esculentis, & poculentis; fugere quidquid inducit obliuionem sui, & rerum agendarum. quidquid obscœnum dictu, visu, audituvè. neque enim obscœna petulantia mensis oberrare debet. sed benigna inuitatio, & liberales ioci, & studiorum gloria. nec loquaces conuiuæ, nec muti legendi. sermones id temporis habendi, nō super rebus anxijs, sed iucundi atq; ineuitabiles, & cum quadam illecebra, & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrū venustius fiat, & amœnius.

33. *Quibus moribus?*

Eodemque modo relaxationes animi admittendæ. amant alterna Camœnæ. omnis vita nostra in remissionē ac studium est diuisa. nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & languor. laudabilis remissio, quæ nec gerendis rebus vllum impedimentum gignit. quæ ludos non admittit, ex quibus crimina oriuntur, dignitas diminuitur, opes amittuntur. laudabilis maximè remissio, quæ eruditorum virorum sermonibus vtitur: quędam virtutis exercitatio est cum bonis viris conuersari. non cum quibus iucundissimè tempus quis conterat, sed quorum operâ adiutus Rempublicā gubernet. sed & musica animi curas pellit, & tristitiā. venatio etiam & equestris exercitatio in viris principibus imprimis laudāda.

34. *Animi relaxationes an & quæ laudandæ?*

Peregrinatio etiam ad animi relaxationem, & voluptatem instituitur, & maximè à iunioribus nondum ad Remp. admotis. mirè illa ad prudentiā facit, eamque cum voluptate parturit. prudentiores illi semper habiti sunt, qui multorum hominum conuersationibus probarentur eruditi.

35. *Maximè peregrinatio.*

36. In ijs porrò qui iam Magistratibus impositi sunt, maximè conuenit prouinciam omnem oberrare. Principibus etiam adeunda sæpiùs longinqua imperij. vt noscant Rempublicam, quantum sociorum ciuiumque in armis, quot classes, prouinciæ, tributa, vectigalia, necessitates, largitiones. multi ignorant vires suas, & dum se tam magnos quàm audiunt credunt, attrahũt superuacua, & in discrimen rerum omniũ peruentura bella. Traianus cognouit per stipendia decem mores gentium, regionum situs, oportunitates locorum: & velocissimi syderis more omnia inuisere, omnia audire, & vndecumque inuocatum statim veluti numen adesse, & assistere solebat. Solus sæpè aspectus Principũ ac nutus magnos motus cõpescuit. Rex, inquit Sapiens *Prouerb.* 20. *sedens in solio dissipat omne malũ intuitu suo.* nihil promptius ad intelligendas prouincialium querelas, atque expilatores publicos noscendos, & constringendos, & in omnem Reipubl. causam, & casum expeditè prouidendum. aliàs perquàm sæpè ex distantibus terrarum spatijs consilia post res afferuntur.

Intra Prouinciam in promotis ad Remp. & quare? seu quibus in rebus?

Quoniam autem nullum animal morosius est homine, vel maiori arte tractandum: nihil magis prouinciales turbat, & ad motus ciet quam priuilegiorum olim concessorũ contemptus. vnde Chokier *Polit. lib. 2. c. 2.* Regem Franciæ alioquin solemni inaugurationis iuramento ad eorum obseruantiam adstringi tradit. & Ioannem Angliæ Regem an. 1216. quòd illud detrectaret, adeò à suis desertum fuisse, vt tres tantùm aliquando equites illum assectarentur. super his querelas Rex moderatórve Reipub. prouincias obiens, tempestiuè intelliget ac maturè prouidebit. videbit quanta sit vis temporum in Repub. quanta varietas rerum, locorum geniorumque. quàm incerti exitus. quàm flexibiles hominum voluptates. quid insidiarum, quid vanitatis in vita sit. nulla horum melior magistra, quàm peregrinatio, & oculis subiecta pars vnaquæq; Reipub.

Intelliget, etiam quos Magistratus ostendat, viros: qui spei respondeant, qui spem fallant: qui in melius, qui in dexterius mutati sint, qui pares, qui impares officijs habeantur. nihil perspiciet inter homines inæquælius, & lethalius, quàm ignauum, & fortem virum æqualia consequi.

Parui refert à Principibus ius dici æqualiter, & diligenter, nisi etiam ab ijs fiat quibus illi eius muneris aliquam partem concesserint. Fertur Carolus VIII. certis diebus de querelis prouincialium cognoscere solere. tametsi autem ipse non multa perficeret, tamen eò pertinebat institutum hoc, vt præfecti in officio, metuque continerentur: quod satis vtcumq; erat ad iustitiæ administrationem.

Pere-

Peregrinatio id etiam commodi habet, vt dum mores hodiernos videmus, præteritos sciscitemur, & in historiarum cognitionem traducamur. vbi prudens inuenit vnde sapientior fiat: bellator, vnde animi virtute roboretur: Princeps, quomodo subditos sub æqualitate componat. magno semper vsui est memoria rerum gestarum. viam probè Remp. administrandi ostendit. optima ad agendum institutio, commemoratio rerum ab alijs gestarum. Optimè ille institutus est, qui peregrinando quod apud quamque gentem optimum est, edidicit. & exinde ad vsum, qui omnium magistrorum præcepta superat, traducit. eo enim fine discendum est, vt ad Remp. doctrina transferatur. & quemadmodum Medici pharmacum ad vnum morbum fugandum efficax, ad finitimos transferunt: ita quę quisque vna in re didicit, ad proximè cognatam traducat. ita experti certiùs, citiusque quod intendunt consequuntur, quàm ij qui rationem absque experientia tenent.

37. *Circa inimicitias prudenter agendumè & qui.*

De inimicitijs etiam ita semper prudens statuat, vt Reipub. condonandæ sint, vitandæ earum origines diligenter. conciliatio ex fide seruanda; sed cautè, vt suspecta. Iniuriarum semper est memoria. quicquid offendit ægrè eximitur, aut obliteratur. *Non credas inimico tuo in æternum; sicut enim æramentum æruginat nequitia illius. Eccl.* 12. *Nunquam fidelem habeas tibi,* inquit Senec. *quem ex inimico amicum habueris.* quamuis enim multi speciosè magis iniurias beneficijs vincere, quàm mutui odij pertinaciâ pensare se malle simulent: multi tamen sunt in animis hominum recessus, in quibus odium recondunt. *Quantæ sunt,* inquit Cicer. *infidelitates in amicis? quàm ad tempus aptæ simulationes! quantæ timiditates! hæc est celeberrima virtus, hæc animi suspiciendi moderatio, vincere iram, & inter simultates quoque vincere animum.*

38. *Circa iram.*

Igitur neque irasci oportet eum qui Reipub. præest, quoties se materia, quoties se res offert. quod enim momentum est, quo non improbanda videat? omnia si consectetur, nunquam irasci desinet, omnis illi per iracundiam, mœroremque vita transibit. Optimũ est ad primum mali sensum mederi sibi, tum verbis quoq; suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum, quod quidem etsi nõ est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenij: imò non inferioris, quàm omnino non commoueri. vt fumus oculos mordicans non sinit vel id quod ante pedes est videre: sic ira exurgens obtenebrat rationem. est ira sui impotens, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consilijsque præclusa, vanis agitata causis, ad conspectum æqui verique inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressere, franguntur. absit longissimè ab ira, & quæ illam consequitur

vindictæ cupiditate, quisquis rectè præesse voluerit; neque admittat, vt per eam à recto vnquam abducatur. Assuerus iratus quamuis,& nimio furore succensus, quòd eius iussa Vasthi contempserat, nihil mox in eã statuit,sed *interrogauit*, inquit Codex sacer, *Esther. 1. sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, & iura maiorum. cui sententiæ Vasthi Regina subiaceret.*

39. *Circa fidem.* Ad extremum hortari rursum lubet, vt quisquis Rempubl. moderatur, fidem, dictorum conuentionumque constantiam seruet. Eam in Capitolio vicinam Ioui statuerunt Romani, vt tamquam Numen, ac certissimum humanæ salutis pignus coleretur. quibus persuasum erat, nisi in fide stet Resp. opibus non staturam. Seruanda est igitur fides; præsertim iurata, aut alioquin ritè ac publicè pacta ciuibus, Prouincialibus non tantùm, quin & hosti, etiam iniusto, & prædoni, subditisque rebellibus, sed etiam proditori. vt rectè in Onosandro scriptum. tametsi Aiala *de re mil. l. 1. c. 6. n. 6.* aliter sentiat; quia omne iuramentum est seruandum, quod non vergit in animæ præiudicum. vnde & iniusto bello victus, non suo marte fidem non exoluit, sed alter iubetur promissa relaxare. *c. sicut. 29. x. de iureiur.* & inter *simplicem loquelam, & iuramentum Deus nullam vult esse differentiam; & sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium c. iuramenti. 22. q. 5.*

Vinculum tamen iniquitatis non est, adeoque iniusto bello capta non obstante iuramento de rebus ablatis non repetendis restituenda sunt *d. c. sicut.* malè ergò promissa, & quæ sine scelere non adimplentur, præstanda non sunt.

Altera promissi non implendi excusatio est, si alter fidem ipse non præstat. *d. c. sicut. §. fin.* vtique in rebus connexis, secus in separatis. *cap. inter cætera de rescript. l. quæ religios. de rei vendic.* Aiala *de re milit. d. lib. 1. c. 6.*

Præter has causas quisquis publicæ rei admotus est, aliam non admittere semper statuat, *nec regnis postferre fidem*, tametsi corrupti iam, & deprauati sunt multi, quorum omne artificium in decipiendo consumitur: quin & omnimodè satagat, vt fidei seruans sit ipse non tantùm, sed & talis credatur. atque ipse credat quòd nulla res vehementiùs Rempublicam continet, quàm fides.

40. *Fiscalibus causis non fauendum, & officijs fisci benigni imponendi.* Et quoniã in adagiũ trãsijt nõ solere sub bono Principe bonas esse fiscales causas, cõuenit omnib⁹ istis officijs, quę ex alieno cõpẽdia sua sectãtur, imponi homines nõ aquilineos, vultureosq; sed mitiingenio, qui

qui rem duram non ipsi exasperent, in dubio contra fiscum facilè sentiant, & aduersus eos etiam quos reos credunt, non excandescãt; sed benignitate actionem, modumque temperent: qui in fiscalibus compendijs non legum verba, in quæ quis imprudens fortè impegit, sectentur, sed voluntatem, animamque legis, rationem. & hanc semper ad sensum humaniorem benigniorem que traducant, præsertim vbi de tributis, vectigalibus, & fiscalibus lucris agitur, & ob illa non ritè agnita mercium commissarum pœnis. quę dum duriùs solent esse exactæ, magno Principum Rerumquepub. damno ad liberiores stationes mercimonia migrant, vectigalium damna, atque imminutiones immensas imposterum, & tandem publicam priuatamque post longa fastidia egestatem parturiunt.

Lubet hæc Miscellanea monita concludere per dimissionẽ nondum saturi lectoris ad Socraticas Iustiniani Authenticas de Præside Pisidiæ, Prætore Licaoniæ; Thraciæ, Hellesponti, Paphlagoniæ, &c. quas vbi iterum, iterumque legerit, videat an non leget;

Iam satis est, ohe, libelle.

LIBER QVARTVS

CAPVT PRIMVM.

De Iure Maiestatis.

NE cui mirum videatur non tantùm nos politiæ administrationique Reipub. libro tertio, sed etiam negotijs autocratiæ atque Imperij hoc libro quarto nos immiscere, memoriâ repetitum volumus, quod initio diximus, dum Iudicem exhibemus, non tantum pedaneum, sed & maiores etiam atque supremos intelligere. pro more loquendi, quo Iustinianus *in Authent. de Iudicibus*, atque *in Codice lib. 1. C. tit. 29. vsque ad finem. & l. 1. D. vsus est. l. 12. C.* & alibi passim iuris nostri auctores vsurparunt. quo modo *veteres*, inquit Ascon. *omnem Magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellarunt, quòd reliquis præiret, vnde & prætorium tabernaculum eius dicitur, & porta prætoria, quâ exire solet, & hodiè quoque Præfectus prætorio, item milites prætoriani, & cohors prætoria.* & tamen scimus non minùs edictum Prætorem proponere solere, ex quo ius diceret, ex eoque natum exinde edictum perpetuum, & partem magnam iuris nostri atque iudiciorum prætoriam esse, vocarique; vt mirum non sit sub vno

nomine iuris atque militiæ auctoritatem consistere. Eo itaque modo Iudicum vocabulum non iudiciorum tantùm, sed & administrationis ciuilis, atque militaris potestatis energiam habet. Id quod vel sonat titulus 44. *lib. 1. Cod. de officio ciuilium Iudicum*: 45. *de officio militarium Iudicum.* 47. *de off. diuersorum Iudicum*: 48. *vt omnes Iudices tam ciuiles, quàm militares post administrationem depositam quinquaginta dies in ciuitatibus vel certis locis permanerent.* 50. *de assessoribus & domesticis & cancellarijs Iudicum.* Hos ergò etiam Iudices complectimur, qui tales ministros habent: qui militaria etiam ac summæ rei negotia gerunt. Sic Præfecti Prætorio, Orientis, Illyrici, Aphricæ: Magistri militum, Quæstores, Magistri officiorum, Proconsules, Legati, Prætores, Rectores Prouinciæ, Præfecti vigilum, Præsides, eorum denique officia tam accuratè à Iustiniano in Codice pertractantur: omnesque nomine Iudicum veniunt *in d. tit. & Auth. de Iudicib.* Vnde & consectarium est, vt summa hæc Imperij negotia à scientia, prudentia, atque officio Iudicis existimentur non esse aliena. quo modo Papinianus, quem asylum iuris atque thesaurum legum Spartian. in Seuero nominat, Præfectus Prætorio apud eumdem Seuerum *l. lecta.* 40. *D. Si cert. pet.* fuit, alijque Iurisconsulti summos honores gesserunt, & consilijs laudatissimorum Principum adhibiti sunt. Lamprid. *in vita Alexand. & Maximini.* & Vlpian. Magister scriniorum, quòd Alexander plurimùm eius consilijs vteretur, & dissolutos militum mores ad veterem disciplinam reuocabat, apud eos odiosus ab impetu & furore militari obiectu corporis Imperatorij protectus est. asseritque Lampridius illum in summum euasisse Imperatorem, quòd Vlpiani consilijs præcipuè Remp. administraret. Adeoque quamuis hodiè eadem Iudicum nomina non habemus, tamen quia summæ rei consilijs adhibentur etiamnùm seu Iudices, seu Consiliarij, qui ideò Secreti Concilij ac Status nominantur, ac olim Comites cõsistoriani dicebantur *de Comit. consistor. C. lib.* 12. à consistorio in quo Princeps audire legatos & de causis Imperij ac alijs grauioribus cognoscere solebat, Ammia. Marc. *l.* 15. & Comitum nomen Constantinus præcipuis officijs adiecerat; Euseb. *l.* 4. *de vit. Constant.* Cuiac. *de Comit. & trib. schol. C. l.* 12. non potest videri eius rei materia proposito nostro importuna. Eam itaque exordiri lubet à iure, notisque Majestatis.

1. *Supremitatis iura seu notæ.*

Iura ergò Majestatis, sacra Regni, summa rerũ, arbitriũ, principatus, seu quocumque nomine lubuit appellare, pro ratione temporum, forma Reip. aut libidine dominantium, admodum apud Romanos, aliasque gentes diuersa fuerunt. Hodie ferè, qui de iure aut politia scribunt, ad hæc capita reducunt; *Legem condere, atque*

alijs

alijs dare, non accipere, lege ſolutum eſſe, Magiſtratus creare, legatos mittere, & recipere, bellum inferre, & pacem pangere, monetam cudere, ius Vitæ & necis, rerum ſacrarum, nundinarum, vectigalium, extremam prouocationem, aliaque quæ feudiſtæ regalia vocant. *ad titulum feud. quæ ſunt regalia.* quorum tamen quædam minoris notæ ſunt, & cum inferioribus dynaſtis communicantur. ſic tamen vt beneficio Principis hæc accepta ferant. vt vtilitatem quidem ſentiant, ius autem directum diademati Principum remaneat inſcriptum. Canoniſtæ ſupremam hanc poteſtatem vocant *plenitudinem poteſtatis.* Pragmatici ſouerā- 2.
nitatem indigetant. & diſerte excipi hodie ſolet in omnibus litteris *Nulla conceſſione ſupremitas communicatur aut alienatur.*
conceſsionum magnorum dominiorum,& feudorum. quamquam lucis causâ id fiat. cùm non cenſeatur Princeps id velle, quod non poteſt. Non poteſt autem ſupremi dominij auctoritatem lædere. nam perſonalis maieſtas, quæ in Principe eſt, exercitium eſt illius realis, quæ in Republ. inſtar dotis & vſusfructus illas habeat: non de poteſtate detrahere, non de ſubſtantia, & domanio alienare poſsit. Vnde ſolent Reges lucis causâ iurare iura Regni illibata ſe ſeruaturos. *c. intellecto. 33. x. de iureiur.* Noſtratibus autem diplomatibus, cum ſupremitate excipi ſolet campanæ pulſus. ſed iterum lucis causâ. maiores noſtri, ſi hoſtis ingrueret, campanas pulſabant proximi, & ſequebantur vicini actu tum ad vltimos regionum vſq; fines: ita vt intra paucas horas integræ ditiones in armis eſſent. Imprimis qui feuda poſsiderent, qui deinde Principi peculiari ſacramento tenerentur, vt ciuitatum collegia, ac ſubditi demum omnes qui arma ferre poſſent. Hic campanæ pulſus ad maieſtatem pertinet, vtpote ad ſumenda arma, quæ iniuſſu Principis ſumi non poſſunt. iuſſus quidem quamuis præſumatur generatim pro defenſione ad ritum priſcum, & edicto Car. V. conceſſus, 18. *Sept.* 1542. 25. *Oct.* 1544. 15. 1556. *lib. edict. fol. 23. & ſeq.* quamquam & hic pulſus frequenter hodie aures ruſticorum vexet, ad compeſcendam inſolentiam militum. ſed iterum ex Principis venia, id ſecuritati paganorum tribuentis, ciuili etiam & naturali iure ſuffragante.

Enimuerò indicia ſupremæ poteſtatis per Bodin. alioſq; relata nō 3.
per ſe ſingula eā infallibiliter inferūt, ſed effectus ſunt ab illa dependentes. ſed hæc citra erroris periculum eſt regula: Quicumque in *Supremus omnino qui alium non agnoſcit.*
ſua ditione ſupremum habet rerum arbitrium, à ſuperiori nullo dependens, eum maieſtatem habere, ſupremum, ſoueranum eſſe Principem: *l. 7. §. liber D. de Captiu.* qui non habet, non eſſe. rectè Loyſeau *de Seigneuries, l. 1. c. 2. n. 10. & ſeq.* non ergo illi penes quos non ſuprema poteſtas, ſed tantum principatus. non illi, in quos non minus habet iuris multitudo, quàm ipſi in multitudinem.

Qui Rex est, Regem Maxime non habeat. Sic oblatum à Demetrio Iudæis pactum inter cætera summi imperij, vt non obediant alij potestati, nisi summi sacerdotis 1. *Machap. c.* 10.

§. I.

De Principe legibus soluto.

1. *Princeps legibus est solutus.*

LEgibus soluti fuerunt Principes. *Senatus*, inquit Dion. *l.* 63. *Cæsarem, à quo magno honore afficiebatur, Imperatorem decreto liberauit omnibus legum vinculis, vt ea quæ vellet faceret, & ijs quæ nollet abstineret.* Augustam legibus solutam non inueneris. *l.* 31. *D. de leg.* & si non pauci crediderint, quia Principes illi priuilegia tribuunt, quæ ipsi habent. *d. l.* 31. ad filios pertinet illud Tac. 2. *Anal. lætabatur*, inquit, Tiberius *cum inter filios eius, & leges Senatus disceptaret. victa est sine dubio lex.*

§. II.

De legum vinculo.

1. *Non tamen ideò minus eas reuereatur.*

QVamuis, vt diximus, Princeps legibus solutus sit, tamen aurea est Imp. sententia, *Reuerà maius est Imperio submittere legibus Principatum.* hoc est, viuere secundùm leges. quamuis nemo ad pœnam trahere possit. adeò quidem vt quamuis Principes supremi, non leges tantùm positiuas, sed etiam à natura scriptas transiliant, non habeant criminis vltorem. nec minùs rectè ille: *Cæsari cùm omnia licent, propter hoc minus licet.* sic sancto sensu Princeps legibus solutum se dicit: nam bonis posita lex non est: legibus tamen viuit, quia perfecti non propter legem, sed ob rem ipsam, quod legis est, faciunt. Vnde & illa Anthiochi ad adulatorem, omnia Regibus iusta, æqua, licita, iactitantem responsio; *non Regibus sed Tyrannis.*

§. III.

De legum-latione.

1. LEges ferre, alijs dare, non accipere, tessera èst summi Imperij. Curt. *l.* 8. *quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, queis viuamus accipimus.* Huc spectat Extrauag. Constit. 78. Leonis,

Ne

Ne amplius Senatusconsulta fiant. abrogata *l. 9. D. de leg. & Senatusconsultis.* & ad Principem id iuris retrahit.

§. IV.

De iure sacrorum.

IVra Sacrorum & Religionis à iuris & politicæ peritis ad summum Imperium referuntur. Iudæi diu eosdem Reges & Sacerdotes habuerunt. Melchisedech Rex Salem fuit, & Dei sacerdos. Anius apud Virgilium

Rex idem hominum Phœbíque Sacerdos.

Nunc Deum munere, inquit Tacit. 3. *Annal. Summum Pontificem, Summum hominum esse Imperatorem.* sic & apud multas gentes. quarum Reges, seu qui clauum Reip. tenebant, de religione leges tulerunt. ita Numa, ita decemuiri in legibus XII. Tabul. *De sacris statuta.*

Deorum fabulas ne credunto.
Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.
Separatim nemo habessit Deos.
Neque nouos, sed nec aduenas, nisi publicè
Adscitos, priuatim colunto.
Nocturnas in templo vigilias ne habento.
Nocturna mulierum Sacrificia ne sunto.
Præter illa quæ pro populo ritè fiant, &c.
Ne quem initianto (nisi vt assolet Cereri) Græco sacro, &c.

Ita & *apud Liuium l. 15.* decretum, ne qua Bacchanalia Romæ, neue in Italia essent. *apud Tac. 2. Ann.* factum Senatusconsultum de sacris Iudaicis, Ægyptijsque pellendis. & sub Claudio, *Viderent Pontifices quæ retinenda, firmandáque Aruspicum essent.* sed hæc initio Imperij, atque in speciem, alioquin ad se deinde Iura Sacrorum in solidum Impp. transtulerunt. ita & Constantinus mox à baptismo Christianis templa, & Christi cultum permisit. quod Tiberius proposuerat; sed Senatusconsulto repulsus fuit. & Alexander Seuerus, & Adrianus cogitarat.

§. V.

De Magistratuum creatione.

MAgistratuum creatio ad summi Imperij iura etiam pertinet. Cùm Romæ Majestas penes populum esset, in comitijs creatio peragebatur: tandè è Campo ad Patres translata est; muta-

mutata Rep. ad Principem. *Ad curam*, inquit Modest. *in l. vn. D. ad l. Iul. ambit. Principis Magistratuum creatio pertinet, non ad fauorem populi.* & Zonar. *Creatio*, inquit, *Magistratuum maxima pars est muneris imperatorij.* ideoque Mæcenas apud Dion. multo antè Augustum monuit, vt solus sine plebe, populo, ac senatu Magistratus crearet. Tiberius Consulum renuntiationem vsurpauit, alij etiam commendare solebant alijs, quibus in speciem ius creationis videbantur relinquere: alijs visum est, minora aut securiora senatui, vel summis Magistratibus permittere, vt *l. 1. cap. 42. latiùs diximus.* Et Leonis Extrauag. Constit. 47. habetur: *Abrogatio legis quæ Senatui Prætores, Decurionibus verò Præfectos constituere concedebat.* sic ea auctoritas ad Principem delata.

§. VI.

De extrema prouocatione.

1. QVoniam appellatio est ab inferiore Iudice ad superiorem facta provocatio, necessariò sequitur eum, cui arbitrium de rerum summa datum est, prouocationem pati non posse. nisi quam ille à Principe malè informato ad rectiùs informandum proponebat. qualis ferè est prouocatio, de qua rescripsit Pius *l. 1. D. de appellat.* vt si Princeps non ex vero fuerit consultus, & secundùm ea quæ proposita sunt, rescripserit; prouocare liceat: sed ad Principem. *Nihil enim*, inquit Pius, *à nobis videbitur iudicatum priusquam contra scriptum fuerit quemadmodum aliter res se habeat quàm nobis insinuatum sit.*

2. *Maiestatem ladit, qui aliò appellat.* Qui Principe Supremo superiorem alium facit, quò appellet, Majestatem lædit. ad Principem enim omne Imperium atque potestas pertinet lege Regia. *l. 1. D. de const.* vt olim post pulsos Reges ad populum lege Valeria. cui cùm à Consulibus aliquando non satis deferretur, eamdem legem sæpiùs publicari oportuit: eiusque tandem obseruationem lege Duilia mortis pœnâ sanciri. quam legem Liuius fundamentum libertatis vocat. adeoque (postquam iam *Principis omnia sunt imperio, etsi non dominio*, vt loquitur Seneca) meritò vocaueris fundamentum Majestatis.

3. *Gallis vltimum resortum Supremitas dicitur.* Vnde non inconcinnè Galli extremâ prouocationem seu vltimum resortum nomine Supremitatis intelligunt. *le dernier resort de iustice, en commun langage est appellé souueraineté.* vt in concessionibus feudorum maiorum; quando Principes sibi reseruant fidem, hominium, resortum, & soueranitatem: prioribus verbis priuatum, atque

atque directum feudorum dominium ; posterioribus publica potestas significatur. Vnde qui ad supremum Imperium viam sibi sternebant, superioribus sæculis in Gallia, ac alibi leges condebant, Magistratus creabant, bella gerebant marte suo, pacem pangebant, monetã suâ imagine signatam cudebant, pecuniam populo imperabant, coronam, quam hodie insignibus tantùm pictura adscribit, capiti imponebant: ad morem Caligulæ, qui *parum abfuit quin diadema sumeret, & speciem Principatus in Regnum conuerteret.* Inter hæc inquam indicia supremitatis semper extremam prouocationem penes se sistebant. donec tandem regijs rebus firmatis Parlamenta illorum appellationes à subditis istiusmodi regulorum receperunt, leges infirmarunt, magistratus, nisi ab eis probarentur, deiecerunt, arma mouentes in reorum maiestatis numerum receperunt, nummos ab illis cusos aureos, atque argenteos reprobarunt, collectas vetuerunt, priuilegiarijs casibus exceptis, ac tandem in iustum ordinem redegerunt. Latiùs Pasquier *Recherches l.2.c.2.* Loyseau *de seigneuries l. 1. c. 5. n. 60.* 4. *Qui imperium affectant, has notas adsetrahunt.*

Germaniæ Principibus Electoribus, alijsq; non paucis notæ fere Regum competunt, si Iurisdictionem Cameræ Imperialis excipias, & Imperij constitutiones *de pace seruanda*, &c. 5.

Ex his fluit & ea ratio, ne liceat inferioribus Principibus multiplicare Iurisdictionum gradus, ne cùm tertiò prouocare non liceat, vltima ad illos interponatur; quamquam hoc ipsum, quod de tertia prouocatione ius statuit, non passim seruetur, vbi iam pridem gradus multiplicati sunt. quia vno absurdo dato cætera sequuntur. 6. *Iurisdictionũ gradus tertiam appellationem vltimam nõ faciunt.*

§. VII.

De pacis ac belli arbitrio.

ARbitrium pacis & belli nota est supremæ potestatis. bella decernere, & pacem pangere. nam contrariorum eadem est doctrina, & maiestas est arma capere iniussu Principis. *l. 3. ad leg. Iul. maiest.* vnde procul absunt à iure Romano deprædationes quæ vassallis aliquando Iure feudorum in dominos permittuntur, *lib. 2. feud. tit. 22.* nec olim nisi comitijs populi centuriatis bellum decernebatur. & sponsione, quæ iniussu populi Romani facta erat, non tenebatur populus. vt censet Posthumius *apud Liu.* qui & hæc addit, *quid si spopondissemus vrbem hanc relicturum populum Romanum ? si incensurum ? si Magistratus, si Senatus, si leges non habiturum ?* & plerumque in sponsionibus ducum adiungebatur, *ita id ratum fore, si po-* 1. *Nihil de bello, aut pace statuũ nisi ab eo qui supremus.*

si populus censuisset. Quare cùm populus Romanus per pacta Consulum iniussu suo inita obligari non potuerat, ea contra dignitatem salutemque publicam contracta pro irritis habuit. ne tamen vel in speciem fidem lædere videretur, Consules per feciales Samnitibus tradiderunt loro vinctos, vt iusta fieret deditio, & erroris publici pœnas luerent illi, qui commisissent.

2. *Huc & castra & arces.* Sic ad belli iura spectant arma, armorum fabricæ, armamentaria, arces, muri, fortalitia, castella, facultas concessa extruendi, & ne vicinis extruere liceat. Vnde sine publica auctoritate circa muros publicos nihil licet. *l.* 9. §. 4. *D. de rer. diuis.* & apud Tacitum Iudæi ius muniendi magnâ pecuniæ vi redemerunt.

3. *Aliâq; spectant.* Spectant & huc pignorationes, represaliæ, litteræ marcæ, publici hostis declaratio, securitas, guardia, saluus conductus, legati missio, receptio, comitia generalia, &c.

§. VIII.

De legatis.

1. *Mittere & recipere legatos supremi est.* LEgatos mittere & recipere etiam ad maiestatem pertinet. propriè enim à Principe Supremo legatio mittitur. vt ferè hodie censent. Marselaer, *de legato. c.* 2. Vnde Curt. *l.* 10. *& pristina quædam regia species manebat. nam & legati gentium Regem adibant, & copiarum duces aderant, & vestibulum satellites armatique compleuerant.*

2. *Quomodo gliorum?* eò potissimùm quòd summæ legatorum mittendorum causæ solent esse belli, pacis, aliarumque summarum rerum negotia. Quare subditi ius legationis non habent, nisi largo modo loquendi, pro Oratoribus, Deputatis, Commissarijs. quamuis *tit. D. & C. l.* 10. *de legation.* eos nomine legatorum comprehendat. Sic ciuitatibus ex edicto Vespasiani legatos, sed ternos, non plures mittere licet. *l.* 4. *in fin. D. de legation.* Sed tamen nec sine consensu Præsidis *l. si quis.* 16. *C. de decur.* quod & in Prouincijs obtinet, vt sine assensu Præfecti prætorio legatum mittere non possit, *l. pen. C. de decur.* Panicir. *ad Notit. Imp. tit. de Magist. municip. c.* 26. *legat.* quin & ciuitatis statu turbato legati partis alterius prærogatiuam obtinent, ne violari possint. Cic. *lib.* 3. *de fin.* alioquin è medio tollatur ratio compescendæ seditionis forsan ortæ. extra hunc casum, vix priuilegium eiusmodi competit. Vnde apud Liu. *l.* 6. *Colonis Circeiensibus denuntiatum, Senatus verbis, facesserent properè ex vrbe, abs ore atque oculis populi Romani, ne nihil eos ius legationis externo, non ciui comparatum tegeret.*

§. IX.

§. IX.

De iure vitæ ac necis.

IVs vitæ ac necis autocratiæ insignis etiam nota. Curt. *l.* 4. *Cùm in regali solio residebis, vitæ necisque omnium ciuium dominus.* sic olim Romæ morte mulctabat solus Populus, leg. XII. Tab. Eius insigne pugio olim : & gladius. & olim & hodiè in inaugurationibus velut insigne imperij gladius præfertur. Tac. *l.* 3. *histor.* ait Vitelliũ solutũ à latere pugionem Cecilio Simplici Consuli in concione reddidisse, tanquã ius vitæ ac necis. Carolo Mag. ante tribunal spatha nuda perpetim præferebatur. Commodus, cum Imperator salutaretur, Iulij gladium delubro Martis detractum tenens, circumlatus est per celeberrimos vicos. 1.

§. X.

De pecunia imperanda.

PEcuniam imperare, vectigalia capere, telonia, solius est Principis. *l.* 10. *de public.* vectigalia sine Imperatorum præcepto neque Præsidi, neque Curatori, neque Curiæ constituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel minuere licet. non admittit tamen Loyseau pro nota imperij, contra Bodinum, quòd hæc potiùs facti, quàm iuris æstimet. sed rectiùs Bodin. supponenda enim est potestas in Principe etsi abuti in imperandis tributis, sicut & cæteris, quæ ab eius arbitrio fluunt, contingat. quia & rectè vti potest. 1. *Pecuniam imperare.*

§. XI.

De Moneta.

CVdere monetam & imagine suâ signare, solius Principis est. sic Vopiscus in Firmo, *Cùm ille diceret Firmum latrunculum fuisse, non Principem, contra ego illum & purpura vsum & percussa moneta Augustum esse vocitatum; quinque etiam nummos Seuerus Archontius protulit.* Commodus Pereninum familiarem suum pœnâ capitis affecit, quòd nummos publicos suâ imagine signasset. ita iubetur leg. XII. Tab. *Triumuiri monetales aurum, argentum, æs publicè signanto.* & de Vngarorum politia Otto Frising : *Nullus*, inquit, *in tam spatioso ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habere audet.* 1. *Monetam cudere, signare.*

2. prout & vetitum est *l. 2. C. de fal. mon.* vbi etiam Maiestatis crimine obligatur, qui circa monetam peccat, qualitatem, mixturam monetæ, ideoque ad Principem spectare constat. *l. vnic. C. de arg. pret. lib.* 10. quia nummus publica mensura est, & æstimatio. *l. 1. in prin. D. de cont. emt.* mensuram falsam fieri si corrumpatur moneta, ideoque labentis Imperij præsagium corruptionem monetæ innuit ille;

In Maiestatem peccat qui in monetam.

Discitur ex nummis quàm se malè tempora mutent.

3. Et magnâ apud veteres religione moneta tractata est. vt ne rescripto quidem competere alicui posset. *l. vlt. Cod. de fals. mon.* sed nimium hodie priuilegijs & præscriptionibus inferiores Principes ius monetæ cudendæ, præsertim in Imperio vsurparunt. quod & patrum memoriâ in Gallia accidit. sed Ludou. Hutinus Rex plurium Principum priuilegia ære redemit, & Francis. I. edicto generali vsurpationes sustulit, & residua priuilegia. Lud. autem XI. inter reliquos prætextus belli Duci Britanniæ indicti moneta aurea à Duce cusa iuxta præcipuos refertur. nec mysterio vacat interrogatio Christi, exhibito census numismate, *cuius esset imago & superscriptio?* & ad responsum Cæsaris esse, *date ergo Cæsari, quæ Cæsaris sunt.*

Hodie nimis communicatur inferioribus ius monetæ.

§. XII.

De reliquis iuribus Majestatis.

1. SVnt & alia quæ ad iura Maiestatis referuntur, ab eaque distribuuntur, sed vel ex his, quas diximus, notis vt fontibus fluunt, vel non ita emicantem habent splendorem, aut etiam inferioribus aliquatenus communicantur, vel lege aliquâ magis, aut communi vsu Summo Principi reseruantur. vt in integrum restitutiones, quæ lege Romanâ Prætori competunt; canonicâ Iudici ordinario; vsu plerorumque regnorum à supremo Principe postulantur.

Sunt alia iura Regia minoris notæ.

2. Primum ergò locum habent Mandata Principum, quę ad legum condendarum auctoritatem referuntur. *Quod Principi placet legis habet vigorem.* Hinc litteris Principum ad calcem inseri solet mandati clausula, *quia nobis ita placet*; auctoritatis plena: *sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas*: non quidem ipsi Regi, qui nihil debet velle, quod ex iustitia non potest; sed subdito, qui in rationem voluntatis Regiæ non debet inquirere, sed obedire: nisi legi diuinæ liquidò repugnet. *Seruus* siquidem *herculis Imperij non censor, sed minister est.* atque *abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, inquirere illicitum, anceps,*

Mandata Principum.

anceps, nec ideo assequare. & ex l. 157. D. de reg. iur. ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris, ignoscitur seruis, si dominis obtemperauerint; quorum iussa capessere fas est.

Vt continentem possident, ita quod eam ambit mare sui iuris Reges faciunt, ad exemplum legis 9. D. ad l. Rhod. de iact. vbi Imperatorem mundi dominum, & legem maris videmus, quatenus scilicet lambit orbem Romanum. sic Leo Nouell. 56. diuidit Bosphorum. Plura imperij in mare exerciti antiqua & noua colligit Le Bret lib. 2. cap. 11. de la souueraineté. nullum solemnius, quàm annuum Veneti Ducis mare Adriaticum subarrantis. 3. Dominatus maris vicini.

Quidquid conspicuum, pulchrumvè est æquore toto,
Res fisci est, vbicumque natat.

Bene acquiritur, inquit Cassiodorus, quod à nullis adhuc dominis abrogatur. Eo axiomate pleraque quæ nullius, quæ communia, quæ publica, sui iuris Principes fecêre veteribus

——— Vsus communis aquarum est,
Nec Solem patrium natura, nec aëra fecit.

Nobis posteriorum sæculorum vsus proprium mare, proprium aëra fecit. Mirantium Christi miraculum tempestates sedantis exclamatio describitur, *Quis est hic? quia venti & mare obediunt illi.* Reges mare & ventos sub imperium redigunt. nauigare, mercari, piscari permittunt, prohibent, portoria, telonea imponunt; Insulas in mari natas, terras pridem inundatas suas faciunt; ventorum vsum molis agitandis concedunt, vetant. quanquam Grotius Mare liberum scripserit esse in Indias vsque, non Iberum. quidque iuris semper sit vsurpatum in mari Batauis vicino. in Isagoge l. 2. cap. 1. 4. Mola. Piscatio.

Flumina etiam nauigabilia, & ex quibus fluunt nauigabilia, portus, ripatica, vectigalia, telonea, pridem à Frederico Imp. inter regalia relata sunt. vnde & libera illa, tuta, & nauigabilia præstare Princeps debet. tit. de littor. custod. lib. 12. C. Vti Tiberius statuit stationes militum, grassaturis tollendis. piscationem pro more regionis sibi habet, Vasallis concedit, aut passim permittit: semper tamen piscandi leges præscribit. 5. Flumina, portus, ripatica, vectigalia, telonea.

Viæ etiam publicæ eodem referuntur à Frederico. & pridem arg. leg. 2. §. viarum. D. ne quid in loco publico. vnde vulgò viæ dicuntur regiæ, in eaque natas arbores vsus regias facit. 6. Viæ regiæ.

Siluæ magnæ & nobiles etiam publicæ sunt, & regales, omnesque quæ non priuatim occupantibus olim cesserunt. multis tamen locis accolis lignandi ius concessum, aut vsu captum est. 7. Siluæ nobiles.

Venationes etiam regiæ sunt. præsertim vt illis exercendis idoneæ 8. Venationes.

leges præscribantur, ita *l. vnic. C. de venat. ferar.* permittit leonum venationem. vnde inferunt aliqui reliquarum ferarum prohibere; quamuis titulus generalis sit de feris, &. *l.* 1. §. *bestias D. de post.* de omni fera, quæ regioni nocet, accipi suadeat. *& tit. si quadrup. pauperiem fecisse dicatur.* Constitut. Frederic. *de pac. tenend. cap. 7.* vetat communi populo venationem *l.* 16. *D. de seruit. rust. præd.* in fundo alieno inuitis dominis, nisi quis è suo fugientes volantesvè persequatur. *argum. l. 2. D. de seru. fugit.* vbique penè hodie occidi vetitæ sunt feræ rufæ & nigræ, scilicet apri, cerui, hinnuli, &c.

9. *Auri, argenti, metalli fodinæ.* Auri argentique fodinæ & quorumcumque metallorum inter regalia recensentur. *l. inter public. §. publica. D. de verb. s.* & viam strauit *l.* 1. *& 2. Cod. de metall. & metallar.* & Senatusconsultum *apud Plinium lib. 5.* Italiæ metalla scrutari interdicens, *& l. nulla. C. Theodos. de metal.* ex licentia Principis permittens. olim quidem priuati iuris fuit metallorum proprietas, *l. fructus, 7. §. 13. D. solut. mat.* sed vbique Reges sui iuris fecerunt, vt deserta & inculta loca, in qualibus solet reperiri. *habitat desertis montibus aurum.*

10. *Argentaria.* Argentarias Fredericus recenset. sed puto eo nomine nummulariam vsurarij publici mensam significari, vt dixi *in iur. Pont. nou. annal. de vsur. n.* 8.

11. *Thesauri.* Addit Fredericus dimidium thesauri in loco Cæsaris, aut religioso fortuitò inuenti. sed le Bret etiam territoriorum dominis, & feudorum partem permittit, si in territorio aut fundo suo fuerit inuentus. *de la souuerainité, lib. 3. c. 6.*

12. *Bona vacantia, nullius.* Bona vacantia, adespota, & nullius, regia censentur. finita linea vnde agnati, vnde cognati, vnde vir & vxor, successor est fiscus. & ex vsu bona bastardorum, & alicubi peregrinorum, damnatorum, præscriptorum, præsertim reorum maiestatis. *d. tit. quæ sunt regalia. l.* 1. *Cod. de bon. præscript. l.* 1. *Cod. de bon. vacant. l. vnic. Cod. ne sine iuss. Princip.* sed alia pleraque multis locis territoriorum domini ad se traxerunt, præsertim fundos adespotos.

13. *Domaniũ.* Denique domanium, quod Regi in dotem regni cedit, regia multa & singularia priuilegia habet. de quibus latè Chopinus *lib. de doman.* sed imprimis protopraxiæ, siue præferentiæ, quod olim solius summæ Reipublicæ fuit. *l. penult. D. de priuileg. cred.* Plinius *epist.* 113. cui accedit aliud dominicorum bonorum, seu Regis priuilegium, maximè apud Gallos, vt Regi de re aliqua litiganti interim possessio cedat. quod etsi sit contra leg. *prohibitum l. defensionis. Cod. de iur. fisc. libro decimo.* admitti tamen potest, cùm Vasallus officio deëst, ex inuestitura debito; cùm finito iure alicuius res redit ad Coronam; cùm controuer-

sia,

sia est de regalibus, non communicabilibus. In compendijs autem pœnarum nullatenus est admittendum, sed quod ait *lex vlt. C. Theod. de appell. salua Maiestatis nostræ reuerentia, ius nobis cum priuatis non dedignamur esse commune.*

De feudis, bonis emphyteuticis, censualibus, libellarijs, alaudialibusque nihil attinet dicere, quia non sunt Principum singularia. 14. *Quid de feudis, &c.*

Ad Principem solum etiam spectat abolitionem aut remissionem criminum concedere. *l.* 1. *C. de senten. pass.* vbi restituit Imperator ad preces Præfecti Prætorio; cuius erat infra eum summa potestas, neque tamen eo porrecta. Senatus ipse sententiam non poterat reuocare. *Sed non Senatui*, inquit Tacit. *lib.* 11. *libertas ad pœnitendum fuit*, generatim Iudex officio definiendo functus, causam retractare non potest, *l. quod iussit, D. de re iud. l. pœnam, C. de pœnis.* Eiusmodi clementiam cum examine causæ exercendam *lib.* 1. *cap.* 20. diximus. Regia porrò causa est, inaugurationis dies, seu iucundus introitus in regnum, aut nobilem ciuitatem. *l. si interueniente. D. ad Turpil.* & summè regia olim obtinuit, vt in die passionis Dominicæ carceres reis spoliarentur. *Hodie*, inquit S. Cyprian. *patent carceres, damnati libertate donantur, seueritate depositâ Iudices mansuescunt.* sed & iusta clementiæ causa semper fuit, & publica, maiorum in Regem aut Rempublicam merita: condonata Quintio res ad Veros malè gesta, ob merita Cincinnati, Liu. *lib.* 4. Æschylo delicta propter Amintam, Salomoni dilata diuisio regni propter Dauid. Enimuerò non dabatur absolutio in peculatu. *l.* 3. *Cod. de abolit.* periculosa siquidem inciso regni neruo. Hodiè non datur tantùm, sed & parum nimis inquiritur in multos prædones impunè in publico ære grassantes. vnde quæ non plurima Reip. deliquia? 15. *Abolitio, remissio.*

Immunitates etiam, vacationes, & priuilegia concedere solius est Principis. *l. vnic. Cod. de his qui à Principe vacationem acceperunt, tot. titul. de excus. mun.* quia eius est legem ferre, *l.* 1. *D. de constitut.* condere, interpretari, æquitate mollire. *l.* 1. *Cod. de legib. Inter æquitatem*, inquit, *iusque interpositam interpretationem nobis solis & licet & oportet inspicere.* Qui ergo de oneribus communem legem fert, soluere potest, quia supra legem est. *Omnibus autem à nobis dictis*, inquit Nou. 105. *Imperatoris excipitur fortuna, cui & ipsas Deus leges subiecit. legem animatam eam mittens hominibus.* Rarò tamen & magna ex causa procedere debet eiusmodi exemptio: quæ vel Regijs prouentibus nocet, vel alios aggrauat. Etenim quãuis largitas & benefacta Principis sint amplianda, tamen priuilegia sunt minuenda. *Tum lex præclarissima*, inquit Cicer. 3. *de legib. quæ priuilegia tollit.* 16. *Immunitatum concessio & priuilegiorum.*

17. Naturalizatio, legitimatio, nobilitatio, &c.

Solius etiam Principis est ciuitate aliquẽ donare, Quiritibus ascribere, iure aureorum annulorum donare, atque equestri ordine, & laureâ doctorali, titulis Baronum, Comitum, Palatinorum, Marchionum, Ducum, & si quæ aliæ sunt *honoris vmbræ & simulacra*, naturalizare, vt loquimur, & nobilitare. *l. 1. l. quæris. D. natal. rest. l. 1. C. de natural. lib. c. venerabilem x. qui fil. sint legit. l. 1. C. de iur. aur. annul.* Natales inquit *antiquos & ius ingenuitatis non ab ordine decurionum præstari, sed à nobis peti potuit. Sæpè*, inquit Cicero 5. *in Verrem, etiam Imperatores nostri superatis hostibus & Repub. optimè gestâ, strenuos annulis aureis in concione donarunt.* Adoptione etiam mutari familia citra Principis assensum non potest. *l. 2. C. de adopt. Iure*, inquit Cicero, *pro domo sua, à maioribus prodito, nemo ciuis Romanus in alterius potestatem transire potest, nisi populus auctor fiat.*

18. Armannia.

Sed & Fredericus primo loco inter regalia ponit armannias, quas Cuiac. ad eam Const. potiùs arimannias vult, quæ videntur ei esse officia apparitorum, vel fabricę, & publica armamentaria. Vtrumq; suâ ratione vestit: Prius quòd Magistratus creatio numeretur inter regalia *ad l. Iul. D. de ambit.* Alterum quòd arma ad Principem spectent, *Nouell. de arm.* sed Ioan. Ferrar. Mont. *in vsus feud. lib. 5. c. 7.* Prouentus ex armentis significari cupit, & Andream de Isernia perstringit in ea voce hallucinantem. Ego existimo legendum esse almanniam ab *altman* quod seniorem significat, vt sit altmannia senioratus. cuius vocis dignitatem explicuimus, *lib. 1. c. 38.* apud nos Ammanni euphoniæ causâ; vel Altmanni apud vicinos, sunt Prætores, Præfectivè vrbi, de quibus diximus *lib. 1. c. 22.* vnde Fredericus dum inferiùs inter regalia recenset, *potestatem constituendorum Magistratuum* adiunxit *ad iustitiam expediendam*, qui sunt moribus nostris seu Germanis Scabini, vt eodem loco diximus, quò mihi verisimile est Frederici distinctionem respicere. & quæ citat vlteriùs Cuiac. locatas ciuitates cum ammannijs suis, secundùm lectionem nostram significat ambitum quousque iurisdictio Ammanni porrigitur; eum enim teutonicè sensum ea vox apud nos etiam habet.

Cursus etiam publicus & euectionis copia regali tantùm numini est reseruata, *l. Iudicibus. C. de curs. pub. l. nullus eod. l. 137. de verbor. ob. l. 6. C. d. t.*

19. Arma & quicquid eò pertinet.

Vt armorum mouendorum copia non nisi ex nutu Principis tribuitur, *l. vnic. C. vt arm. vsus*, nec antè legem Regiam consuli, si legem curiatam non habuisset, attingere rem militarem licebat. Cic. *Phil. 7.* ita neque priuato licuit ad exercitum scribere, neque mutari numeros, *nisi hoc Augusta maiestas publicæ vtilitatis causâ fieri iusserit, l. con-*

l. contra de re milit. nec vrbes muris cingere, *l. 9. D. de rer. diuis.* militem legere sine probatoria Principis. *l. neminem. 17. C. de re milit. lib. 12.* saluam guardiam concedere hosti aut reis. *l. cùm sæpè. C. de erog. mil. an. lib. 12. l. iubemus C. de præpos. sac. cubil. lib. 12. Edict. 12. Iul. an. 1611. ar. 45.* vectigalia, tributa colligere, *l. 3. C. Vectig. nou. inst. non pos. l. 10. D. de publican. Ad hoc tributa præstamus,* inquit August. *lib. 22. contra Faust. Vt propter necessaria militi stipendium præbeatur.* quem habere non licet nisi Principi. Sed & Regiæ Majestatis est, vt illius tantùm *domus, & patrimonia titulorum inscriptione legantur, l. 1. C. Vt nemo priuat. præd. tit.* quin & illi dumtaxat competit sacro encausto litteras munire. *l. 6. C. de diuers. rescript.*

Denique angarias, parangarias, plaustrorum & nauium præstationes, & extraordinariam collationem recenset Fredericus, & ad auctoritatem imperandæ pecuniæ pertinent. atque de his omnibus latiùs Le Bret. *de la souuerainitè.* Besold. cautè legendus *de iur. Maiest. sec. 3. c. 8.* Azor. *inst. moral. part. 2. lib. 10. c. 7.* 20. *Angariæ, collationes, &c.*

Sed huiusmodi regalia magnâ sui parte ærarij vtilitates sunt potius, quàm imperij iura. quæ Summo Principi in signum Supremitatis reseruentur. illorumque communicatio est quædam cum inferioribus, sed quoad vtile dominium dumtaxat, eo modo quo à laicis decimæ, quoad vtilitatem, non quoad directum dominium, quod ius spirituale est, possidentur. fluuntq; à Majestate tamquam fonte, & effectus à causa. Ideoque in his concessionibus nunquam suprema auctoritas censetur comprehensa, sed penes concedentem semper maior reseruata, quam sit concessa. *arg. c. dudum. §. hoc igitur de præbend. in 6.* Besold. *de iur. Maiest. sec. 3. c. 9. n. 2.* 21. *Ærarij vtilitates.*

Comitiorum etiam cogendorum auctoritas Regia est: *Post imperium,* inquit Tacitus, *à Tiberio initum ita desierunt fieri comitia, vt numquam postea populo restituta sint.* quia scilicet, *ad curam Principis,* inquit, *l. vnic. D. de amb. hodie omnia pertinent.* sed verò ante Imperatores Populus volebat, iubebat: hodie regnorum Ordines suadent dumtaxat Regi consultanti. *Quid porrò maius,* inquit Cicero 3. *de leg. si de iure quærimus, quàm posse à summis Imperijs, & à summis potestatibus comitia & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Francorum Regibus,* inquit Sigelbertus, *moris erat Kalendis Maij præsidere coram tota gente, & salutare & salutari, obsequia & dona accipere.* sed maximè rerum agendarum consilia in statu rerum perplexo. ad morem Prophetæ, *Cogite,* inquit, *omnes populos, vt inter me & inter populum iudicent, si quid à me fieri debuit quod ipse non fecerim.* 22. *Comitia.*

Referri solet & inter Regias actiones academiarum erectio. ad modum quo Pharao *constituit* Ioseph *dominum domus suæ, & Princi-*

pem omnis possessionis suæ, vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. Pluribus prosequitur Le Bret. *de la souueraineté. lib. 4. c. 12.* facit *l. 1. C. de stud. liberal. vrb. Rom. C. de profess. &c.* sed quo generaliores sint, solet Papæ accedere auctoritas. *x de Magist.* ab eoque literæ erectionum magis ad Regum instantiam quàm à Regibus dari solent. Laicos duntaxat laudant auctores Vniuersitas Leydensis, aliæque Romanam doctrinam aspernantes.

23. *Nundinæ.* Nundinarum etiam priuilegium Regium est. Le Bret *lib. 4. c. 13.* rerum euehendarum, inuehendarumque auctoritas, æstimatio, sine monopolijs iusta negotiatio, collegiorum mercatorum, artificum inspectio, admissio. Idem *lib. 4. c. 4.*

24. *Deo & Ecclesiæ subesse.* Denique Regium est cogitare *cuncta mortalia incerta, quantoque plus adeptus sis, tanto magis te in lubrico censeas, horæ momentum interesse, inter solium & aliena genua, Supremum omnium esse Deum deorum & Dominum dominantium, per quem Reges regnant, Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt; esse vnam sanctam Ecclesiam Catholicam constitutam super gentes & regna: esse in ea vtrumque gladium: alterum pro Ecclesia, alterum ab Ecclesia, exercendum: illum sacerdotis, hunc manu Regum, & militum; sed ad nutum sacerdotis: esse gladium sub gladio: temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati: si deuiat terrena potestas, iudicari à spirituali potestate: si deuiat spiritualis minor, à suo superiori: si suprema, à solo Deo. eam etsi data sit homini, & exerceatur per hominem, non humanam, sed potiùs diuinam ore diuino datam,* ita. *c. vnam de maiorit. in Extrauagant. Omnia,* inquit Val. Max. *Rub. 1. post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ Maiestatis conspici decus voluit.*

25. *Quid de cætero iure regio à Samuele propositio?* Quid ergò dicemus de reliquo iure Regio, quod Samuel proposuit populo Regem postulanti? *1. Reg. c. 8. filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, &c. filias vestras faciet sibi vnguentarias & focarias, agros, vineas, & olineta optima tollet & dabit seruis suis, vinearum reditus addecimabit; seruos, & ancillas, & iuuenes optimos & asinos auferet,* &c. sine dubio non hoc ius Regi permissum fuit: sed Samuelis præmonitio populũ deterrentis. alioquin nõ rectè Elias increpasset Achab propter vineam Naboth. Legediuinâ Rex tenetur, vt quiuis, vt abstineat alieno. *Væ,* inquit Isaias, *qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vt auferatur aliquid proximo suo.* Dauid nec in locum sacrificij Iebusei Areunæ aream occupare voluit, sed emere pretio. *Non accipiet Princeps,* inquit Ezechiel, *c. 46. de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum.* Perstitit tamen populus. *Rex erit,* inquit, *super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*

26. *Bona subditorum nõ dominio, sed imperio possidet.*

Omnia hæc verba suam emphasim habent. I. *Rex erit super nos.* supremi-

premitatem Regis continent, qui super omnes, super quem nemo. *In Dei solius potestate sunt* (Impp.) *à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes.* Tertul. *Apol.* c. 30. 28.

Erimus nos quoque sicut omnes gentes. periculo vtique isti subiecti, apud quas ea incommoda sæpiùs obtinebant, qui suos magis vt seruos habebant, quàm vt subditos. vt etiamnum multi Asiatici, Africi, Americani Reges: qui proximè absunt ab ijs, qui imperium habent in belluas. *Sicut omnes gentes.*

Vnde & Turca Magnus Dominus rectiùs quàm Rex dicitur. 29. Regum vera auctoritas est in liberos subditos, quorum tantò dignior autocratia, quanto digniores subditi. vt communi omnium iudicio Europæorum Principum dignius imperium, quàm omnium barbarorum. Consequenter inter Europæos, qui subditos habent digniores, grandiores, potentiores. adeoq; Romani Imperatoris Majestatem etiam ideò ceteras præcellere semper existimaui, quòd sub imperio tam sublimes Principes habeat, quam nullus alius dominatus. vt Romani veteres, cùm ad summa fastigia venêre, *habuêre instrumenta seruitutis & Reges*, quo imperij dignitatem non obscurari, sed magis splendescere existimarunt. vt non derogat lumini Solis septem Planetarum, aliarumque stellarum claritas. Malè ergo semper sunt mihi visi de Rege, & regno suo mereri, qui titulo supremitatis multa subditorum iura Regi suo vendicant. non quasi impatienti consortis, (quod Solis & omnium Principum est) sed omnium radiorum atque cuiuscumque emicantis splendoris: eoque quo Rex plus splendoris habet, subditi minus; quo Regem Asiaticæ, Africanæ, Americanæ, absolutæ potestati viciniorem faciunt, subditos hominum propriorum, mancipiorumque conditioni viciniores, eò Reges suos alijs præferendos barbarè contendunt. *Cur Europæorum Reges cæteris digniores? Qui inter illos? Ante omnes Rom. Imperat.*

Sed redeamus ad verba iuris Regis à Samuele postulati. *& iudicabit nos*, inquit Populus. Emphasim habet hoc verbum, vt sicut anteà Iudices in populo illo rerum potiebantur, ita summa illa rerum transferatur in Regem. quemadmodum lege Regiâ populi omnis auctoritas in Vespasianum. Monet & hoc verbum vt Reges ex iure & iustitia regant. id enim est iudicare, non vt pro iudicio & ratione habeant voluntatem. 30. *Quæ virtus verborum iudicabit nos?*

Rursus; *& egredietur ante nos.* quod tam spectat ad supremitatem, quàm vt Rex admoueat manum operi, summæ rerum intendat, Rempub. curet. 31. *Egredietur ante nos.*

Iterum; *pugnabit bella nostra.* defertur arbitrium belli. & (quoniam contrariorum eadem est disciplina) etiam pacis. quæ res penè 32. *Pugnabit bella nostra*

est

est,in qua maximè elucet regia auctoritas,& quem ob finem, innocentiumque, in quorum tutelam vocati sunt, defensionem, Reges, Dynastæ, & cuiuscumque nominis Principes inuenti sunt.

33. *Pro nobis?* Extrema iuris Regij verba sunt *pro nobis* : seu in Rempub. vt suprà ex lege Regia Vespasiani citauimus hæc verba ; *Vti ex vsu Reip. Maiestate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumq; rerum esse censebit.* vt Reges omnes sciant populi sui causâ se esse constitutos, in rem populi actiones omnes suas dirigere debere, non spectare suas vtilitates, libidines, voluptates.

34. *Lex Regia Samuelis non derogauit supremitati: vti nec alia alibi, dummodo alteri nõ subijciat.* Denique Samuel postquam cessisset populo, & sorte in Regem electus esset Saul, 1. *Reg. c.* 10. *locutus est ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* firmauit ea ceremonia, non infregit auctoritatem Regis. Qua ex re rectè inferimus leges regnorum dominatuumque fundamentales, non imminuere dignitatem Regum, ac Principum, nihil supremitati derogare. *quod suprà diximus.* Vt non ex eo quod Reges Galliæ (qui acerrimos habent scriptores & assertores suæ souueranitatis, & qui, si illi penè despoticè non *dominentur, iniuriam illos accepisse existimant.*) diuinis legibus teneantur,& præter ea quę diximus *suprà ex Franco-gallia Hotomanni, c.* 15. 25. lege Salica obligentur, nec Principibus inferioribus sua territoria,iurisdictionesvè abrogare, (tametsi lege Regia Romana ad Imperatorem omnium Magistratuum & iurisdictionum auctoritas spectarit) subhastata officia, ciuilia, aulica, militaria nequeant auferre, Principes consanguineos morte mulctare, Parium dignitates, Parlamentorum consessus abrogare, & sexcenta alia regni Ordinibus, Prouincijs, ciuitatibus promissa : Tametsi Clodouæus Hormisdæ & Sedi Apostolicæ coronam auream miserit, quasi submissionis tesseram : Carolus Magnus alijque annuos denarios Sancti Petri per singulas domos colligi permiserint: tametsi in consecratione Regum Galliæ, antequam præsententur consecranti, rogetur Populus an Regem acceptet : in memoriã, vt reor, quòd olim Franci Galliam occupaturi natali loco exierint, vt examen apum, non cum Rege, quem domi habuerint, sed quem migrantes elegerint : vt pleræque gentes, quæ alias terras inundarunt, vt apud eos legimus qui historias & migrationes gentium scripserunt : quæ vt pleræque ex Septentrione prodierunt ; ita ferè omnibus quadrauit quod scribit Tacitus ; *In Germania & Gallia tum Reges erant auctoritate suadendi, non iubendi potestate* : Tametsi, inquam, hæc ita se habeant in Gallia, aliaque multa sint vsu, & consuetudine introducta, quæ Rex pro lubitu inuertere non possit, ex fundamentalibus regni legibus, scripto aut traditione susceptis : quæ Romæ olim & alibi secus

35. *Liquet nobili exemplo Galliæ.*

cus se habuerint : non ideò supremitatem abrogare Regi Franciæ quis ausit, nec abrogauit quisquam Parthis, Persis, Medis, tametsi *Danielis* 6. legamus quòd *lex Medorum atque Persarum est, vt omne decretum quod constituerit Rex non liceat immutari* : adeoque sit passus Rex ille inuitus abiectionem Danielis in lacum leonum. quin & ipsi Romani diuersis fœderibus & pactis obstricti fuerunt Latinis & Prouincialibus subditis. Hæc, inquam, non officiunt supremitati; sed eam semper fundamentales regni leges præseruant sartam, tectam; dummodo superiorem in temporalibus non recognoscant. quod in Rege Galliæ inculcat Innocent. III. *in c. per venerabilem. x. qui fil. sint legit.* qua de re post Philippi Pulchri tam enixam contentionem cum Bonifacio VIII. eiusque Const. *Vnam. de maior. & obed. in Extrau.* tanto studio à Clemente V. obtenta extat alia Extrauagans *Meruit*, *de priuilegijs.* qui tamen Pulcher sine inuidia passus est per totum regnum multos dynastas communicatis plurium notarum Regiarum radijs splendere. alijque post eum vsque ad Ludouicum XI. qui regnum se ex ephebis emisisse gloriari solebat. neque veteres tamen illos Reges souueranos non fuisse iure quis dixerit. tametsi & illi & hodierni comprehendi non possent souueranorum definitione, quam aliqui protrudunt illiusmodi, vt sub eius rigorem redigi nullus hodie Europæus Princeps possit. quamuis ea verba sint plurium significatiua, à populo inuenta, rebus vt extant, & populariter applicanda, non vnis forsitan vt propria, & minus idæis Regum in spacijs Orbis imaginarij regnantium.

36. *Persarum. Romanorum.*

37. *Ab impossibili.*

CAPVT II.

Ratio dicendorum, atque imprimis de supremarum legum iure ac vinculo.

PErstrinximus breuiter Regias notas primæ atque secundæ classis. sed de primis latiùs hîc dicendum est, vt magis proprijs. & quidem materiam condendarum legum, creandorumque Magistratuum lib. III. tractauimus, tamquam ciuilem. quoad causam verò suam efficientem vtraque huius loci est. Solius quippe Principis est leges ferre. *l.* 1. *D. de Const.* & Magistratus creare. *l.* 1. *D. de amb.* Superest igitur vt de primis latiùs dicamus, adeoque vt legati, bella, fœdera, pax publica, inducìæ, salui conductus, infractiones, repræsaliæ, moneta, vectigalia suum deinceps locum habeant. & quoniam status publici mutationes periculosæ hisce insunt,

insunt, inuersionesve ab euersionibus saepe parum, saepe nihil absuerunt, vt arcana quædam paucis complectamur, quibus Regia, & Democratica, & Aristocratica gubernatio suis singulæ sedibus seruentur, & à fallacijs contrariorum conatuũ protegantur. & quia augustissimum dixit Philosophus esse consultare; de consultatione etiam dicendum est, & demùm Miscellanea aliqua pro coronide Monita subijcienda.

1. *Potestas Regia ad salutem publicam.*

Igitur tametsi Princeps legibus solutus sit, vt suprà diximus, tamen summa Imperij potestas Principibus data est, vt in Rempub. vtantur, non abutantur. *in ædificationem, non in destructionem.* traditur Principibus Imperium in publicam salutem, nõ in meram voluntatem, vt in viro bono. *l.* 75. *D. leg.* 1. vt tutentur Remp. non perdant: vt subditos regant, non dissipent: vt pascant oues, non deglubant, non lanijs vendant: alioquin vis est, non potestas. qualis eorum fuit, qui primi in vicinos surrexerunt, progressi in familias, gentes, populos. quo redigitur ab argumentis, quæ ipsi sibi obijcit Alberic. Gentil. *quæst. regal. de potestate Regis absoluta.* vbi tam absolutam potestatem astruere ille contendit supra omnes, contra quos stomachatur Alciat. *L.* III. *de V.S.* quod vbique laqueos tendant Satrapæ, hallucinentur Theologi, adulentur Iurisconsulti, persuadeant omnia Principibus licere, summamque eorum, & liberam esse potestatem. quæ tamen verè ob vtilitatem ciuium inducta est, non ipsorum regnantium. instar Medicorum verè, etsi Gentilis rideat, quos honorare præcipimur. *Propter necessitatem enim creauit eos Altissimus.* vt & Reges: quos incorrupta natura non nouerat. Neque porrò populus amens vspiam adeò fuit, qui Regem sibi statuit eâ mente, vt potestate abuti posset, in destructionem. Quæ vt Gentilis aliaque diluat, dilabitur ad Afros, Asiaticos, similesque: demum ad populos vi captos, ac bello, qui pro victoris voluntate parere habent, non pro ipsorum lege vlla, quam nec ponere vllam valeant. quo & redigit suos à Fergo Hiberno, & Guilielmo Nortmanno victos. quò ergo reijcit eos subditos, nobiles, milites, quorum manibus vicit Fergus, & Guilielmus, eorumque posteros? vt pro præmio sortiantur conditionem captiuorum? quo loco eos habet, qui ipsi à Fergo & Guilielmo descenderint, etsi non omnes ad Coronam vocari potuerint? an horum Reges sunt tantùm, an & illorum? Denique dum de Imperatore contemtim, de Gallo & Hispano ineptè sentit, quid de Anglo tam gloriosè, cuius à legibus Regni & Parlamentis magis restricta potestas, quam illorum? Sanè Regni leges souueranitatem non tollunt; *vt tetigimus & in iur. Pont. anal. t. de Relig. domib.* iudicio communi Regum,

popu-

populorumque, & in primis Populi Romani: cuius scito *Princeps solutus est, sed quod Principi placuit legis habet vigorem.* Romanis Romulus *vt libitum imperitauerat.* Tac. 3. *Annal. Reges omnem potestatem habuerunt, omnia manu à Regibus gubernabantur. l. 2. D. de orig. iur.* & tamen Seruius Tullus *sanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent.* Tac. quis tamen negarit eos ad Superbum vsque supremos fuisse? & *d. l. 2.* indefinitè loquens ad vniuersos porrigitur. & verò lege Regia, quam ipse Gentilis citat (sed quam ex ænea tabula aliter Besold. *Siclex Regia interpretanda.* 2. *diss. pol. 1. de Monarchia generatim, c. 5. Vti quæcumque ex vsu Reip. maiestate diuinarũ, humanarum, publicarũ, priuatarumq; rerum esse censebit, ei (Vespasiano) agere, facere, ius potestasq; sit, vti Augusto fuit*) nõ quod lubet, licet. Augusto potestas nõ pro lubitu fuit, ex Senatus iudicio agere solito, nisi quod impetrarit, vt ob numerum nimiũ liceret seligere viginti senatores, quibuscũ deliberata perinde essent, ac si à senatu toto probata essent. Iterum, *quæ ex vsu Reip. & Maiestate esse censebit.* non alia. at censura ei permittitur. sed scimus quæ sic alteri quo cum contrahis permittuntur, ad arbitrium boni viri referri. & verba vsum Reip. & Majestatem reseruant. realem scilicet, personalem Vespasiano in exercitio & censura, vt dixi, ad boni viri sententiam.

Quapropter quoniam natura difficile intra sanctos rationis limites consistit, apud multos populos translatæ in Principes omnimodæ potestati aliquæ cautiones additæ sunt; quibus intra termi- 3. *Prudenter supremitatis exercitium disertis Regulis dirigitur, vt in Brabantia.*
nos deuia ministrorum regiorum incuria, alijvè errores retinerentur. In ipsis Romuli legibus, qui Romam, & in ea potestatem Regiam condidit, lex quinta est: *Populus Magistratus creanto, leges sciscunto, bella decernunto.* Ita Brabanti & ferè Hollandi, Grot. *in Republic. Bat. cap. quinto.* in Læto Introitu à Principibus iam olim, atque hodiè obtinent, vt in eos non imperio, sed lege atque iudicio agatur. *articulo primo*, vt ne pro lubitu vitæ necisque potestas exerceatur. Iuret se inaugurandus Princeps, Magistratus, officiarios dignos, qualitatibusque ab Ordinibus requisitis præditos creaturum, *artic.* 5. 6. 9. 10. 16. 19. 22. 23. 37. 38. sine pecunia à manu, aut opera, *articulo septimo*, qui in patria resideant, *articulo septimo.* ius dicant, *artic.* 24. 25. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 48. 53. 54. 55. *in Addit. Philip. artic.* 23. 4. 5. 6. 9. 11. patrio idiomate, *articulo octauo.* ex patrio more, *articulo decimo.* in competentibus tribunalibus, *artic.* 36. 39. 42. intra patriam, *artic.* 17. 24. 51. per se, non elocato, vt non empto officio, *artic.* 12. 22. 23. Comitia Ordinum intra patriam, cùm res exiget, habiturum. cum summa opinantium libertate, *art.* 41. priuilegia non imminuturum, *art.* 2. 45. 56. 57. 58. bella non indicturum, aut pignorationes, nisi de Ordinum

consilio, & assensu, *art.* 3. titulo atque insignibus Ducatus vsurum, atque sigillo, *art.* 4. de dominio omnino nihil imminuturum, *art.* 18. flumina viasque publicas tutas, idoneas nauigationibus, & itineribus seruaturum, *art.* 13. 14. 15. *art.* 9. *in addit.* 2. *Philip.* fruges seruandi à feris, & ritè venandi libertatem seruaturum, *artic.* 33. 34. 35. *art.* 8. *in addit. Philip.* & piscationem, *artic.* 15. quæ omnia iusti Principis sunt, iustâ potestate vtentis. Atque ob id audio, cùm aliqui his calumniam struxissent, oggerentes quædam in Læto Introitu Principe non digna deprehendi, curauit Albertus Pius seriò omnia per intimos Consiliarios, etiam non Belgas, examinari, qui responderunt patrium illud ius nihil indignum continere. cumque eadem calumnia tacitè Ordinum aures pulsasset, legauerunt ad eumdem Principem, qui dicerent libenter Ordines rationem omnium daturos, vetera monumenta, antiquas membranas, vsum anteriorum Principum: at Albertus sibi factum esse satis respondit, priscos ritus ad amussim seruaturum. vt fecit sanè religiosissimè.

3. *Huiusmodi leges fundamentales ditionũ Maiestatem non tollunt.*

Patrium istiusmodi ius supremitatem non abrogat, vt diximus. alioquin & Galli Reges, quorum Monarchia nullam magis regiam fingi posse ait Bodin. *l.* 2. *c.* 1. *de Rep.* extra hanc calumniam non foret, cùm illis sine publici Consilij auctoritate statuere nihil liceat, quod ad statum Reipub. in vniuersum pertineat, si credimus Hotom. *in Franco-gallia, c.* 25. pactum eorum ratum non sit nisi à Parlamento probatum *c.* 15. nec bellum licitum nisi ex Parlamenti decreto; nec monetæ mutatio, Magistratuum Regni exauthoratio, &c. *c.* 15. nam id nihil impedit. vt neque si etiam ex more gentis primores, Senatusvè, ac Ordines audiri consiliumque exquiri soleat, imò debeat, & consensus, ex legibus fundamentalibus ditionis. non enim hæc Maiestatem alteri deferunt, sed exercitium potestatis moderantur ne deuiet. dummodo huiusmodi Ordines suo Principi ius ipsi dicere, imperare, sciscere ipsi, mandata præscribere non possint, vt Duci suo Veneti, & similes. nam supremus est, qui ante alios, ante quem nemo. *l.* 34. *de vulg. & pupill. l.* 9. *de reb. dub.* ita Imperialis fortuna omnes dicitur supereminere. *l.* 7. *C. de bon. quæ lib.* à Deo coronam accipere *Nouel.* 82. *c.* 4. *in fin. Nou.* 83. *c.* 1. *l.* 1. *C. de vel. iur. enucl. l. fin. C. de leg.*

Martialis non aliud exigit, quàm

Qui Rex est Regem Maxime non habeat.

Quod & resonat illud Horatij;

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

Deo ergo soli Supremi subsunt Principes, nulli homini.

Inde

Inde qui Majestatem habent, qui Supremi sunt, Dei Gratiam Principis titulo præponunt. Sed neque tamen olim aut hodie Imperator Romanus, nisi per Synecdochen orbis vniuersalis dominus est, fuitvè. sed neque summus Roman. Pontifex. cuius *de iure sæculari* Marc. Anton. Marcel. libellum dedit, quo in singulas quod prætenditur ditiones examinat.

4. *Vt in Belgio.*

Porrò si qui populi olim liberi sui iuris, suæ potestatis, elegerunt sibi Principem certis pactis, quos ideò pactitios vocant, omnino ea pacta inspicienda sunt, an Majestatem ei solidam deferant, an partem præseruent. Ij autem populi, qui ex successione Principem habent, etsi lucis causâ ei iuramentum proponant, quo officium boni Principis explicatur, nihil officiunt Majestati. vt nec priuilegia antiquitus obtenta. *d. c. 3. n. 4.* ob quæ subditos priuilegiarios vocant. vt sunt Belgæ. qui hæreditarium omnes Principem habent, non ipsi imperium detulerunt. nisi fortè ijs qui hîc ante Romanos, & Francos dominati sunt, quorum pridem tabulæ interierunt. vt & naufragia sua prodit Grot. *in Reipub. Bat. antiq. c. 4. & 5.* vt absurda sint, quæ habet Besold. *de iur. Majest. c. 5. n. 3.* de conditionatis Belgis ex Meterano. neque enim Status nostri atque Ordines aut Populus in Principes, vt Ephori olim in suos, ius habent. Id tantum Brabanti habent, vt si iura patria Principes non seruent, interim vices obsequiorum reddere non teneantur; dormiat obligatio subditorum; positiuè ipsis statuere nihil liceat. olim ante Romanos & Francos esto licuerit, cùm sibi Principes hæ ditiones eligebant optimo, aut restricto iure: non postquam Franci, alijque has ditiones olim subiugarunt: dynastæ iure patrimonij tot sæculis possederunt.

5. *Sed neque clientela feudalis.*

Rectiùs quidem Loyseau clientelam etiam & quamcumque seruitutem non extinguere, etsi dedecoret nonnihil, supremam potestatem. ad priuatum dominium ea, non ad potestatem pertinent. & quæcumque seruitus quamuis vilis veram proprietatem non impedit. *l. rectè dicimus de verb. signif.* alioqui regna à Bodino *l. 9.* & Loyseau *c. 2. n. 46.* enumerata contra communem sensum souerana, ac suprema non essent. quod explodit etiam Gudelin. *iur. nouiss. lib. 5. cap. 2. in princip.* sicut & Iuramentum fidelitatis supremæ potestati non officit. nam & hoc Imperator Rom. Papæ præstat. *Clem. vn. de iureiur.* Greg. Tholos. *Syntagm. l. 6. c. 7. l. 18. cap. 2.*

6. *Sed tamen nisi extraordinaria causa sit, Princeps*

Verum enimuerò sed neque Princeps ordinariâ potestate omnia extra leges tractare debet: sed extra ordinem, cùm res exigit & publica salus. alioquin regit, & viuit suis ipse legibus. quas non vllâ magis ratione sanctas atque æquas ostendere potest,

ordinario iure vti debet.

quàm si exemplum in se, sequelam in alijs dederit.

Porrò subditi iustis Principum legibus ex re & salute publica latis etiam in conscientia obligantur; tametsi pœnam etiam habeant annexam. vt optimè in re monetaria an. 1633. censuit Facultas Theologica Louanien sis & Duacēsis per testimonium vtriusq; Apostolorum Principis. imprimis per Regulam quā figit Petrus *ep. 1. c. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ. an ad oculum*, inquiunt Louanienses, *tantùm, an ne pœna vos comprehendat? nequaquam, sed propter Deum. an Ecclesiasticis tantùm, nec ciuilibus potestatibus? siue Regi*, inquit Petrus, *quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis. quid ita? an quia hominibus ita placuit? quia sic est voluntas Dei.* Alter verò gentium Doctor *ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ecclesiasticæ vtique non tantùm, sed & ciuili: *Non est enim*, inquit, *potestas nisi à Deo. an illis*, inquiunt rursus Louanienses, *tanquam hominibus fortasse resisti potest? Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. At forsan sine noxa conscientiæ. qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. An liberum forsan est edictis eorum obtemperando subijci, vel non subijci? idò necessitate subditi estote. At si ne culpa conscientiæ dūmodo pœna subeatur: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Et cur tam stricta debetur mandatis hominū obseruatio, & obseruātia? ministri enim sunt Dei in hoc ipsum seruientes.* ita Louan.

7. Legū vinculum subditos ligat etiam in conscientia quamuis adiecta pœna.

Nullatenus igitur pœnæ adiectio legis vinculum soluit & stringit. vt gehennæ comminatio diuinas leges non eneruat. alioquin sine culpâ æternum damnati supplicium paterentur.

8. Nisi materia diuersum suadet.

Et quamquam alia in materia quæ non continet salutem publicam, controuerti forsan possit, an pœnâ legi adiectâ, legislator non parentes subijcere, nō culpæ, sed pœnæ tantùm periculo voluerit: tamen non est locus isti quæstioni quando actus prohibitus non tantùm est à lege ciuili, sed etiam diuina damnatur, atque naturali, aut quod mandatur salutem publicam spectat,

Quod si porrò de venatione per Principes prohibita, atque aucupio ageretur, cùm naturali iure ea permissa censeantur, & sic apprehensa occupantium fieri: per me liceat vt in dubium vocari possit Principum prohibentium voluntas, an extendatur ad conscientias vinciendas, an tantùm aleæ periculoque pœnę subijciendas, in alijsque materijs vbi neque iustitiæ ratio, neque publicæ salutis necessitas ita militat, sed finis legis est talis, vt vno in loco prohibitio iusta esse possit, in alio permissio, vbi res sui naturâ sunt adiaphoræ, & in vtramq; partē flecti possūt, pro nutu legislatoris, sine offensa publici boni: sed in negocijs vbi quidpiā sancitur, quod ad salutē publicā, quæ suprema lex est, dirigatur, à ratione alienū est sentire huiusmodi ordinationes nullo nexu animas vincire.

CAP.

CAPVT III.

De legum-latione.

LEges condere soli Imperatori est concessum. leges interpretari solo dignum est imperio. *leg. fin. C. de leg.* leges confirmare: *l. 2. C. de decur. const.* leges mutare. *l. 1. pen. vlt. C. de leg. l 35. de reg. iur.* seu legem ferendi auctoritatem dare. sic Prætores olim ante edictum perpetuum, ius quod dicturi essent edicebant, & ædiles. neque enim refert per se quis, an mandatarium faciat. *l. 6. §. 1. D. Quod cuiusque vniu.* sed tamen Principes à Senatu, à Præfecto Prætorio probari leges voluere. *l. 8. C. de leg. Nouell.* 151. 152. neque aliter promulgari. quam auctoritatem pridem in Gallia solemniter vsurpauit Parlamentum Parisiense. priuilegium dare, gratiam, ac dispensationem super legibus eodem pertinet, iudicata mutare, gratiam facere criminis, & pœnæ corporalis, famæ restituere, spurios legitimare, contra ius rescribere, generaliter demum legem soluere. sic tamen vt meminerit Philippi Macedonis, qui Harpalo pro reo intercedenti respondit: *Melius est vt ipse qui deliquit ignominiam ferat, quàm ego.* 1. *Ad solum Supremum Principem spectat legē ferre.*

Nam & ad Majestatem pertinet legum custodia, & vindicta contemptus, & armari iura gladio. *Istorum*, inquit Iustin. *alterum alterius semper eguit, & tam res militares legibus, quàm ipsæ leges armorum præsidio seruatæ sunt.* Sic & ille Imper. *apud Gunt. l. 8.* 2. *Et seruandas curare.*

Nec me regnante licebit
Has cuiquam nostras impunè lacessere leges.

Vt hîc reminiscendum sit, vt Princeps ipse legibus solutus est, ita eius curæ æquè esse, atque summæ auctoritatis, vt quàm optimis populus obligetur, regatur, viuat, & semper ad prototypum suum respiciant leges, & legum-latores, cuius illud: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* 3. *Iustas ferre.*

Hunc Ducem si sequatur, qui regit, qui legem scribit, nusquam & nunquam aberrabit. si non sequatur, in præcipitia, in syrtes, in saxa, in charybdes lapsum se priùs sentiet, quàm agnoscet. improuida mens hominum nisi summæ lucis indicio dirigatur, in auia & inuia prolabetur, etiam non alterius culpæ conscia, quàm quod summi legislatoris virgulam non continuò respexerit.

Porrò legum multitudo minuenda potiùs, quàm augenda est nouis constitutionibus. salus ex legibus religiosa obseruantia. sat multæ, sat bonæ leges, si amentur satis, & seruentur satis. illud votum 4. *Paucas genti vtiles.*

votum, etiam maius est quàm spes, vt leges eæ, quas vsus reiecit, aut mores generatim damnarunt, edicto designentur: errores quos

5. *Decisis controuersis.* pragmatici inuenerunt, quos iutegris libris aliqui complexi sunt, constitutione disertâ enellantur: quibus magnam iuris partem implicarunt, decisione Principali explicentur. cui rei collegium supremâ auctoritate erigi optat Thuld. *l. 4. de cauſ. corr. Iud. cap. 16.* Sed & is illud non malè exequitur toto *l. 1. atque 2.* vt qui præparantur legibus inter partes enodandis, iudicijsque, quæ viuæ leges sunt, exercendis, taliter formentur, vt legum ænigmata rectè soluere discant. non vt Alexander Gordium nodum ense findere. quo leges finem suum habeant, &, quæ per eas exercentur iudicia, ne corrumpantur.

6. *Emendatis iudicijs.* hæc in primis ad curam Principis pertinere, hic statuendum est; auctore Horatio Augustum laudante:

Res Italas bello tutaris, moribus ornas;
Legibus emendas.

Et Cicerone politicum munus describente *ciuitatem legibus fundare, regere consilijs, emendare iudicijs.* Ergo vt medici causas morborum insectantur, quo effectus tollant; ita Principem conuenit principia, & scaturigines persequi, vt ijs purgatis lymphæ deinceps puræ profluant. Academias ergo quæ in suo dominatu existunt, consultis legibus reformabit, vt ex ijs in Rempub. nihil exeat quod publicæ saluti aduersetur. Et quoniam hodiè orbis imperium in tot

7. *Academijs immaturos promouentibus seu alias minus aptos.* dynastias est discissum, omnino vetabit, ne quis apud exteros emeritus, concilijs vel causarum patrocinio admoueatur. nisi fortè prę-rogatiuâ doctrinæ, & morum, gratiam legis, dispensationemque meruerit. quemadmodum regio edicto olim cautum hic fuit. Igitur Tuldenus reijcit tantam turbam sectantium iuris studia, præsertim plebeiorum. nec sine delectu admittit, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate abducatur ad mercedem, atque quæstum. summa est enim peruersio finis iurisprudentiæ, quod solo diuitiarum voto discatur, & ad quæstum conuertatur.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis habere nihil.

Sed nec admittit, qui intempestivè properant iuris studium, nondum ætate, vel peritiâ communis vitæ idonei, non apti ingenio, non præculti artibus necessarijs. Exigit Doctores qualis publica Reip. salus requirit (quæ ab eorum industria non parum pendet) aptissimos, eosq; qui edendis iurisprudentiæ munimentis se probarunt, & scientiam experientiâ ciuilium negociorum perfecerunt. Excellentes moribus primùm, deinde facundia *l. 7. C. de profeſſ.* ne alioqui auctoritatem professionis destruant, se ipsos exempla circũferentes inuti-

inutilis disciplinæ. consultissimam deinde docendi viam requirit, quam per interpretationem legum historicam, œtiologicam, analogicam, pragmaticam, & forensem vestigandam censet, & insigniter docuit Ioachimus Hopperus duobus libris elementorum iuris, quos in epitomen erudite cõtraxit Martinus Delrio, lectu vtilissimam. sed quæcumque ratio ineatur, ea semper retinenda est, quam proponit Iustin. vt primò leui ac simplici viâ, pòst deinde diligentissimâ atque exactissimâ interpretatione singula tractentur. deinde vt id semper obtineatur, vt iuris prudentia non sit ancipitis vsus, sed cum vera prudentia, iustitiaque connexa. vt ne verbotenus acutè tantùm, sed ad vsum popularem atque ciuilem differatur, ne leges eatenus tantùm discantur, quatenus litigandi artem, vsumque præbent; sed etiam ius publicum quàm minimè negligatur. emeriti rude ne donentur, & in Rempublicam emittantur scholasticis coronis redimiti, nisi ad seueram normam explorati. ne cruda adhuc studia in forum propellant, ne audaciâ pro sapientia vtantur, ne professionem ex dignitate non sustineant, ne initiatos se credant, & tantùm in vestibulo iurisprudentiæ hæreant. Hæc inquã vt à principijs suis curentur inuigilandum est Principi, illisque qui consilia eius dirigunt. vt Academiæ ijs institutis reformentur, quibus selecti iuuenes, selecti sint magistri, selectę scholarum leges. quæ & illos doceant hos pro merito reuereri, nec honoraria & publica stipendia desint. quibus se hi venerabiles, & à vili paupertate vindicatos exhibeant. Collegiorum fundationes Principali beneficio & auctoritate promoueantur, loca publica designentur, & titulis graduum, citra abusum, ornentur studiosi, & priuilegijs animentur. quę etiam per speciales Iudices conseruentur. Quæ etiam omnia latè nec minus erudite prosequitur Pet. Greg. Tholos. *de Rep. lib. toto* 18.

CAP. IV.

De Religione.

EX his quæ dicta sunt conficitur de Religione scisscere ad supremam potestatem pertinere. quod in Batauis conatur demonstrare Grotius *in Apologetico suo*. Quare & solent supplicationes ij decernere, penes quos rerum summa, vbique habendas, pro rebus feliciter gerendis. cuius rei auctoritas olim in libera adhuc Repub. Romana penes solum Senatum erat. & hodie Turca receptis in fidem regulis multa imperij iura remittit, publicas tamen preces, pro salute Principis in templis passim faciendas excipit. 1. *Quo sensu spectet ad Supremum Principẽ de Religione scisceré.*

Cæterùm Grotius, & qui, vt ille, scribunt politici, hanc de religione statuendi auctoritatem ei attribuunt, penes quem est rerum summa, & supremum arbitrium; eo modo accipiendi sunt, quo interpretamur ius Regis à Samuele propositum 1. *Reg. c.* 8. vt quæ ibi pro iure Regis edicuntur, nõ ius quidem sint licitum Regi, sed externâ auctoritate, cui resisti non possit, munitum, vel minæ violentiæ Regiæ. nam omnis à Deo potestas data est ad iusti atque æqui conseruationem, non iniuriæ isagogem: ad pietatis, veræ religionis cultum, non falsæ stabilimentum. *Debes Imperator*, inquit Leo Pontifex ad Leonem Imp. *incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Quare si Imperator*, inquit Ioan. Pap. *d.* 96. *Catholicus est, quod saluâ pace ipsius dixerim, filius est, non præsul Ecclesiæ. quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere. Cùm ad verum ventum est*, inquit Nicolaus Papa, *c.* 6. *d.* 96. *vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit. quoniam idem Mediator Dei, & hominum, Homo Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.* & Gelasius *c.* 12. *ibid.* obsequi solere Principes Christianos, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere Principem solitum, non de capitibus eorum iudicare. Profectò *sicut quamuis parua ciuitas prærogatiuam præsentis regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. cap. sicut.* & quę plura alia habet Gratian. *dict. dist.* 96. & eleganter Iustin. *in princip. Nouel. quomodo oporteat Episcopos.* 6. *Maxima quidem inter homines dona Dei sunt à suprema collata Clementia, Sacerdotium, & Imperiũ. quorum illud quidem diuinis ministrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam præstans rebus, ex vno eodemque principio, vtraque procedentia humanam exornant vitam.* Itaque Imperium rebus humanis pręest, Sacerdotium diuinis. *Alij sunt*, inquit Chrysost. *termini Regni, alij Sacerdotij: sed hoc illo maius est. neque enim ex auro aut gemmis æstimari debet. Rex quæ sunt in terris sortitus est: Sacerdotij ius à supernis descendit.* & infrà: *Sacerdotis thronus in cælis collocatus, de cælestibus negotijs pronuntiandi habet auctoritatem. Interroga Sacerdotes legem*, Agg. 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Malach. 2.

Itaque Principum est ius, & piorum consuetudo, non nouum aliquid de religione, de fide, de sacris statuere: verùm ita leges scribere, vt quæ ab ijs, qui Ecclesiæ pręsunt, decisa sunt, imitando recipi, exequi, obseruari iubeant. sic Iustin. *in Nouel. de sanctis Episc.* 123. *secundùm editionem Haloandrinam (nam in cæteris hæc desunt) si leges* (inquit) *quarum potestatem fidei nostræ Deus pro suo erga homines amore concredi-*

credidit, per omnia firmas & stabiles conseruari ad subditorum securitatem studemus: quanto plus studij debemus circa sacrarum regularum & diuinarum legum obseruationem reponere, quæ pro salute animarum definitæ & constitutæ sunt. & inferiùs: *Sequentes igitur* (inquit) *ea quæ sacris definita sunt Canonibus, pragmaticã legem facimus, &c.* similiter & *in Nouella, quomodo oporteat Episcopos. 6. §. 1. Sancimus igitur*, inquit, *sacras per omnia sequentes regulas, &c.* Exequendo ergo, sacras regulas sequendo, & quę sacris Canonibus definita sunt, boni Principes leges ferunt de rebus sacris, non iudicando de ijs, aut Ecclesijs, *c. 10. x. de Constit.* de cultu, de ministris, & ministerijs de quibus multa Iustin. *in Auth.* de synodis vocandis, de hæresibus extirpandis, de bonorum Ecclesiasticorũ vsu, abusuvè. sic & à brachio seculari coërcentur blasphemi, magi, mathematici, malefici, sortilegi, astrologi iudiciarij, atheistæ, alijq; contra Majestatem diuinam, ac primam decalogi tabulam peccantes. Malè ergo Alberic. Gentil. *tract. de potest. Reg. abs.* negat ijs Principibus Supremorum nomen cõuenire, qui in sacris Papam agnoscunt. quâ doctrinâ excutit omnes etiam Angliæ Reges, qui post Christianissimum regnarunt ante Henric. VIII.

Nationes omnes & formatissimæ Resp. atque in primis Romana summam rationem Religionis habuerunt, omnesque toto orbe sapientes & philosophi eam suis sequacibus tradiderunt doctrinam, tantamq; Religionis vim esse etiam impij semper sunt fassi, vt & illi in administranda Republica Religionis obtentu semper sint vsi.

2. *Excellentia Christiana Religionis.*

Porrò Religio Christiana eâ est supra cæteras excellẽtiâ, quâ veritas supra falsum, supra imaginem, supra vmbram. per eam diuinum Numen, illius circa res omnes creatas, atque præsertim homines ad imaginem illius formatos prouidentia noscitur, sine eius scientia, & decreto nec vnum folium ex arbore decidere; capillos omnes ei numeratos esse, omnium paternam solicitudinem gerere, præsertim Regum & supremorum Principũ; qui præcipua illius in terris sunt simulacra, illius imitatione, & auctoritate hæc humana gubernant. Adeoque verum Deum, verum Dei cultum, veram Religionem amplecti, sequi, promouere eos oportet: tanto zelo, quanta laus est imagini viuidissimè prototypũ repræsentare. curare quam maximè, vt subditi veram ac puram Religionem profiteantur (quæ omnia distinctè & latè prosequitur Ribad. *l. 1. de Princip.*) summa ratio est, quæ pro Religione facit, *l. sunt de Rel. & sump. fun.* quod in eam committitur, in omnium fertur iniuriam, tantoque cura maior animæ impendenda est, quanta hæc corpore præstat. *l. Sanct. 18. Cod. de sacrosanct. Eccles. cap. aurum. 12. quæst. 2.* Insigne

3. *Cura Christianorum Principum circa Religionem.*

moni-

monitum Mæcenatis ad Octau. Augustum, *Deum semper & vbique cole, vt moribus patriæ est receptum. ad eundemque cultum alios compelle. peregrinarum verò religionum auctores odio & supplicijs prosequere, non modò Deorum gratiâ, quos qui contemnunt, haud dubiè nihil quoque magni faciunt: sed propterea etiam quod qui noua numina introducunt, multos ad vtendum peregrinis legibus alliciunt; hinc coniurationes, coïtiones, & conciliabula existunt, minimè principatui commodæ res.*

Itaque conuenit Principes Magistratusque Deum ipsos colere sincerè, reuerenter, & ritè, vt moribus veræ Christianæ religionis receptum est: & ad eundem ritum alios compellere: peregrinarum verò religionum, nouarumvè interpretationum auctores odio, & supplicio prosequi.

Antiqua & incontaminata Religio Christiana, veteris testamenti Tabulas, & noui complectitur, veluti indubitatas fidei suæ tesseras: & doctrinam siue scriptis, siue per manus traditam ab Apostolis in hoc vsque tempus receptam. quibus succenturiantur œcumenici Ecclesiæ conuentus, qui, cùm boni agricolæ æmulus zizania sparserit, coire solent, & Spiritu sancto afflati, lucem præferre, internoscendo vero semini, &, quid Ecclesia Christi credendum proponat, demonstrare. quæ quoniam ex Christi promisso errare numquam poterit, eius decisiones indubiâ fide recipiendæ sunt. vt rectè Iustin. primis quatuor Ecclesiæ Concilijs œcumenicis eam fidem tribui iusserit, quæ quatuor Euangelijs debetur. Id quod statuendum est de omnibus alijs œcumenicis Ecclesiæ conuentibus, de quibus idem Christi promissum, eundem Spiritum Præsidem habemus.

4. *Circa hæresim.* Sed quoniam hominum improbitas & maligni spiritus inuidia, à debito officio plures auocat, tolerante Deo, ad bonorum probationem: (oportet hæreses esse) vt pura fides magis eluceat;

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,

Væ tamen est homini illi, qui quod necesse est vt fiat, vitio suo facit, vt per se fiat: Principes conuenit armari zelo, & contra huiusmodi noxias insurgere. exemplo piorum & magnorum Principum, qui strenuè, magnoque feruore, totisque viribus Religionem defenderunt, incontaminatamque in suis ditionibus seruarunt. quibus Deus in vicem fausta, fœlicia, diuturna imperia tribuit: & contrà eos, qui Religionem contempserunt, cladibus infinitis afflixit, regna, & dominatus subuertit, eandemque sortem ijs immisit, qui per hypocrisim Religione sunt abusi, vel falsam religionem parando principatui, aut rebus nouandis subiecerunt. quos vltrix scelerum diuina dextera impunitos nunquã pertransijt. quæ omnia latè Greg. Thol. *de Rep. l.* 12.

Non

Non lubet hîc disputare, num liceat aut expediat in vna Republ- 5.
plurium Religionum exercitia admittere. fecerunt id Ribad. *de prin-* *De diuersis*
cip. l. 1. *c.* 23. *&* 24. alijque. lubet tantùm queri de malignitate no- *in vna Rep.*
strorum temporum, quæ multis locis, non quid expediat disputan- *religioni-*
dum reliquit, sed quid fieri possit circumspiciendum. nam quis *bus.*
neget licere pati, quod emendare non possis? quis affirmet expedire, quinimò licere in præsens periculum adducere totam Religionem, totum populum Catholicum, vt paucos auios in rectam viam cogas? qui extrema desperatione animati sulque deque omnia vertant, & demum veram Religionem pessumdent, in Ecclesia, politiaque anarchiam inducant?

Non licere quidem Principi, qui possit profligare hostes Dei, 6.
amicos habere; non licere hæreticos in sua ditione pati, quos *De hæresi*
propellere possit; pridem decisum est à Concilio Magno Latera- *valida.*
nensi. *c. excommunicamus. §. moneantur. x. de hæret.* Decisioni iussio & pœna adiecta est, vt omnino id Principes faciant, alioquin dominatu excidant. qui alijs Principibus deferatur, qui hostes se Dei hostium profiteantur. Cùm verò vires non suppetunt, voluntas, atque affectus pro effectu pensantur, dummodo quantum fieri potest, legibus & prouidentiâ caueatur, ne fides, ne religio damnum capiat. quæ supra vires est necessitas, non habet legem. Impossibilium nulla est obligatio. *Bona fide*, inquit *d. §. moneantur, pro viribus exterminare studebunt.* etiam Constantinus initio susceptæ Christianæ fidei, non statim re ipsâ, quæ desiderio, expleuit. Parabola Regis expendentis *Luc.* 14. an cum decem millibus possit occurrere illi, qui cum viginti millibus venit ad se, id nos docet. Quod si nec satis constet, si velit Princeps quid possit, si subditi malè velint, quid sint ausuri; prudenter admodum versari hac in re debet. præsertim si is ditionis eius situs est, vt fœdera inire subditi possint cum vicinis aliquibus sinistræ religionis Regibus, aut Rebuspubl. qui etiam auxilia militaria facilè possint submittere, & per hoc statum, Religionemque in certius periculum adducere. Attentissimè ergo aduigilare debet, ne quæ fiant coitiones, ne quæ ad exteros legationes: denique ea remedia suauiter adferre, quibus ad meliorem mentem citrà malitiam seducti reuocentur. Ij autem quorum error immedicabilis est, non vno simul edicto proscribantur, ad carcerem aut crucem trahantur, præsertim in nationibus melancolicis, quæ austeritate pœnarum non emolliuntur, sed pertinaciùs indurescunt, sed ita habeantur ne noceant.

Neque Lateranense Concilium exigit, vt Principes inconsulto furore in hæreticos inuehantur: satis est pro viribus, pro rerum, locorū, tempo-

temporum ſtatu bonâ fide allaborare, vt extirpentur. manu vnâ, tractu vno euelli ſurculus poteſt, arbor non poteſt. non eodem modo hæc, vt ille, excipienda eſt. denudantur foſsione radices illius, nunc huic, nunc illi admouetur ſecuris, atq; itur in circuitũ, & præcisâ vltimâ tandem abit in ruinã arbor. ſed & prouidetur tamen, ne caſu ſuo quemquam opprimat. non minori induſtriâ, & prudentiâ hæreſes ſunt tractandæ, cùm naſcuntur, adoleſcunt, inualuerunt. generatim id Principibus Magiſtratibuſq; commendatum, vt nihil omittant, quod citra maius periculũ in cauſa Dei præſtare poſsint.

Cæterùm ſi rebus in ancipiti ſtantibus, in vrbium v.g. deditione, Prouinciarum conciliatione, ſeditionis compoſitione, fidei interpoſitione publica pacta inita ſunt, ea omnino ſeruari ius & iuſtitia dictat, vt alibi diximus.

7. *Quæ ad Religionem pertinent commendata habere debent Principes.*

Denique Principes & Magiſtratus ea, quæ ad Religionem faciunt, omnia ſuo patrocinio tegere competit, perſonas, ædes ſacras, fundos ac reditus, ſine quibus diuinus cultus, Religionis exercitia, & neceſſarij in ea miniſtri exhiberi non poſſunt, exemptiones perſonarum, aſyla, & libertates, ædium diuinarum, & rerum Eccleſiaſticarum immunitates, quanta iura conceſſerunt, ſeruent, non imminuant; augeant, vt quò largiùs bonis temporalibus & in alios poteſtate ſunt ornati, decorari, atque augeri cupiunt, eò ſanctiùs quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tanquam Dei præcipua, eiuſque patrocinio tecta venerentur, neque ab vllis lædi patiantur. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 20.*

CAPVT V.

De Magiſtratuum deſignatione.

1. *Nec aſſumi, nec deponi iniuſſu Principis poteſt Magiſtratus.*

QVoniam ad Supremam Poteſtatem pertinet Magiſtratuum creatio: fit vt ſi è Prouincia non abit, cui ſucceſſor datus eſt, in Majeſtatem peccet, *l. 2. ad leg. Iul. Maieſt.* & qui priuatus pro Magiſtratu ſe gerit, *l. 3. eod.* ſed & qui ſe Imperio abdicat, nihil agat, *l. legatus. 10. D. de off. Præſid.* Hinc & Ducum & Comitum tituli à ſola Majeſtate impetrantur. qui in Magiſtratuum maiorum vices ſuffecti nunc ſunt. tametſi ab Imperatore illi ab ijs etiam poſtulentur, qui Imperio non ſubſunt.

2. *Explorandi & aſſumẽdi digniſſimi.*

Porrò ad Magiſtratuum creationem quod attinet, inter ciuilia negotia explicatam, præſertim lib. 1. c. 42. ſupereſſe hîc videri poteſt, vt ijs, penes quos eſt rerum ſumma, & qui eorum conſilia dirigunt, ac Iudices Magiſtratuſque, quibus pro more regionis aliqua crea-

creationis, aut de ea consultationis auctoritas competit, in id incumbant vt quàm optimos, quàm maximè idoneos, quàm maximè meritos designent: quibus se, quibus Rempub. quàm maximè fidere posse existiment. atque in primis tales, qui virtutibus, quas *lib.* 1. descripsimus, vel iam præditi sunt, vel longè progressi sunt in via, quâ assequantur. Ac denique tales, qui obitis minoribus Magistratibus futuri ad maiores sunt idonei, exploratis singulorum ingenijs. vt Daniel. 1. 3. Rex ille vastator orbis *ait Aspheneż præposito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Israël & de semine Regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos omni sapientiâ, & doctos disciplinâ, & qui possent stare in Palatio Regis, vt doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum.* Seligit formosos, ingeniosos, de semine Regio, cautos, doctrinâ, prudentiâ præditos: *Vt enutriti tribus annis, posteà starent in conspectu Regis.* Barbarus Rex curiosè seligit benè nata, & excolit idonea ingenia, vt eruditi starent in conspectu eius, posteàque semper meminissent vnde & quò essent euecti. vt *Esdr.* 4. 14. *nos autem memores salis quod in Palatio comedimus.* magnum est incitamentum ad gratitudinem, & virtutem illa dignatio Regia, & retinaculum in fidelitate. vnde tamquam nullo oceano eluenda illa infido facta exprobratio; *Tu verò homo vnanimis, qui mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Aulæ ergò Principum scholæ erant Præsidum, Prouinciarumque Rectorum, & magnorum Magistratuum. Inde Comitatus olim Principum, Comites, & è Comitatu missi. Sic Comites Italiæ, Aphricæ, Illyrici, Hispaniarum, Orientis, & Comitatuum olim passim officia, quæ in feuda & beneficia perpetua degenerarunt. sed & hodiè Electores ac summi Germaniæ Principes Palatina officia retinent. quod & in Gallia, alijsque ditionibus accidit; nomine saltem: etsi functiones raræ sint, vt olim comitatus erat assiduus.

3 *Formandi institutione, magnorum Comitatu, legatorum Iudicum in prouincias missorum.*

Adhæc magna olim erat exercitatio, quâ ad Rempublicam capessendam formabantur. Iuuenibus permittebatur, postquam ætatem virilem attigerant, vt Senatui interessent, sententias audirent, quin & consultandi causâ dicerent. ita fiebat, vt statum Reipublicæ suæ notum haberent, & vicinarum, aliarumque gentium, quibuscum Reipublicæ intercedere posset negotium, quod fundamentum est omnium consiliorum, & actionum.

Sed & Legationes erudiendis, & formandis viris præclaris aptissimæ erant. datis in Comitatum ijs personis, quæ spem

facerent se vtilem aliquando operam præstituras, magno numero vel dabantur apud Romanos, vel sponte se adiungebant eiusmodi Comites, qui & instructiores redibant, & Legatos ipsos vel consultando iuuabant, vel inspiciendo ne præuaricarentur retinebant.

Idem statuendum est de Præsidibus in Prouincias missis, quorum Comitatus amplus erat, nec è triuio ita vt postmodum decretum fuerit, vt Prouincias regerent, qui priùs ibi assedissent. & nobile exemplum est Scipionis Africani bello illo, quod nomen dedit, summâ gloriâ perfuncti; qui fratrem Consulem, cui bellum Syriacum contra Antiochum mandatum erat, voluntariâ legatione comitatus est. Pompeij castra Senatum appellabant, in quibus ait Cicero fuisse decem Consulares. *Philip.* 13. quamquam apud Venetos lex militaris sit, ne quis inuitus munus obire teneatur, qui maiori cum dignitate militauit. Igitur Iudicibus & Consiliarijs Principum, vel qui alio iure Reipub. præsunt, adnitendum est, vt Reipubl. dentur, formentur, educentur viri tales, in quos aliquando inclinata recumbere possit.

Sed & illud non minùs curandum, vt Magistratus à summo primi, ita se habeant, talesque ex probatis seligantur, qui & suæ potestati submissos cum auctoritate benignè regant, & nihil supremi iuris obfuscent. ne vlla in re populus obliuiscatur supremæ potestatis, sed numquam non eluceat illa

Velut inter ignes
Luna minores.

Id cùm ita se habet, numquã clarescet magis Suprema Potestas, quàm cùm sub illa magno aliæ numero, sed minori lumine scintillant. Pulcherrima ea in re consideratio, & Senatus in libera Republ. Romana, & deinde sub Imperatoribus Consulum, Cæsarum, Magistratuum prouincialium, Prætorum, Præfectorum Prætorio, Præfectorum vrbi, Centumuirorum, Triumuirorum, Quæstorum rerum capitalium, Prætorum populi, Decemuirorum, Cancellariorum, Tribunorũ plebis, annonæ Præfectorum, Comitum, Dictatorum, Censorum, Ædilium, aliorumq; Magistratuum, quos Consenius *lib. 7. Polit. cap. 13. & multis sequentibus*, intus & in cute considerat. sed nemo exactiùs insignia, officia, dignitatem exequitur, quàm Panicirolus *in Comment. ad Notitiam dignitatum vtriusque Imperij.*

5. *Rursus de qualitate assumendorum Magistratuum.*

A Rege primi Magistratus, & Consiliarij tantâ cautelâ adscisci sunt, quanto grauiùs premit saxum è summo lapsum. nam primorum error reliquos propellit. & faciliùs exercitum fortium viro

virorum inuenias, quàm multos Principum consiliarios omnibus numeris absolutos. etiamsi non ad rigorem Alphonsi Magni exigantur, qui statuebat *Consiliarios Regum, aut Reges esse oportere, aut Regum animos habere.*

Sanè eminentes Consiliariorum dotes sunt, vt labore, studio, meditatione decocta, non præcipitia, non erga aliorum iudicia contumacia cõsilia adferant, quę & emendare velint meliori ratione allatâ: qui fortiter censeãt, & in periculis solicitè, posito affectu, nec verbis in adulationem cõceptis, sed in sinceritatẽ pro notitia Reip. negotijque, de quo agendum est, & explorata rerum experientia, summâ in Regem fide, nullis alijs Principibus obnoxia, animo mutationis, audaciæ nimiæ, & temeritatis inimico. *Nescio*, inquit, *in horologio Principum* Geuara *l.1.c.43. cur Principes & magnates, cùm adeò soliciti sunt in quærendis medicis optimis, ad curam corporis, adeò negligentes sint in quærendis viris sapientibus ad gubernationem regnorum, ditionumque, cùm infinitis modis grauius profectò sit damnum malæ in Republ. gubernationis, quàm Principis ipsius aut gubernatoris morbus.*

Princeps, qui suo solius consilio vtitur, citò perit. multorum qui audit, ac rectè diiudicat, & vtitur; sperare potest, quod addicunt Litteræ Sacræ; *Ibi salus vbi multa consilia.*

CAPVT VI.

De Supremo Iudicio, seu vltimo resorto.

PRouocationi, quę olim apud Romanos in rebus maioribus ad Populum erat, succesit tribunitia intercessio. & Augustus tribunitiam potestatem ad se traxit. inde prouocatio ad Principem, *apud Tacit. l. 4. Anal. & l. 45. D. de cond. & demonst.* hinc summi momenti iudicia per se tractare, propria in causa iudicare, causas ab alijs auocare, summariè, sine iudiciorum formâ ordinariâ iũdicari mandare, nullâ seruatâ procedere (*vt accidit in Seiano, Berengario, Guisio, Ancrio*) ad plenitudinem pertinent potestatis. sed auctores viderint an ad plenitudinem etiam iustitiæ. quod Bernardus Eugenium *l.b. de consider.* alio in casu monet. eodem referas contra res iudicatas restituere, supplicationes, reuisiones admittere, Iudicem etiam dare qui citra appellationem cognoscat. *l. 1. §. 4. D. à quibus appell. non licet.* Hisce sic datis Iudicibus similia sunt, quæ Principum nomine iudicant, suprema tribunalia. vt Camera Imperij & Parlamentum-Parisiense. ex quo per Galilam deinde 1. *Quæ indè fluant?*

octo facilè Curiæ diductæ sunt : pro commoditate Prouinciarum qualia ad exemplum singuli ferè præcipui Principes in suis ditionibus instituerunt; vt nobile illud Mechlinienſe,& maiestate plenum à Carolo Audace erectum est.

Atque hæc tessera tam euidens supremæ potestatis indicium est, vt aliqui ditionis suæ maiestatem lædi existiment, si extra eam ad Principis quamuis sui Concilium supremâ illius auctoritate iudicans, vocati fuerint.

2. *Extra Prouinciã iudicari, quomodo non officiat supremitati.*

Sed errant tamen; Iudicium enim Principis,& eorum qui eius auctoritate iudicant, non est adscriptum aut circumscriptum loco. solent Concilia Principum in Comitatu illorum esse, & vbiq; de illis iudicare. quare & Parlamenta pro diuersis Prouincijs instituta, quãuis singulæ supremam Majestatem habeant, sine earum præiudicio de singularum negotijs iudicant. vt olim ipsi Principes, & ambulatoria Concilia, dummodo iudicent nomine,& supremâ auctoritate Principum, respectu singularum ditionum, vt talium. quo sensu & consensu Hollandi, quos nullius vnquam alterius, quàm sui iuris, fuisse contendit Grot. *in antiq. Reip. Batauæ*, aliæque nationes Belgicæ, nec ipsæ sub clientela aliena existentes ad Prætorium Mechlinienſe vocari non abnuerunt.

Fateor Brabantos magnâ olim contentione se subduxisse à Parlamento Mechlinienſi,& eam populo imaginem dignitatis retinuisse, ne foris iudicarentur ; & vt suprema Cancellaria Brabantiæ remaneret, ac sine prouocatione ius diceret: id tamen alijs causis latè distantibus acceptum ferendũ est. priuilegijs scilicet Aureæ Bullæ Caroli I V. Sigismundi, Maximiliani, Caroli V. quatenus olim ad imperium pertinuisse possunt Brabanti, prærogatiua data est, ne extra Brabantiam vocari aut sisti possent, non ad Cameram Imperialem, aut quemuis Iudicem delegatum citari. horum priuilegiorum obtentu domesticum tribunal seruarunt, & liberalibus in bellicas necessitates suppetijs. quibus aut deliniuntur Principes, aut promissis implicantur.

CAP. VII.

De Bello, eiusque causa iusta.

1. *Bellum iustè suscipiẽdum, iustè gerendum, iustè finiendum.*

QVi consilijs Principũ Rerumque p. interſunt etiam atq; etiam aduertere debent, vt cùm de bello deliberatur, maturè omnia circumspiciant, quò & iustè suscipiatur, & geratur iustè, nec minus iustè

iustè finiatur. defensiuum quidem bellum magnâ deliberatione non eget; cùm necessitas defensionis consilium non exigat. dummodo hosti iniuria illata non sit. eam enim honestè potius sarcire, quàm iniquam causam tueri armis, non tantùm decentius, sed omnino ex iustitia necessarium est. qui enim iniustum bellum excitat, omnium belli incommodorũ reus est, tot cædium, furtorum, sacrilegiorum, latrociniorum, raptuum, adulteriorum, publicæ vastitatis. alioquin *semper iustum bellum est, quibus omnino necessarium: semper pia arma, quibus nulla nisi in armis spes vitæ posita est: omnibus alijs rebus æquis & iustis tẽtatis & oblatis.* Heren. *apud Liuium.* Defensio nullâ præ- 2.
uiâ iniuriâ omni iure permissa est. vim vi pellere licet, non Principi *Defensio iusta.*
tantùm, sed & priuato cuilibet. *Oportet*, ait Aristoteles, *lib. 7. polit. c. 14. negocia quidem, & bella gerere posse, sed magis agitare pacem*, atque ociari posse. pax enim finis est belli, nec iustè bellum gerit quicumque eum finem non respicit. August. relatus *c. noli. 23. q. 2. Pacem*, inquit, *habere debet voluntas, bellum necessitas.* non enim pax quæritur, vt bellum excitetur, sed bellum quæritur, vt pax acquiratur. bellum sine eo fine summum omnium malorum: scelerum omnium chaos. 3
Quid aliud, inquit Orosius, *l. 1. bella dicenda sunt, quàm virgentia in* *Omne bellum pacem respicit vt finem suũ.*
alterutrum mala? mala scilicet huiusmodi, quæ fuerunt, vel nunc sunt, aut manifesta peccata sunt, aut punitiones peccatorum. Oportet ergo magis agitare pacem. diuina vox; *Ego cogito cogitationes Pacis.* Voluere ergo atque reuoluere omnia oportet priusquam in deliberationem belli descendatur, cogitare cogitationes; nullam rimam negligere, quæ quodcumque ad pacem medium prodere possit. *Omnia prius experiri verbis, quàm armis sapientem decet.* Terent. nam, vt Tacit. *l. 1. hist. æquè apud bonos miserum est occidere, quàm perire, nec victis, nec victoribus vnquã solida stetit armis voluptas.* & semper *felicior est pax numquam lacessita, quàm multo reparata sanguine.* Senec. *Felicitas est maior vicinum habere concordem, quàm subiugare bellantem.* August. *l. 4. de ciuit. cap. 15.* alioquin vbi pacem obtinere non possumus; *Dexteras*, inquit D. Chrysostomus, *in Psal. 134. à Deo habemus, vt & nobis ipsis & alijs iniuriâ affectis opem feramus, vt his quibus violentia & detrimentum infertur, portus simus & refugium.*

Igitur securitas nostra, sociorumque iniustè afflictorum, si aliter 4.
constare non potest, bello tutanda est. Religio, Reipubl. salus, *Securitas nostra, & sociorum, Reip. salus iusta belli causa.*
atq; dignitas, publica, priuataque bona. extra hanc causam, seu quæ eò pertineat, non iustum bellum geritur. ita Cicer. *lib. 4. de Rep. nullum bellum suscipi ab optima ciuitate, nisi pro salute, vel fide.* Salus ad nos pertinet: fides ad socios. vtrorumque defensio iusta est; dummodo caula iniuriam nos, illosve passos, non autem intulisse probet. *Qui*

non repellit, inquit Augustin. *à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. cap. non in* 23. *q.* 3. *Eripe eum*, inquit Sapiens *Prou.* 24. *qui ducitur ad mortem.* quare & Populus Iudæorum crimen contraxit, cùm non restitit Principibus Christum in mortem dantibus. *quia*, inquit Augustin. *qui desinit obuiare, cùm potest, consentit. cap. ostendit. ibid.* tum porrò *non oportet*, inquit Isocrates, *deiecto animo esse eos, qui pro causa iusta periclitaturi sunt, sed qui iniuriam inferunt. Quid culpatur*, inquit D. August. *in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, vt domentur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. cap. quid.* 23. *q.* 1.

5. *Bellum offensiuum maiori examine opus habet.*

Cæterùm bellum offensiuum plus habet examinis. neque enim exercitij causâ, vel, vt Galli loquuntur, *par gayeté du cœur*, bella gerere magis licet, quàm furari, latrocinari, adulterari. vt D. August. *l.* 3. *c.* 14. *de ciuit. Dei.* de Romanorum cum Albanis bello non alia de causa gesto, quàm vt reſides moueret

Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis
Agmina.

De quo ita decernit August. *Illo itaque vitio tantum scelus perpetratum est socialis belli atque cognati.* Turpe non minus non ex causa, sed occasione rei benè gerendæ, alienaque inuadendi bella inferre. vt Lud. XI. cæso ad Nanceium Carolo Burgundo iuratas inducias infregit, ditiones Mariæ pupillæ inuasit: ne bello quidem indicto (quod & necessarium in iusto quamuis bello) ex quibus Burgundiæ Ducatum Galli etiamnum hodie possident, obtentu chimericarum Salicæ legis tabularum. quibus Burgundi nunquam inscripti. Waldemarus olim Sueciæ Rex in terram sanctam profectus fratri tutelam Regni commisit. is illud inuasit, Waldemarumque reducem Regno excluſit. non nemo alius nostro æuo exemplum imitatus est. Turpe factum. turpior Ferrerij defensio; occasionem Regiam fuisse. satis id causæ. non eodem iure Regna, quo res priuatas acquiri. cum Antigono Rege sapit Ferrerius, qui sophistæ cuidam librum de iustitia scriptum offerenti, *Desipis*, ait, *qui cùm me videris armis alienas vrbes vexantem, tamen apud me de iustitia disseris.* Sanctiùs Populus Romanus. cùm enim à Ptolomæo Rege tutor esset relictus, Æmilium Lepidum Pontif. Max. bis Consulem ad pueri tutelam misit. ne fides ciuitatis Romanæ frustra petita existimaretur. cuius beneficio Regia incunabula conseruata pariter ac decorata, incertum Ptolomæum reddiderunt, patrisnè fortunâ magis, an tutoris majestate gloriari deberet. ita Valer. Max. *lib.* 6. *c.* 6. Sanctiùs Augustus; de quo Sueton. *cap.* 20. *nulli genti sine iustis & necessarijs causis bellum intulit. Non enim*, inquit ipse, *immoderatis cupiditatibus morem gerens*,

rens, omnia vndique parare, & dominio eius adiungere suscepi, sed duos imperio nostro limites tanquam à natura datos Istrum & Euphratem statui. deinde domitis Tracibus & Schytis non bellum aliud ex bello sum commentatus, sed in iuris descriptione, & eorum quæ bellis ciuilibus deprauata erant, correctione incubui.

Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Non ergò dominandi cupido, ambitio, auaritia, opum, auri, gazarum, pomerij, dominatusque prorogandi votum iustæ bellorum causæ: quantumuis hodie maximè

Aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloq; fatigant.

Tum denique iræ atque vindictæ, parandi nominis, atque in historias eundi desideria. vt Iosephus Zachariæ & Azarias 1. *Machab.* 5: *faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes.* Sed, vt dixi, causa si defuerit iusta, non bellum est, sed latrocinium. vt exprobrabat Schytarũ Legatus Alexandro, *Tu qui gloriaris ad latrones persequendos te veniſse, omnium gentium quas adijsti latro es.* hæc enim est censura, hoc ius, atque iudicium omnium gentium. nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bello iure culpantur. *cap. quid culpatur. 23. q. 1. ex Augustin* quare rectè Chrysost. vbi suprà: *Quomodo igitur ijs venia dabitur, qui armis non ad salutem, sed ad perniciem eorum vtuntur?*

Quare Malderus *de iust. q. 40. de bello. d. 2. assert. 2.* vnicam & solam causam belli inferendi statuit, iniuriam Reipubl. impediendam, resarciendam, vel vindicandam. non leuem tamen, notabilem, incommodis belli dignam. quales ex sacris litteris esse demonstrat, publicam Principis contumeliam, 2. *Reg.* 10. rebellionem subditorum, *ibid. cap.* 20. violatum fœdus, 4. *Reg.* 3. defensionem malefactorum, ne iustas pœnas luant, *Iudic.* 20. suppetias latas inimicis, 2. *Reg.* 8. innoxij transitus denegationem, *Numeror.* 21. *c. notandum*, 23. *q.* 2. hæresim subditorum, Greg. *lib.* 1. *ep.* 62. *c. qui peccat, c. quando. c. displicet.* 23. *q.* 4. negatum locum Prædicatoribus Euangelij, *ex Victoria.* detentas res Principis, inuasam ciuitatem, etiam paruam, auxilium ab eo, qui iustã causam tuetur petitũ. Molina *de Iust. tract.* 2. *disp.* 104. primo loco ponit eam causam, vt Princeps recuperet, quæ ei debentur *ex* 2. *Regum. c.* 3. vbi bellum mouit Dauid contra Isboseth pro Regno Israel. *Iusta enim bella*, inquit Augustin. *relatus cap. domi-*

6. *Iusta causa belli offensiui, grauis iniuria impedienda, resarcienda, vindicanda.*

dominus. 23. q. 2. definiri solent quæ vlciscuntur iniurias, si, quæ gens vel ciuitas bello petenda est, vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est. Non ergo bellum iustum, quod sine causa, eaque necessaria suscipitur. non vtili tantùm, non cupiditatæ melioris soli, non libertatis in subdito, non imperij in liberos, nec ipsorum quidem causa: non eius habendi, quod non ius, sed honestas duntaxat debitum facit. neque metus vicinæ potentiæ. si non animus nocendi asseritur, isque moralicertitudine deprehendatur. Grot. *de bel. l. 2. c. 22.*

7. *An iusta causa sit metus vicinæ potentiæ valde crescentis?*

Sed tamen lubet latiùs exquirere, an, quod ait Ferrerius, iusta satis belli causa sit, ne vicini Principis potentia nimium excrescat. Perseus *apud Liuium lib. 42.* Rhodios monet, vt si pax à Romanis non impetraretur, saltem ita agendum, ne omnium rerum ius atq; potestas ad vnum populum perueniat. per victos enim vicinos victor gressum facit ad remotiores. ita Demetrius *ad Philip. Maced. apud Iustin. lib. 29. cuius quanto propius nobiliusque sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus.* & Mithridates Rex Ponti *apud Salust. in eius epist. ad Arsacem Regem Parthorum; Nunc quæso considera nobis oppressis vtrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes.* eodemque modo Ætholi ab Antiocho petunt pecuniam & militem, vt socios ille tueatur, ne Romani Ætholis extinctis totis viribus in Asiã ferantur. *Vera erant*, inquit Liuius *lib. 36. quæ dicebantur, eo magis Regem mouerunt.* Omnium temporum historiæ exhibent Principes in socialia fœdera, atque acria bella eiusmodi rationibus tractos. Diximus sociorum defensionem iustam belli causam esse, sed dummodo socij iustum bellum gerant. sed an socialis belli iusta causa sit, si desit alia, ne vicinus Princeps supra omnes potentiâ excrescat? Ferrerius quidem eum Gallis metum pro iustitia belli contra Hispanos, domumvè Austriacam, quod sensim vicina corripiat, sufficere ait, atque instar tempestiuæ defensionis esse, malum, quod imminere videas, præoccupare; neque morari, donec suppressorum exempla plura deësse possint. Bella quidem ratio est: sed imaginaria. sed insomnia rebus agendis non sufficiunt. quod si Hispanus, vt semper Turca, solitus foret quo iure, quavè iniuriâ, solaque dominandi libidine bella gerere; profectò aliorum exemplo socialia arma prouocare posset. Cæterum quòd domus Austriaca per fœdera matrimonialia progressum ad hanc potentiã fecerit, sine cuiusquam iniuria, quis bonus dixerit sat causæ, vt alijs Regibus liceat ditiones eius inuadere?

Dilecta Cœlo est Austriadum domus.

An quia agri vicini gleba fertilior est, ideonè liceat terminos meos in illum promouere? an quia vicinum pecus grandius vber habet, liceat

liceat mihi abigere? an quia vicinus ad vtroſque currit feliciùs Indos, liceat mihi nauem eius perforare, aut expilare? an quia corrivalis diuiti ſponſæ magis placuit, ideò rivali liceat ferro illius fœlicitatem auertere? ſed non ſunt, inquit, Regum eadem, & priuatorum iura. quod ſibi argumentum in quæſtione regia fractæ pacis inter Anglum & Francũ objicit Innocentius III. *in c. nouit. x. de Iud.* reſpondetque ex lege diuina; *ita magnum iudicabis vt paruum.* Sed & quis negabit vnquam ad naturales iuſtitiæ leges teneri etiam Reges, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere? Naturæ & gentium omnia iura ſuſtuleris, fœdera, fidem, commercium, & ſocietatem generis humani, ſi hâc viâ pergas. Galli Italiam inuadentes, quo iure veteres atque innoxios poſſeſſores pellerent, rogati; non aliud apud illos ius, quàm quod fortior dextra decerneret, prævalere reſponderunt. Eodem Iure Cymbri, Hunni, Alani, Wandali, Gothi, Normanni, Dani, Turcæ, & immaniſsima olim barbararum gentium feritas, orbem terrarum inundarunt, ſat cauſæ habentes, Ferrerio iudice, in Romani Imperij magnitudine. Vtinam ea ratio ad communem Chriſtianæ Religionis hoſtem oppugnandum Principes omnes accenderet, vt pro mandata ſibi poteſtate, non tantùm quâ priuati ſunt, Chriſto ſeruirent, eius hoſtem communibus & fœderatis armis inuaderent! *neque enim fruſtrà gladium portant.* cuius rationem quà Reges dare rigidam tenebuntur. ſed Ferrerio magis placet cum Chriſtianæ Religionis hoſte pacem colere, cum Catholicæ fidei aduerſarijs, quarumcumque ſectarum fœdera inire. nec magni illud facit 2. *Paralipom. c. 19. impio præbes auxilium, & ijs qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris.* vnde fiat vt Regiones Catholicæ expugnentur, mox orthodoxa Religio, ac clerus eliminetur, templa hæreticis tradantur, hæreſiſque in poſſeſsionem ducatur. Auxilia omnia iuſta credit, quæ contra potentiam inualeſcentem Auſtriacam vel Hiſpanã ſubmittuntur. contra hanc cauſam nullũ ius, nulla ſententia à quocumque lata Iudice, toto licet orbe pedibus in eam eunte, ei ſufficit. paradoxa iſta ſunt. quorum cùm nec Theologiæ, nec caſuum, nec legum peritum Iudicem admittat, fateri oportet nullo niſi chimerio aut cymmerio iure defendi hęc poſſe. omnemq; interpretationem eius iuris dependere à dictamine priuati ſpiritus. Ago de iure. ſcio enim arcana Imperij & Dominationum vulgò propalanda non eſſe. *Parendo potiùs, quàm imperia ſciſcitando res militares contineri.* Tac. *lib. 17. Summa*, inquit Greg. *c. vlt. 23. q. 1. militiæ laus hæc eſt; obedientiam Reip. vtilitatibus exhibere.* ſed cùm de factis cõſtat, nego iuris Regij ſcientiam eſſe priuati arbitrij, ſed iudicij, iuſtitiæque communis omnium gentium. Nemo Princeps ita de ſe ſentit, vt aduerſus

ſus ſe alteri liceat damnatas iuſto iudicio rebellium cauſas tutari, liquidiſsimæ rebellionis reis ſuppetias ferre, alienæ ditionis inuaſores pecuniâ, milite, annonâ iuuare. & tamen cogitare debet quiſquis Fererium ſecutus, non iuſtitiam, ſed iniquitatem iuuat, cùm Deo videbitur, leui flabello huiuſmodi muſcas diſpellere, versâ fabulâ ſibi euenire poſſe, alteri quod fecerit.

CAPVT VIII.

De bello iuſtè gerendo.

1. *Gerendum iuſtè bellum Quot modis iniuſtè geratur?*

CÆterum (vt Fererio valedicamus, eiuſque Catholico-politico) aſſerimus bellum ſuſcipiendum iuſtè, ſed & gerendum eſſe iuſtè. *Iuſtè quod iuſtum eſt proſequêris. Deut.* 16. Iuſtè iniuſtevè bellum geritur, reſpectu Principis, militis, Reip. Prouincialium vè, hoſtium, mediorum, modi, finis.

Reſpectu Principis.

2. *Non iuſtè indicit bellum, qui ſuperiorem habet, & magis ſi vterque.*

IS ſiquidem illatum bellum iuſtè propulſat, cuicumq; iniuſtè infertur. licita eſt enim defenſio contra quemcumque iniuſtam vim inferentem. Vim dico iniuſtam, non modum. nam cauſa iniuſta vim iniuſtam facit, vt reſiſti poſsit, non ſemper modus. non iuſtè infert vim, quiſquis ſuperiorem Principem agnoſcit: tametſi nõ mox, ſi cauſa iuſta ſit inferendi, iuſtè reſiſtatur. Teneri maieſtatis lege eum, qui iniuſſu Principis bellum geſſerit, delectum habuerit, exercitum compararit, ſcimus *ex l.* 3. *D. ad legem Iuliam maieſt. Ordo naturalis hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium apud Principes ſit*, inquit Auguſt. *c. quid.* 23. *q.* 1. & nuper id in Batauis, ipſoque Prouinciæ Prætorio damnata Ioan. Oldenbarneueltij, aliorumque Arminianæ factionis procerum capita docuerunt. quamuis enim Iudicum incompetentiam multi libelli diſputarint, Batauiæque vnitæ, alijs Prouincijs non ſubditæ, libertatem; & ſingulatim Apologeticus H. Grotij; quaſi fœdere Vltraiectino nihil Prouincijs ſingulis ſupremæ Poteſtatis ademptum ſit, neque alijs in alias quippiam conceſſum; vt iudicandi aut Iudices dandi poteſtas ſingulis ſua ſit intacta, non alijs delata, cùm in nullius dominatum conceſſerit; interim tamen, ſub ratione exercitus iniuſſu Ordinum generalium comparati, damnatus Oldenbarneueltius

——— *iacet ingens littore truncus.*

Tum porrò maximè bellum inferre non licet, cùm vterque vnum Principem agnoſcit, qui vtriq; dicere ius poteſt. quo nomine toties

in

in Comitijs Imperij, quæ citat Conſen. *polit. l.* 10. *cap.* 3. deciſum, nulli Principi Imperij licere bellum mouere. & infractoribus pacis publicæ bannum Imperij comminatum.

Iterum reſpectu Principis iniuſtè geritur bellum, ſi ipſe officio & partibus ſuis deſit, ſi non è Repub. diligenter, conſultò agat, ſi temere in ſalute publica verſetur; ſi delectum non habeat, ſi diſciplinam non ſeruet, ſi hoſtem populantem negligat, prouinciales militibus ſuis prædæ eſſe ſinat, ſi boni Principis munus vndequaque non expleat, ſi militares meditationes non admittat, ſi præterita, præſentia, futura pari obliuione tranſmittat. Oportet enim bonum ſemper atque vbique Ducem agat, finem, officiumque ſuum ſibi ſemper propoſitum habeat, militem benè delectum, bonum efficiat, facere & pati fortia doceat. ijs, quibuſcum de Imperio certetur, nec virtute, nec patientiâ, nec diſciplinâ rei militaris cedendo, adnitatur ſemper caſtra metari, loca capere, præſidia diſponere, numquam niſi ex arte, in tempore pugnã inire, firmare ſubſidijs aciem, equitem peditemq; aptè locare, obaudientẽ reddere, non dictis modò, ſed exemplo ab eo petito, amore militem in officio, & à fuga verecundiâ retinere; in eos, qui pauore fugerunt, ita animaduertere, ne hoſtis maximè timendus militi ſit: bonam ac malam fortunam ex æquo ferre, ſecundarum ambiguarumq; rerum ſcientem, eoque interritum: ſi cum aduerſa luctatus ſit, ita ſe gerere, vt maior clariorq; reſurgat; in reſtaurando prælio, damniſque ſuis terribilior reddatur:

3. *Princeps ſi partibus ſuis deſit nõ iuſtè gerit bellum. quæ illæ?*

——— *arma felix teneat, infelix paret:*

Seu vicit, ferociter norit inſtare victis: ſeu victus eſt, inſtaurare cum victoribus certamen: neque occaſioni deeſſe, neque occaſionem hoſti dare: cauta potiùs conſilia cum ratione, quàm proſpera ex caſu laudare; cauendi ſcientem, declinandique peritum: de inſtantibus atque improuiſis verè, & de futuris callidiſsimè conijcere: nihil minùs in perfecto Duce quàm feſtinationem, temeritatemque conuenire arbitrari, minimum fortunæ, caſibuſque permittere: nuſquam culpâ malè rem gerere, ſemper conſilio vincere: prudentem rei militaris, & diligentem eſſe Imperij; vt numquam ſupra induſtriam fortuna ſit: in bello nihil tam leue credere, quod non magnæ interdum rei momentum faciat: extra dilationes poſitum conſultis facta coniungere, nuncios etiam de ſe præuenire: nec finem alium belli quàm victoriam ſpectare, nec impetu potiùs illud, quàm perſeuerantiâ gerere: plurimum facere & minimum ipſum de ſe loqui; nihil tumidum in ipſo, nihil arrogans, aut in rebus nouis nouum: numquam Dei timorem, atque amorem obliuiſci, nuſquã militarem diſciplinam remittere, pecuniam neruum belli diligenter,

nec

nec prodigè, nec parcè nimium administrare, benè meritos bene munerari, euehere, sed nõ intempestiuè, verum gradatim, numerum militum augere potiùs, quàm præfectorum: vt horum stipendia illorum necessitati nihil detrahant, nullos nisi post longa stipēdia exauctorare, ac rude, & pensionibus, quæ nimis ærarium grauant, donare: malè meritos cũ ignominia mittere: mare ęquè classibus obtinere, ac continentem in potestate habere: incidere hostium commercia, fines omnes infestos habere, fœdera mutua inter eos, & cum exteris, si qua fieri potest, soluere: si armis superari nequeant, perpetuũ bellum vna cum gente non gerere, pace in somnũ & armorum obliuionem dare: vi debellari qui non possunt, consilio infirmare: meditamentis artis bellicæ semper animum distinere. *Necesse est*, inquit Astyages, *apud Xenophontem lib. 1. Cyrop. fili, vt non solùm quæ à me diligenter didicisti in vsu habeas: sed ex te ipso alia mediteris quibus contra hostes vtare; sicut consueuerunt musici, qui non modò quæ à magistris didicerunt fidibus ludunt, sed alia genera modosque ex se ipsis inuestigant.* Hæc Princeps meditari debet, sese exercere simul & milites, vt apud Liuium *l.* 44. Paul. Æmilius, quid Ducem, quid militē deceat, monuit: *Cœperuntq; milites acuere alij gladios, alij galeas, bucculasque, scuta alij, loricasq; tergere, alij aptare corpori arma, expeririq; sub his membrorum agilitatem: quatere alij pila, alij micare gladijs.* Tum porrò innocens ipse, nemini grauis, militibus familiaris, cum seueritate comis, manu non secus quàm imperio præëat, ad exemplum Alexandri Imp. Romani. de quo ita eius historia: *Igitur cùm talis ac tantus Imperator domi ac foris esset, inijt Parthicam expeditionem, quàm tantâ disciplinâ, tantâ reuerentiâ sui egit, vt non milites, sed senatores transire dicerentur. quacumque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsum verò ob hæc tot & tanta bona prouinciales, vt Deum suspiciebant; iam verò ipsi milites iuuenem Imperatorem sic amabant, vt fratrem, vt filium, vt parentem, vestiti honestè, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippijs ac frænis decentibus, prorsus vt Romanam Remp. intelligeret, quicumque Alexandri exercitum vidisset: elaborabat denique vt dignus illo nomine videretur, imò Macedonem illum vinceret: dicebatq; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere.*

4. Nomen famamq; parit.

Boni ergo Imperatoris curabit vt existimationem acquirat, tum respectu militum; vt ille etiam apud Tacit. *lib. 1. Annal. circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, alium gloriâ, cunctos colloquio, & cura sibiq; & prælio firmabat.* tum respectu hostium; vt Corbulo *apud Tacit. lib. 13.* egregia apud Armenios statim facinora aggressus est, *vt famæ inseruiret quæ in nouis cœptis validissima est.* & de Agricola, *non ignarus instandum famæ; & prout prima cessissent fore vniuersa.*

nam inuiso semel Principe, seu benè, seu male facta, premunt. lib. 17. Cæsar Pompeiũ arctè obsedit, inter cætera *vt auctoritatẽ, quâ ille maximè apud exteras nationes valebat, minueret* : & Pompeius vicissim militem frequenter in aciem educebat, *vt famam & opinionem hominum teneret.* Cæs. *lib.* 3. *de bel. ciu.* sic Mutianus venit in Italiam, *non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans. gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus modicas vires esse sibi, & maiora credi de absentibus.*

Paratâ sibi famâ Princeps seu Dux exercitus, vires hostium expendere debet, tum proprias, tum auxiliares. nulli grauius imminet periculum, quàm qui nimiâ sui fiduciâ, hostem contemnit. incauta est securitas, & facilè vulneri, quo pereat, locum præbet. 5. *Suas & hostiles vires expendat, neque incautè securus contemnat.*

Andriscus Iuuentium Prætorem, Numantini plures exercitus Romanorum, Cretes M. Antonium, Funo Manilium, Lentulum, Pisonem, Hyspæum, Athenio Seruilium, & Lucullum; Spartacus Lentulum & Caium Cassium afflixerunt, cæciderunt, aut castris exuerunt. tantâ aliqui clade, qualis inter strages, quas dedit Hannibal, vix maior accepta est à Rep. Rom. non quòd summi duces aut tantis viribus niterentur; sed quia contempti; negligentiq; consilio, obuiàm ijs est itum. Non alijs initijs creuerunt Batani, quàm sui contemptu, in tantam nunc amplitudinem, vt cum tot Principibus fœdera habeant contracta: tot auxilijs eorum sint vsi: orbem penè vniuersum circumnauigarint non tantùm, sed classibus ad vtrosque Indos vsque missis commercia exercuerint, classes inuaserint, captiuum aurum in Insulam abduxerint. & quod de nullis historici memorant, mercatorias societates in bella armarint, quæ sine eorum sumptu bellent, grassentur, prædentur. & cùm alij gestis bellis exhauriantur, societates hæ ditescant.

Mansfeldius nuper nothus, & nimium notus, cui nec vnus terræ pes suus erat, tantis cladibus Orbem Europæum afflixit, post Cæsarea, & Belgica stipendia missionem passus, atque ex demerito contemptus, & ad alia castra transfuga, scelere creuit. qui & paulò ante pugnam Floruanam sui suorumque despectum vt nostris imprimeret, laborauit: ijs, quos ad se mitti petierat, nudos lixas, & calones magno numero & inermes militum nomine ostentans, lecto decumbens, lecticâ vectus, quasi immedicabile vlcus, aut morbum sonticum causatus: denique fugam seu profectionem in Galliam simulans, quasi nostros limites non ausus attingere, Gondisalui Cordubensis tutelâ nimis defensos, donec Cordubẽsis incolas armatos, suas quoq; domos quasi aliò iam tempestate versâ remiserat, cùm ille iam extremũ suorum agmen frontem vertere iussit, & maximis itineribus totum exercitum, in limitem nostrũ immittere cœpit, &

pœnè inexpectatus Cordubensi superuenit. cuius egregio facinore mixtis inter se nationibus restitum quasi grandini, & tempestati è cœlo missæ; sublimi in equo & conspicuo Mansfeldio per omnem aciem volitante, omnia ducis & militis officia strenuè explente, insignem equitatum, nec ignobilem peditatum ducente. quo die & fortuna Cordubensis adfuit, & disciplina militaris, & supra quàm quinquaginta infra annos hîc creditum est, robur peditatus hastati. cuius ordines nec bellica tormenta, nec toties circumactus equitatus, nec ter collisæ legiones laxare potuerunt. cuius virtute eo die stetit victoria. Ad rem nostram. ausus est ille nothus, dum exercitus regius Berghizomam sub Marchione Spinola obsidet, & alter sub Henrico Berghæ Comite copijs Auraicis ad Rhenum obsistit, quod inter bella Gallica nullus vnquam Rex ausus, nec audebit propitio nobis Numine, quia contemptum se sciebat, contemptumque sui, suorumque ipse auxerat.

6. *Expendat an festinare, an trahere bellum expediat.*

Tum porrò Dux expendat diligenter, an rationibus suis conueniat festinare bellum, an trahere. vt Suetonius in bello Vitellij, & Othonis festinationem hostibus, moram ipsis vtilem differuit. & Vitellius *apud Tacit. l.* 16. quantus vrgendo trahendoque bello modus alios rogitat. Dux Albanus Lusitaniam celeritate obtinuit, antequam Antonius vel suos armare satis, vel auxilia adscire posset. Marchio Spinola primùm cunctando, & famam aduentus ad multos menses gliscere sinendo, cùm hostes magnos sumptus facerent, quasi quotidie eum acie excepturi, morâ eos debilitauit, tũ deinde celeritate, & prælio magnanimè oblato in Palatinatu bellũ confecit.

Cæsar cùm bellum aduersus Pompeium prælio dirimere percuperet, prouocauit illum quotidiè. Pompeius qui Cæsarem annonâ defici, & moram trahere volebat, neque castris se continebat, & quãuis copias educeret, numquam tamen in conflictum ire decreuerat; vt Appianus & Plutarchus testantur. & cùm tandem iuit, coactus iuit. *si quando*, inquit Cæsar, *quid Pompeius tardius aut consideratius faceret, vnius esse negotium diei, sed illum delectari Imperio, & Consulares Prætorioque seruorum habere numero dicebant.* eâ criminatione primùm, deinde prælio victus est.

7. *Domi operiri hostem, an in hostico aggredi.*

Eodem pertinet deliberare expediatne hostem domi operiri, an in hosticum ire. generatim quidem satius est ducere exercitum in hostilem agrum, si quidem sat virium sit. formidatur qui lacessit. *Maior*, inquit Annibal *apud Liuium libro vigesimo primo, spes, maiorque animus inferentis est vim, quàm arcentis.* Existimatio est maior, si non tua tantùm defendere, sed & aliena vindicare posse videaris. Belli incommoda non domi, sed apud hostem sentiuntur, vnde domi secura fidelitas, apud hostem querelæ, tumultus,

atque

atque seditionum pericula. Laudatur Otho, *quod Italia adiri, nec loca sedesque patriæ videbantur, tanquam externa littora vrere, vastare, rapere.* Tacit. *lib.*18. quippe Otho *Vitellium sisti intra Galliam sperauerat.* Annibal, exercitum quanto labore in Italiam traiecit, ipse quantis Antiocho rationibus suadet, vt ille traijciat? negans *opprimi Romanos nisi in Italia posse.* Iust. *lib.*31. & post tot clades in Italia acceptas Scipio cum exercitu in Africam transmisit, & Annibalem aliena omittere, lares tueri coëgit, vicitq; nec successus perperā respondit rationibus, quas Scipio contra Fabium Max. in Senatu allegauerat. & meritò Annibal negauit *se vnquam victum prius quam terris Romanorum cesserit, reuerso Carthaginem statim cum loco fortunam belli mutatam*: Iustin. *l.* 31. Quippe constat *aliter domi, aliter foris bella tractari, domi ea sola auxilia esse quæ patriæ vires subministrant, foris etiam hostem suis viribus vinci.* Iust. *l.* 22. historiæ sanè plures domi victos perijsse, quàm foris testantur.

8. *Partiri exercitum an integrum obijcere.*

Iterum Dux exercitum, nisi nimium copiosus fuerit, integrum hosti obijcere, non dispartiri debet. Cæcinna non simul cohortes, sed singulas acciuerat, quæ res in prælio trepidationem auxit: *cùm dispersos nec vsquam validos pauor fugientium abriperet.* Tacitus *lib.*17. Eodem errore peccauit L. Apronius contra Frisios, qui diuisas cohortes, turmas atque equites in eos immiserat. *validos*, inquit Tacitus, *lib.*4. *si simul incubuissent, cùm per interuallum aduentassent, neque constantiam addiderant turbatis, & pauore fugientium auferebantur.* Vitellius dum dispergit vires aduersus Vespasianum, militem trucidandum obtulit. Tacit. *lib.* 19.

9. *Num plures simul hostes habere.*

Quò & pertinet ne plures simul hostes conciliet sibi Princeps, aut insectetur. *Maturauit*, inquit Liuius *l.*2. *Romanus, ne prælio vno cum Latino Volscóque contenderet.* & *l.* 29. *Verso in Africam bello, omnibus alijs in præsentia leuari bellis volebant.* & *lib.* 33. *non tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne simul cum Philippo foret bellandum: quàm opportunè iam Antiocho in Syria moliente bellum, Philippus est superatus.* & Tacitus de Corbulone, prudentissimo duce *lib.*13. *satis comperto Vologesem defectione Hircaniæ attineri.* & *libro vigesimo quinto Parthi Hircano bello detinentur.* & *libro decimo quinto*, contator (Vologeses) *ingenio, & defectione Hircanorum, gentis validæ, multisque ex eo bellis illigatus*, & iterum *ibidem* Corbulo ait se scire quantum Rex intus discordiarum, quamque indomitas & præ feroces nationes regeret: contrà *Imperatori suo inmotam vbique pacem, & vnum id bellum esse.*

10. *Non omittere occa-*

Ab eadem temeritate nō est absonū, cùm bellorū euentus sint incertissimi, minimæq; occasiones præliorū fortunā interuertant, *op-*

stionem, vt gloriosius vincat.

portunitatem delendi hostis contemnere, vt glorioſiùs vincas. adeóque qui in anguſtijs certò opprimi poſsint, in aperto campo excipere. vt Liu. *lib.*21. Alpinos reprehendit, per quos Annibal tranſijt, ſi valles occultiores inſediſſent, coörti in pugnam repentè ingentem fugam, ſtragemque dediſſent. Melius Annibal cùm in Italiam deſcenderet, Hannonem ad Alpes reliquit, *vt fauces, quæ Hiſpanias Gallijs iungunt, in poteſtate eſſent.* Liu. *lib.*21. Ætolos reprehendit idem *lib.* 36. *Romanum Consulem Acilium cùm illuc peruenisſet, quia ex illo monte & iumenta multa præcipitata cum ipſis oneribus ſunt, & homines vexati, facilè cognouiſſe, quam cum inerti hoſte res eſſet, qui tam impeditum ſaltum nullo præſidio, vt clauderet tranſitum, inſediſſet.* & in Perſeo ſimili errore lapſo *lib.* 42. *contemptus quoque hoſtium adeò ignorantium opportunitates ſuas, acceſsit.*

11. *Non temere procurrere, hoſtibus à tergo relictis.*

Facit eodem ne Dux inſolenti temeritate nimis progrediatur, hoſtibus arcibuſq; à tergo relictis. Cæſar. *lib.*4. *de bell. Gall.* Morinorum Legatos refert, mandata Cæſaris acturos offerentes. *Quæ*, inquit, *opportunè facta ſunt, quod neque poſt tergum, hoſtem relinquere volebat.* & cùm ad oppidum Bellaunodunum peruenisſet, expugnandi illud conſilium cœpit; *ne quem poſt ſe hoſtem relinqueret, lib.* 6. Niſi fortè locus adeò munitus ſit, vt retardaturus ſit magnos conatus, ſeu alia euidens cauſa, & alteri incommodo aliter prouideatur. ſic in bello contra Perſeum Conſul Gonnus cùm oppidum in ſaltibus, per quos in Teſſaliam tranſitur, ſitum aggredi vellet, *cùm & loco & præſidio valido inexpugnabilis res eſſet, abſtitit incepto.* Liu. *l.*42. *in fin.*

12. *Non ſtratis ponte fluminibus, & præſidio firmatis.*

Maximum porrò ijs periculum, qui in hoſtium progreſsi flumina tranſeunt niſi pontibus ſternant, valido præſidio firment, vt ſi qua neceſsitas retro ferre pedem coëgerit, receptui, receſſuique locus ſeruetur.

13. *Locis non explòratis.*

Peccant porrò maximè, qui loca, in quæ exercitum ducunt, per exploratores non antè cognouerunt. quis ſitus, qui colles, qui fluuij, ſaltus, naturæ, artiſvè munimina: quæ hoſtium conſilia, qui conatus, quæ molimina, quæ vires ad manum, quæ expectentur auxilia.

14. *Commeatu priuiſo, impedimentiſq; collatis benè.*

Tum porrò ſupra omnes peccant, qui ita proficiscuntur, vt commeatus deëſſe, aut impediri poſsit, aut ſarcinæ impedimentáque non ſequi. docemur à Vercingentorige, *apud Cæſarem de bel. Gal. libro ſecundo non intereſſe hoſtem interficere, impedimentiſvè exuere; quibus amiſsis bellum geri non poſsit.* Quapropter oportet ſi loca hoſtilia ingreditur ſubſequi impedimenta, ſi egreditur, præcedere; ſi hoſtis timeatur à latere, ad læuam, aut dexteram; ſi vndequaque, in medio collocari.

Otho-

Othonianæ cladis causa mixta vehicula & lixæ, & permixtum vehiculis agmen. Tac. *lib.* 18. & Vitellianæ *lib.* 19. dum ordines restitui nequiuere impedientibus vehiculis, tormentisque. Cæsar meliùs in Gallijs conseruit præmissis paulùm impedimentis, atque in tumulo quodam collocatis, & alibi impedimentis in proximum collem deductis. *l.* 7. & 8. ita oportet inire prælium, *vt nec victo, nec victori noceant. addito, ne diripiantur, præsidio idoneo.* ita ait P. Æmilius *apud Liuium lib.* 44. *nec ignauissimum quemque relinqui ad custodiam farcinarum.*

Nec suis iterum Dux, vt nec hosti, necessitatem pugnæ imponere debet. Non suis, quia sæpè pauor pro fortitudine incessit milites atque mœror. Annibal cum Metello conflicturus, ita exercitum composuit, vt in loca tuta recipere se posset. Vespasianus Italiam petiturus, ad Parthos, & Armenios Legatos misit; *Ne versis,* inquit Tacit. *lib.* 18. *ad ciuile bellum legionibus, terga nudarentur.* Suetonius Paulinus, cùm Britannorum defectionem reprimeret, elegerat sibi locum *tergo silua clausum.* Tacit. *lib.* 4. Idem peritissimus bellorum suadebat Othoni bellum cum Vitellio trahere *quòd ei non multum virium à tergo.* 15. *Necessitatē pugnæ nec sibi nec hosti impo-nere.*

Qui se suosque coniecit in eam necessitatem, vt receptui canere non possit, nisi victor; si hostis rei gnarus bellum trahat, vallo se contineat, pabulationes tamen, & frumentationes prohibeat, iam victus est, qui vincere, aut non vinci potuisset, cogens non coactus, loci, temporisque ad prælium ineundum arbitrium habet. ducet, traducetque donec hostem iniquo loco, iniquo tempore cogat conserere manus. Scipio cum Asdrubale conflicturus, tesseram vesperi per castra dedit, vt ante lucem viri, equique pransi essent. victor Scipio, Asdrubal non armis tantùm, sed & siti fameque suorum victus. Liu. *l.* 28. Cæsar Gallorum errorem in Sabino inuadendo scribit, quod exanimati peruenerint, & causam cladis, oportunitatem loci, hostium insciciam, ac defatigationem. *lib.* 2. *de bell. Gall.* & Curionis infelix prælium, ob confectum itinere, & labore exercitum, equos, militesque fessos, hostes integros.

Quare rectè P. Æmilius *apud Liu. l.* 24. *Nihilnè inter est,* inquit, *vtrum militem, quem neque viæ labor hodiè, neque operis fatigauerit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere iubeas, atque in acie plenum virium, vigentem, & corpore, & animo educas, an longo itinere fatigatum, & onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis puluere, torrentem meridiano sole hosti obijcias recenti, quieto, qui nullâ re ante consumptas vires ad prælium adferat.* Collisæ ad Neoportum acies hæc etiam incommoda prædicarunt.

61. *Nocturna prælia vitet.* Ad iniquitatem temporis etiam cogi potest qui in necessitatem prælij se coniecit, adeoque vt noctu confligere teneatur; cùm prælia nocturna vitanda sint. Antonius Primus de Cremonæ oppugnatione, *Non si*, inquit, *pateant portæ, nisi explorato, nisi diu intrandum.* Tac. *lib.* 19. Q. Fabius intra vallum milites continuit, *ab nocturno abhorrens certamine.* Liu. *lib.* 22. Cùm suaderetur Curio vt ad Castra noctu reuerteretur, ambiguus ne miles deficeret, secederetve, qui pudore atque timore refrænatur, quibus rebus nox maximè aduersaria est, induci non potuit. Cæs. *lib.* 2. *de bell. ciuil.* qui in vltimam necessitatem se dedit, si hostis vel simulauerit prælium, habet quod maximè vereatur, ne sui mœrore soluti diffugiant, ducemque destituant.

17. *Hostem ad desperationem non cogat.* Non etiam hosti vltima necessitas pugnæ imponenda est. sæpè desperatio spei causa est; cùm aut moriendum, aut vincendum intelligit miles. Locrensibus *non alia causa victoriæ fuit, quàm quòd desperauerunt.* Iustin. *l.* 20.

Abner petens, vt fugere sibi liceret, *Num*, inquit ad Asaël, *vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? an ignoras quòd periculosa sit desperatio?* itaque nihilominus instantem, auersa hastâ transfodit. 2. *Regum cap. secundo.* Antonius Primus docet suos, *esse adhuc Vitellio vires, ambiguas si deliberarent; acres, si desperassent.* Tacit. *libro decimo nono.* Scipio cum Mudonio pugnans, victor quidem redijt; sed multis è suis amissis, pluribus vulneratis. & refert Liuius *libro vigesimo octauo*, causam, quia *minus*, inquit, *cruenta victoria fuisset, si patentiori campo, si ad fugam capessendam facili foret pugnatum.* Inde in summo prælij ardore Romani ad ponenda arma inuitabant. *Vna vox*, inquit Liuius *libro nono, ponere arma iubentium per totam fertur aciem.* Parcebant ergo ijs, qui arma ponerent. sic in reliquijs Vitellianis, *Vicit*, inquit Tacitus *libro vigesimo, ratio parcendi, ne sublatâ spe veniæ, pertinaciâ accenderentur.* sic & *coactus*, inquit Liuius, *lib.* 57. *periculo militum Prætor receptui canere iussit, ne obiiceret incautos furentibus desperatione, ac rabie.* Ita Manlius *apud Liuium lib.* 2. à victis intra castra captiua clausis cæsus.

18. *Castra muniat.* Magnus hodiè vallorum, castrorum, munitionumque militarium neglectus. apud Veteres, maximè Romanos florente Republic. & disciplinâ militari, summa illarum rerum cura. P. Æmilius; *Maiores*, inquit, *nostri castra munita portum ad omnes casus exercitus ducebant esse, vnde ad pugnam exirent, quo iactati tempestate, pugnæ receptum haberent, cum munimentis ea sepissent, præsidio quoque valido firmabant: quod qui castris exutus, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo habebatur. Castra sunt victori receptaculum, victo refugium. quàm multi exercitus quibus*

mi-

minus prospera fortuna pugnæ fuit intra vallum compulsi tempore suo, interdum momento pòst, eruptione factâ victum hostem repulerunt? Igitur patria altera est militaris hæc sedes, vallumq; pro mœnibus, & tentorium suum cuiq; militi domus, ac penates sunt. Liuius *lib.* 44.

Annibal Pyrrhum omnium maximum Ducem etiam supra Alexandrum arbitrabatur, quòd castra metari primus docuerit, & nemo elegantiùs loca cœperit, præsidia disposuerit. Liu. *l.* 35. & Philippus Macedo cùm Romanorum inspexisset *vniuersam speciem castrorum, & descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis, negauit barbarorum* (quo nomine Græcis tum adhuc erant Romani) *illa castra vlli videri posse.* Liu. *l.* 31. Quin & Cæsar ab Arioui sto inuasus, cùm castra nondum satis munijsset, duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere iussit, *lib.* 1. *de bel. Gal.* quod & olim Popilius Lænas præstitit: nam intuadentibus eum Gallis, partem exercitus hosti opposuit. *Nec opus*, inquit Liu. *lib.* 7. *intermissum.* quin & nostrates apud Neruios, cùm ferramentorum copia non sufficeret ad castra munienda, non prætermiserunt gladijs cespites circumcidere, manibusque lagulisque terram exhaurire. Cæs. *l.* 5. & 7. *bell. Gall.* quod Romanæ disciplinæ fuisse, nec castrorum munitionem inter ipsa pericula, atque præliorum aleam omittere, docet Vegetius *lib.* 1. *cap.* 25. quin etiam *lib.* 1. *cap.* 21. queritur eiusmodi munitionum vsum suo tempore (sub Valentiniano Iuniore) intercidisse; additque incommoda, *sic diurno & nocturno interuentu equitum barbarorum multos scimus frequenter afflictos. Non solùm autem confidentes sine castris ista patiuntur, sed cùm in acie casu aliquo cœperint cedere, munimenta castrorum, quo se recipiant, non habent, & more animalium multi cadunt: nec priùs moriendi finis fit, quàm hostibus voluntas defuerit persequendi.* 19. Castra metetur.

Marchio Spinola ad Bredã tanta valla munitionesq;, tũ aduersus obsessos, qui sex penè millia selectorum militũ conficiebant præter incolas, tum aduersus hostem si ingrueret ad obsidionem soluendam, excitauit, tantæque amplitudinis, vt nouem horis circuiri non possent. tanto robore, vt Mauritius Princeps Auraicæ frustrà adoriri numquam voluerit: Henricus frater post illius mortem animoso ausu adortus, insigni clade reiectus fuerit, magnâ cum nobilium tum fortissimorum cæde; vt deinceps laborandum tantùm fuerit de commeatibus. Ad Syluam Ducis supra humanam fidem valla munitionesque elaboratæ, vt nec tentandæ viderentur, sed hostem relictâ obsidione aliò vocare consultum inuasâ Veluâ, quo dubio procul auersus fuisset, nisi turpiter amissâ Wesaliâ Dauus omnia turbasset. Ad Bergizomam operum eiusmodi negle-

ctus Mauritium alioſque in admirationem traxit, & adhuc vigentem apud nos diſputationem dedit, an conſilio capiendæ vrbis, non hoſtem diſtinendi, ab alijſque auocandi, an quo alio, proceſſum eò fuerit.

19. *Hoſti fugienti viam aperiat.* Hoſti fugienti potiùs via aperienda, qua fugiat. vt Thuſcis cæſo Conſule Romano *apud Liu. lib.* 2. Antigonus Ætolos erumpentes fugere permiſit, Ageſilaus Thebanos emiſit, Xerxem Themiſtocles: Pyrrhus ſemper cenſuit non eſſe fortiter inſtandum fugientibus. Lycurgi leges erant, hoſtes fugientes non occidere. & ferè ea Heluetiorum quondam diſciplina fuit, armato nemini parcere, fugientem, atque arma abijcientem nec perſequi.

20. *Delectum militem habeat.* Tempeſtiuè quæ ad bellum pertinent parare Principem atque Rempublic. oportet. arma quæ offendant, quæ defendant, quibus eminus, quibus cominus pugnetur, quæ natura dedit, quæ induſtria inuenit, beluas, machinas, equos, tormenta: ſed maximè delectum militem præter ciues exercitatos, nobiles, vaſallos; domeſticum, cui defendendos terminos fidat; externũ, quem ictibus hoſtium obijciat: ruſticum præſertim patientem pulueris atque ſolis, non à fortunis, ſed viribus & moribus laudatum, frugalem, animoſum peditem equitemque ſine altero neutrum, ſed pro belli genere, ac regionis alterutrum præ altero numeris maiorem, nec minori curâ exercitus Duces, Magiſtros militum, Chiliarchas, Centuriones ſelectos, pridem exercitos, per gradus elatos, vtriuſque fortunæ gnaros, prudentes, animo numquam lapſos, non genere tantùm, ſed magis virtute eximios.

21. *Paratis neceſſarijs bellum celeriter gerat.* Sed quàm lento conſilio ſtatuendũ eſt de bello, quod ait Saluſtius *ſumi facilè, ceterùm ægerrimè deſmere, nec in eius poteſtate initium & finem eſſe: incipere cuiuis vel ignauo licere, ſed non deponi, niſi cùm victores velint*; ita cùm bellum decretum eſt, & in id neceſſaria dux habet parata, celerrimè gerendum eſt. belli ſucceſſus Occaſio, & Fortuna ſibi vendicant, has celeritas. nocuit differre paratis. In bellicis negotijs mora ſummè noxia. quæ ſi quando abfuiſſet, res magnas ſæpè multi confeciſſent. Annibal vnius diei morâ victoriam corrupit. *Mora eius diei*, inquit Liu. *ſatis creditur ſaluti fuiſſe vrbi, atque Imperio.* Magni omnes Duces celeritatem ſupra cæteras ferè virtutes coluerunt; Alexander, Cæſar, Carolus V. & qui ſub eo militiam didicit Dux Albanus. Res Hiſpanæ maturo, ac lento ſæpè conſilio peraguntur, nec ſemper Ducibus libera mandata dantur: ſecurius id quidem multis videtur; fatendum eſt tamen, multas rei benè gerendæ occaſiones Ducibus elapſas; dum ſuo Marte non audent decernere. Adeoque ſi bellum grauis momenti gerendum ſit, ex-

pedit

pedit ipsum Principem aut interesse, aut non procul abesse. vbi sta- 22.
tuere mox de oblata occasione posit, nullam elabi sinere, & gloriam *Ipse Princeps bello adsit.*
victoriæ ipse occupare, quasi manu, consilijs, vel auspicijs eius ob-
tentæ. bella fama geruntur. & hostibus timor, & militibus audacia, spes, & rei benè gerendæ cupido à Principis conspectu accedit.

Vrget præsentia Turni.

pudet vinci, fugere, non strenuum esse spectante Principe. sperat miles non gratis exceptum fore, non datum frustra ictum vnum, cuius Princeps testis sit, excipiet, dabitque quantoscumque poterit, vbi præmium, prædam, laudem, munerationem miles sperabit.

Princeps cuius regiones mari alluuntur grauiter errauerit, si im- 23.
perium illius maris dominatui continentis non parauerit. si mari *Mare non secus ac continentem in potestate habeat.*
vinci potest, iam & in continenti habendus est, ac si castris esset
exutus, vel obsessæ muri vrbis arietibus, tormentisque quassati con-
cidissent, cùm hosti licet immittere quantum semper voluerit mi-
litum. ex aduerso, qui maris imperium obtinet, transfert in horas
singulas quò lubet molem belli. eoque vbi imparata omnia reperit. tutandis, parandis imperijs nihil promptiùs paratiusvè, quam maris dominatus. *Mare*, inquit Liuius, *l. 32. qui in potestate habent, terras, quascumque adeunt, extemplo suæ ditionis faciunt.* Non abs pluribus testimonium nunc petam, quàm à Batauis, quos ob huius rei curam nauibus in cœlum vehit C. Scribanius *in Politico Christ. lib. 2. c. 38.* & militiam nostram naualem instruit, si satis audiatur.

Delectus olim apud Romanos & curiosus fuit, & rigidus. mul- 24.
tos rectè à militia non vtiles reijciebat, multos adigebat inuitos, *Delectum.*
adeoque multa & secum commoda trahebat, atque incommoda. Commodum non minimum erat inutilem armis turbam, flagitijs grauem, domi, militiæque noxiam, non admittere; incommodum non minus graue, Imperij salutem ijs fidere, qui ferro, & catenis ad pugnam tracti sunt, inuitos canes venatum ducere.

Disciplina cum delectu etiam rigorem amisit, maioribus quam- 25.
uis nostris antiquior fuerit liberorum caritate. *l. post liminium, §. fil.* *Disciplinæ seruet.*
D. de capt. & post. de Manlio Val. 2. *c. 2. satius esse iudicans patrem forti filio, quàm patriæ militari disciplinâ carere. Nam disciplina maiorum* (inquit Alexander apud Lampridium) *Reip. tenet; quæ si dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amittemus.* Dixisse verũ res ipsa pridem docet. sæpè exercitus aliqui Romani disciplinam exuerant, strenuos nacti Duces resumpserunt. accidit in Hispania Scipioni, in Africa Metello, in Sicilia Cottæ, in Germania Corbuloni. *Legiones*, inquit

Taci-

Tacitus *lib.* 11. *operum & laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit.* & de eodem in Syriam profecto *lib.* 13. *plus molis aduersus ignauiam militum, quàm contra perfidiam hostium habuit.* quòd si Duces hodie nostri eorum exempla sequerentur; sperari posset, vt exercitum bene institutum aliquando videremus. dum extremum rigorem sperare non licet; saltem id exigatur, quod diuinæ Litteræ postulant, Deuteronom. 23. 9. *quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala,* non satis sæpè huius præcepti memores Duces causam licet iustam tuentes, *propter iniustitias suas humiliati sunt, Psalm.* 106. fusi fugatique.

Officium regentis exercitum, non tantùm in danda, sed in obseruanda etiam disciplina consistit. Macer. *in l.* 12. *D. de re milit.* Igitur & quò ad se, & quò ad milites seruet, seruarique curet disciplinam. Aurea est Aureliani Epistola, *Si vis,* inquit, *tribunus esse; imò si vis viuere, manus militum contine, nemo pullum rapiat alienum, auem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum exigat, annonâ suâ contentus sit. De præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat, arma tersa sint, calceamenta fortia: Vestis noua vestem veterem excludat, stipendium in baltheo, non in pompa habeat, torquem brachialem, & annulum appnat, equum saginarium suum defricet, captum animal ne vendat, mulum centuriatum comiter curet, alter alteri quasi seruus obsequatur, à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent, in hospitijs castè se gerant; qui litem fecerit, vapulet.* Iulius Cæsar quamuis omnia delicta non puniret, nec pro modo exequeretur; tamen erat desertorum & seditiosorum inquisitor & punitor acerrimus. Sueton. *in Cæsar. c.* 67.

Et quoniam militaris licentia facilè inclinat in furta; peculiare iuramentum miles præstabat, nihil se furto ablaturum. Formulã recitat Agellius *lib.* 16. *cap.* 4. Quapropter qui se meminit armato præesse, parcissimè debet commeatum dare; sed milites in castris continere. *d. l.* 12. ne diuagentur, ne prouinciales expilent. sicut religiosissimè Iustinianus *in Authent.* 130. *de transitu militum, Præcipuam,* inquit, *multoque maximam Reipublicæ nostræ conciliationem in hoc consistere arbitramur.* (audiant, qui lusum putant prouincialium vexationem, vastationemque) *si quà noster transit exercitus, vt ibi citra omnem alatur querimoniam, & incolumitas atque indemnitas concedatur collatoribus.* Iubet vlteriùs contenti sint stipendijs suis, & annonis, gratis sumptus non faciant. si facti erunt defalcentur collatoribus. ne præfecti legionum, aut milites ab vllis omnimoda occasione transitus per concussionem quippiam accipiant. *ne ad alia loca mittant, quasi necesse illic habeat manere exercitus. perque hanc causam à possessio-*

seßionibus &c. prædijs extorqueant pecunias. cùm hoſpitantur, patremfamiliàs non impediant, ſed meliorem illi partem domus relinquant, ab omni moleſtia & inquietudine liberam. milites verò in alijs ſibi cœnaculis metata deſumant. *d. Auth.* 130. *l.* 1. *Cod. de metat. lib.* 12. Optandum eſſet eam curam quam Iuſtin. iubet militarium alimentorum geri, vt citra querelam ſumptumvè prouincialium alatur miles, præter legitimas collationes non in cibum militis, non in paſtum equi quippiam exigatur. quod ſi ſumptum collatores ſuppeditarint, conficiantur monumenta coram Præſide, Epiſcopo, aut Defenſore locorum, quantum, & à quibus extra leges inſumptum erit, idque reputent in tributa publica.

Præter furtorum & concuſsionum genera, inertiam, & libidinem, otia, atque emollientes militaria brachia voluptates Duces proſcribant. exercitationes, quantum tempora & militiæ noſtræ ratio permittunt, ament, promoueant: ignauiam pœnâ, diligentiam præmio, non in vero tantum conflictu, ſed & in ludicro certamine munerent: doceant ordinem ſeruare, laxare, redintegrare, in acie, in orbèm pugnare, ad ſigna coïre, caſtra mouere, decurrere, onera, arma, cibaria ferre, opera facere, munire caſtra, clauâ, pilavè palum petere, natare, iter pedibus facere, foſſas tranſilire, omniaque alia exercere. præter labores, famem, ſitim, inediam, cum opus eſt, ferre. quòd ſi hæc Princeps Ductorvè exercitus diligenter gerit, fiet quod in Scipione Florus laudat, reſtituta diſciplina *fecit*, inquit, *vt quod nemo vſurum ſe vnquam ſperauerat, fugientes Numantinos quiſque videret.*

Quòd ſi Princeps Ductorvè exercitus, quæ diximus contemnat; 26.
errore, ignauiâ, temeritate eius Reſp. detrimentum capiat, exercitus fundatur, fugetur, hoſtis inualeſcat, inſoleſcat miles, concutiantur prouinciales; iniuſtè bellum geſſerit: tantoque piaculo, ſe obſtrinxerit, quanti ea res eſt; quanta iactura, quanti intereſt victa eſſe Remp. prouinciam expilatam, tot fortes milites, tot innocentes ciues, iniuriâ necidatos, tot raptas virgines, tot matronas ſtupratas, tot pueros vitiatos, tot ædes ſacras direptas, tot vrbes flammis deformatas, tot agros incendijs, populationibuſque deuaſtatos. Igitur quantum cupit tantorum reus non eſſe malorum, allaboret, viribus omnibus, tum ipſe, tum ij qui ei à bellicis ſunt conſilijs, vt quod ſuſceptum eſt iuſtè bellum, non iniuſtè geratur. non minus peccat Iudex qui iniuſtè exequitur, quam qui non iuſtè fert ſententiam. quin imò magis. quippe ſententia ſono, & characteribus tantùm conſiſtit, executio cutem tangit. Proponat ſanè idæam ſibi bonorum ducum Romanorū, quos Liber 1. *Machab.* c. 8. in exem-

Hæc ſi Princeps negligat, partibus ſuis deſit, iniuſtè gerit bellū reſpectu Reip. quam ladit.

exemplum describit, prælia eorum, & virtutes bonas. *Possederunt*, inquit, *omnem locum consilio suo & patientiâ. potentes viribus, acquiescentes ad omnia, quæ postulantur ab eis : regna, & insulas, quæ aliquando restiterant illis, in potestatem redegerunt. cum amicis autem suis, & qui in ipsis requiem habebant, conseruauerunt amicitiam : & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longè, quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos. & quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine, vt quæ digna sunt gerant. & non est inuidia neque zelus inter eos.* Sanè virtutes bonæ, atque Imperio dignæ. imitetur Princeps virtutes, cui gratum est Imperium.

CAPVT IX.

Miles vt iustè bellet.

Miles vt iustè bellet, bellum iustum sit, aut inculpatè credatur.

1. PORRÒ quod ad militem attinet, vt iustè bellet, necessum est vt iniustæ causæ manum se non præbere existimet. nec manum iniustè exerat, vibret, conserat. Miles qui delectu, clientelâ, sacramento Principi obnoxius est, Principi in hostem ducenti, vel tuendæ Reip. causâ, vel iniuriæ vindicandæ, rerumque recuperandarum, iustè militat. si enim iustè receptum est vt pro Iudice, pro illiusq; sententia presumatur, credere vtique potest miles Principem suum iustè gerere bellum, cuius ille causas non singulis probandas habet. arcana sunt Regni, atque Reip. quæ si singuli exigant, nec aliter operam Reipublic. præstent, produnt. Clarè Augustin. *lib. 22. cap. 72. contra Faustum ; Si vir iustus fortè sub Rege sacrilego militet, benè potest illo iubente bellare, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est. ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi ; innocentem autem militem ostendat ordo seruitutis.*

Neminem concutiat, calumnietur; contentus sit stipendijs suis.

2. Quapropter D. Ioannes Baptista *Luc. 3.* non iniecit militibus scrupulum opinione suâ iusto bello meritis; re ipsâ tamen, *vt in Analysi iur. Pont. nou. tit. de testam. diximus ex cap. 8. 12. 14. lib. 1. Machab. & Iosepho antiq. Iudaic. lib. 14. cap. 5. 6. 7. 8.* atque reuera iniusto. Vnde Augustinus *relatus cap. quid. 23. quæst. 2. neque Ioannes*, inquit, *ab armis iubet discedere milites* ; iussit tantùm iniusti ipsi ne essent, quod se spectaret. *interrogabant autem eum*, inquit Lucas, *& milites, dicentes; Quid faciemus & nos? & ait illis : Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & estote contenti stipendijs vestris.* non fecisset satis militum interrogationi

ni

ni Ioannes, si, quod caput rei erat, causam ministerij sui non iussisset examinare, si id ad milites spectasset. dare se militem, cui non licet, graue crimen habetur: & augetur, vt in cæteris delictis, dignitate, gradu, specie militiæ. *l. 2. D. de re milit.* Cæterùm quem militiæ nullum obligat vinculum, vt extero Principi militatum eat, non eadem ratio est. nullus enim nexus stringit, nulla salus, aut dignitas patriæ tuendæ, nulla de extero Principe præsumptio excusat. cur enim pro hoc, contra illum suspicetur; cur pro illo contra istum opinetur? Sed neque suspicionibus, neque opinionibus bella geri possunt. si de re maioris momenti, de vita vnius hominis, non nisi manifestis probationibus liceat iudicare. ijs, inquã, examẽ incumbit quos non alia ratio tutatur. ideoque & Proreges, Magistri militum, Tribuni, seu quicumque ad consilia vocantur, vbi bellorum causæ agitantur, si eas iniustas esse manifestè deprehendant, cùm in claris non sit locus coniecturis, præsumptioque cedat veritati; non illa hos, quæ militem obumbrat, excusabit ratio, neque vllum prorsus vinculum. quod neminem stringit ad alterum incuriâ lædendum. non origo, non clientela, non sacramentum ad iniquitatem obligat. non si disertè id verbis comprehensum foret: tantum abest, vt exceptum non censeatur, quidquid citra Dei, iustitiæque offensam præstari non potest. 3. *Externo si militet, notoria fit belli iniustitia.*

Igitur Ioannes vetat militibus concussionem, & calumniam. iubet contentos esse stipendijs. Concutere, est iniecto terrore monere. crimen est, cùm quis officij metu, quod debitum non est, extorquet. Calumnia etiam generaliter pro omni malitia accipitur; specialiter autem est alicuius in litibus per dolum, & frustrationem fraudatio. Iterum concussionis rei sunt, pœnaque legis Corneliæ tenentur, qui in accusationem innocentium coierint, quivè ob accusandum vel non accusandum, denunciandum vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperint. *l. 2. D. de concuss.* Similiter calumniari: est falsa crimina intendere. *l. 1. D. ad Turpilian.* Rectè vtroque sensu D. Ioannes. ne cui generaliter iniuriam milites facerent, ne quem militiæ metu terrerent, indebitum extorquerent: & specialiter, ne in falsam accusationem coïrent, ne quem ficto crimine vexarent, ne pecuniam ob accusandum aut denunciandum acciperent. Milites enim Præsidibus dati etiam curiosorum, stationariorum, irenarcharum, limenarcharum officio fungebantur, facinorosos inquirebant, apprehendebant, Iudici sistebant, crimen imponebant, verum falsumvè, pro officio aut per calumniam corruptionemvè. *vt alibi diximus.* Igitur Ioannes neque officio & sacramento eos deësse, nec sub illius vmbra insontes vexare voluit, & 4. *Quid concussio, quid calumnia.*

fortè specialis ea significatio Ioannis sermoni proprior est. addit enim, *& contenti estote stipendijs vestris*, vbi altero sensu retento pluries idem diceret.

Peculiare sanè monitum professioni militari necessarium, vt manus vltra publica stipendia non porrigant. assiduum enim id militum vitium; assuetudineque adeò nunc inualuit, vt, siue iter agant, siue hospitentur, vt coërcendæ rapacitati nullæ leges sufficiant. Sufficerent fortè sanguine scriptæ, sed stipendiorum defectus, seu numquam prompta solutio sanguinem sistit. igitur in hunc defectum reuoluitur malum. Qui autem contentũ iubet esse militem stipendijs, supponit vtique eorum solutionem. *Non facilè in officio potest miles contineri ab eo, qui necessaria non subministrat.* Xenoph. Quid igitur? licebitnè militi, cui stipendia retardantur, ab hospite id quo opus habet extorquere? Malderus *de iustit. de bell. quæst.* 40. *d.* 6. *post Caietan. Dried. Molin.* negat. excusat tamen quatuor ex causis: si fuerit in extrema famis necessitate, si defensioni hospitum fuerit necessarius, si in pœnam delicti id iustè constituat Princeps, si illa solùm accipiat, quæ consuetudine legitimâ illi debentur. sicut in quibusdam locis in præsidio accipit ligna, sal; & in transitu necessarium, & communem victum. quamquam nec hæc ipsa de iure præstantur. *l. vnic. Cod. de salgamo hospitibus non præstando l.* 11.

5. *Non soluti stipendijs liceatnè militi necessaria extorquere?*

6. *Militaria delicta propriè.*

Militaria delicta sunt propriè, quæ vti miles admittit. si transfuga sit, si proditor, si seditiosus, si desertor, si emansor, si contumax, si in acie loco cedat, si primus fugiat, si excubias negligat, si arma distrahat, aut omittat, si à fossato recedat, si stationis munus relinquat, si ad diem commeatus non venerit, si aliena arma subripuerit, si agmen excesserit, si vallum transcenderit, fossam transilierit, per murum castra ingressus sit, si cum pluribus in aliquod flagitium conspirauerit, si detrectauerit, si appetierit militiam, si segnis, vel deses, si caligatus metu hostium languorem simulauerit, si præpositum suum non protexerit cùm posset, si præfectum centuriæ à latronibus circumuentum deseruerit, si prædia comparauerit in prouincijs in quibus militat, etiam sub alio nomine, si irreuerens fuerit, si centurioni, castigare se volenti, restiterit, si vitem tenuerit, vel ex industria fregerit, si manũ centurioni intulerit, si è custodia fugerit, carcerem effregerit, si turbator pacis fuerit, si rem à Duce prohibitam fecerit, aut mandata non seruauerit, si hosti facultatem deprædandi dederit, prædamvè cum eo diuiserit, si sibi vacauerit, vel aliena obsequia, sine nutu principali peragere ausus fuerit,

fuerit, si ad Principem missus non statim se obtulerit, & citam remeandi facultatem obtinuerit, si à numeris ad alios numeros transierit, si agrorum cultui, custodiæ animalium, vel mercimoniorum quæstui se dederit, si ciuilem curam assumpserit. *tot. tit. D. & C. l. 12. de re militar.*

Igitur miles qui se implicat his delictis, iniustè bellat respectu Reip. ac Principis, cui sacramentũ præstat; cui corpus sanguinemq; deuouet. si ex disciplina militari non bellat, si animosè, audacter, fortiterque imperata non facit, si operam, quam iurauit verbis, re, manuque non præstat. Iniustè bellat respectu prouincialium, si calumniatur, si stipendijs contentus non sit. 7. *His delictis se implicans miles, iniustè bellat respectu Reipub. & prouincialium.*

Eadem Ducum crimina sunt, si consultò non gerant bellum, si ignauè, si temerè, si aduersus ea quæ monuimus turpi errore peccent, si prouinciales, si socios expilari sinant.

Est & infame atque hodie nimis frequens Ducum atq; militum commune delictum, vt in censu militum subornentur ad numeros explendos, qui verè milites non sunt, vt cùm stipendia pro 1000. supputantur, sæpè non sint 800. inde nudatæ necessarijs præsidijs arces, acies, alarum atque cornuum robore periclitantur, fugantur, deduntur. magnum piaculum furtis omnibus grauius. 8. *Maximè cum stipendia falsis numeris accipiantur.*

CAPVT X.

Vt respectu hostium iustè belletur.

POrrò respectu hostium præter causæ iniustitiam, *de qua initiò diximus*, non iustè geritur bellum, cùm ea quæ iure gentium recepta sunt, non seruantur. cùm fides hosti data violatur: cùm fœdera, pacta, induciæ infringuntur; repræsaliæ, pignorationes, litteræ marcæ temerè decernuntur, aut temere ijs ansa præstatur. *de quibus paulò latiùs infrà.* Id ad omnia pertinet, vt promissis stetur, vt fides seruetur. Omnibus quidem, *vt alibi latiùs diximus*, hîc de ea agimus quæ hosti data est, seruanda. *Fides*, inquit D. Augustin. *relatus c. noli 23. q. 1. quando promittitur etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur.* non tantùm quo ad pacis & inducíarum fœdera, sed pugnam etiam & conflictum. Ita leges XII. Tabul. *si status dies sit cum hoste, venito.* Dignissimum sanè fidei hosti seruatæ exemplum est Sexti Pompeij. Augustum, & Antonium sub fide in nauem & potestatem receperat, mergere vndis poterat, & ipse ad Imperium emergere: maluit Imperij gloriâ carere, quàm fidei violatæ infamiam ad posteros transmittere. Glorioſum similiter illorum apud Liu. *l. 5.* 1. *Respectu hostium nõ iustè geritur bellum, cùm fides, pacta, belli iura, &c. non seruantur.*

2. *Fides hosti seruanda pace & bello.*

vos fidem in bello quàm præsentem victoriam maluistis, nos fide revocati victoriam vltrò detulimus. & Augustus Caracotæ latronum Duci fidem seruauit, præmiumque ipsi dedit, qui seipsum stiterat, quod ei promiserat, qui adduceret. Dion. *lib.* 56.

Enimuerò quamuis dura, quamuis grauia sunt, quę hostibus promittuntur, seruanda est tamen fides. quamuis etiam illicita stipulantibus exactio, non tamen promittentibus præstatio; fides & iusiurãdum implendum est. *c. debitores de iureiur. & alibi passim.* Si tamen etiam præstatio iniquitatem inuoluit, non potest iuramentũ esse vinculum iniquitatis. malè iuratur; iniquiùs præstatur. quare *in malè promissis*, ait Isidorus, *rescinde fidem. cap. in malis* 22. *q.* 4. quod etiam licet, si priùs hostis fidem fefellerit. reciprocus est enim nexus, quem qui soluit sibi, soluit & aduersario. *Nec tu*, inquit Gregorius Regi Francorum, *etiamsi promissum tuum iuramento, vel fidei obligatione interpositâ conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minimè paruisse. c.* 3. *de Iuram.* conditionem singula promissorum capita habent seruatæ ab aduersario fidei. vnde apud Thucydidem soluti fœderis culpam sustinent, non qui deserti ad alios sè conferunt, sed qui quam iuratò promiserant opem, re non præstant. ita quidem si non aliter conuenerit, vt solet ferè: nè ob quascumque etiam leues offensas liceat omnia dissoluere fœderis capita.

3. *Nisi præstatio ipsa peccatum inuoluat.*

4. *Aut hostis prior fidem fefellerit.*

Quin etiam aliàs decepti, iam non debent decipere. Inde Valer. de Romanis & Carthaginensibus: *Senatus*, inquit, *non eos quibus hoc præstabatur aspexit*, de Sergio Gilbo & Hispanis Appianus: *perfidiâ perfidiam vltus contra Romanam dignitatem barbaros imitabatur.* siquidem *nullam excusationem receperunt maiores nostri*, inquit Seneca, *vt homines scirent fidem vtique præstandam. satius enim erat à paucis etiam iustam excusationem non accipi, quàm ab omnibus aliquam tentari.*

5. *In eodem negocio ac tempore.*

6. *Non aliàs quæsito prætextu.*

Post initam pacem, inquit Cicero, *si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur; nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignatur.*

Solet dicere Augustus illis quibuscum ageret, *se esse bonæ fidei.*

Eurycrates Lacedæmonius rogatus cur Ephori adeò intenderent in obseruantiam fidei priuatæ, *Vt assuescerent*, inquit, *cum hoste bonâ fide agere.*

Quem bellantem, etsi dolo bono & insidijs decipere liceat, tamen *vbi fide*, inquit Liuius, *fœdere, pacto, iuramento transigitur, ius gentium, ius publicum, ius diuinum prævalere oportet.* instar Dei promittentis; *quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.*

Optimè ergo ille; *Fœderibus freti Græci Barbariq; conuenimus, inimus commercia inuicem, & cùm priuatas inimicitias tum bella armaque deponimus, hoc vno, tanquam communi bono omnes homines vtimur.*

Fidem

Fidem frangit, qui hosti eius, cum quo pacem inijt, pecuniam aut militem mittit. Cerites *apud Liuium* excusantur, quòd iuuen tus tantùm suo, non publico consilio aduersus amicos militasset: idemque de Ætolis (quod hodie ferè Heluetijs conuenit) *Iuuentutem*, inquit, *aduersus suos socios, publicâ tantùm auctoritate demptâ, militare simunt, & contrariæ sæpè acies in vtraque parte Ætolica auxilia habent.* 9. *Illud violat qui hostem iuuat.*

Sed an fides præstanda sit à Rege, qui iuramento, seu regni legibus nullam regni partem imminuere potest, cladibus tamen belli cis coactus, seruando corpori, vt bonus medicus, partem præsertim belli iure iam occupatam, seu aliàs ambiguo iure cõtrouersam, pacis legibus abscindi passus est? non est dubium quin Rex, cui bellandi ius est, cui summa belli & pacis competit, iure omnium gẽtium eiusmodi pacta seruare teneatur. qui id negant, ij necessariò fateantur oportet Regem illum non esse absolutæ auctoritatis, cui non competat arma sumere, aut ponere, prout ei ex Repub. esse videbitur: sed tantum vt Consulem Posthumium cum Samnitibus paciscentem, iniussu Populi Romani de ijs, quæ supra eius Imperium erant. quæ Populus ideò ipso suadente rescidit, eumque Samnitibus loris constrictum deditum misit. Vt mirandum sit Gallos scriptores aliquos etiamnum pacem Madrilensem anni 1526. disputare, qui Regi suo tam absolutum Imperium arrogant, vt nec minimam supremitatis notam ei velint deesse. Leges sanè regnorũ & iuramẽta de nõ minuendo regno, quæ nullos Europæ Reges non præstare existimo, lubitum & arbitria Regum spectant, non verò pacem & fœdera, quæ necessitas, cui lex nulla scripta est, seruando regno excusserit. is est sensus cõmunis, & omnium populorum iudicium. qui se gentiũ iuri eximit, fraudi speciem iuris imponit, cum eo nullum commercium, aquæ aut ignis cõmunicationẽ esse oporteat. 10. *An fides seruanda sit pax inita sit cum aliqua regni imminutione?*

CAPVT XI.

Vt respectu mediorum iustè belletur.

INiustè etiam bellum geritur, si medijs illicitis vtamur. non enim finis bonus media natura sui illicita facit licita, atque bona. adeoque incantationibus, strigum, sagarumque subsidijs exercitũ vincere si possis, nõ licet; nõ genios malos in auxilia vocare: vt quãuis bonæ causæ adsint. non pari modo eos, qui causam eiusmodi geniorum agant. atq; ita non infideles, barbaras, idololatras gentes, vt causæ bonæ patrocinentur. nisi habeantur taliter, vt nihil de belli iustitia imminuant. tunc etenim cùm innoxia instrumenta sint, non 1. *Iniustè geritur bellũ si illicitis medijs.*

2. *Auxilia infidelium an licita?*

interest ex qua materia constent, probi, improbi sint, barbari, fideles, infideles, animalia rationis capacia, an ea carentia, equi, muli, cameli, elephantes; an inanimata, currus, falces, gladius, hasta, claua, framea, galea, cassis, parma, scutum, vmbo, lorica, thorax, pilum, securis, malleus, lancea, tribuli, aries, testudo, vinea, pluteus, musculus, turris, sambuca, tollenon, balista, onager, catapulta, tubus, bombarda, sclopus, sclopetum, tormentum. omnia hæc iusto in bello licent. *Glos. 1. in c. 1. de sagittarijs.* benè in simili Thucydides, *Hi qui armis impetuntur, vt nos ab Athenienſibus, inuidia fieri non debet, si salutem quærunt, non Græcorum modò, sed & barborum auxilijs.*

Si quis ceruum venetur, parum interest quo genere canum illum persequatur, dummodo assequatur. sed si rabidum canem venatum ducat, qui non ceruum modò, sed reliquos etiam canes, venatoresvè, quin ipsum etiam dominum Actæonis instar, dente venenato petat: quis hunc venatorem laudet, admittat? quis probare possit Principem Catholicum in fœdera & auxilia vocantem hæreticas, barbaras, infidelesque gentes, si prouinciales, si socios contagio suo inficiant, si sacra proterant, virgines, matronas, sanctimoniales violent, diuina humanaque conculcent, si bello captos ad hæresim, paganismum, turcismum, idololatriam cogant? tum rectè vsu venit illud Fulconis Archiepiscopi Remensis ad Carolum Simplicem: *Quis non expauescat vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani, pagana arma & fœdera suscipere detestanda? nihil enim distat vtrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola colat.* At, inquit Fererius, bellum iustum est, extra caulam illius ea quæ diximus mala, per accidens fiunt: sed verò luberetnè ei cum eo quem diximus venatore ceruum persequi? iustum cum feris bellum est, iusta venatio, per accidens si venator rabidum canem adducat, & pro fera Fererium inuadat. quod si porrò nullum eiusmodi periculum proponatur, non est de se illicitum cum infidelibus fœdus pro commercijs, amicitia colenda, defensione necessaria, offensione etiam iusta infidelium, non tamen conspiratione contra Ecclesiam, &c. sic accipienda confœderatio *in Clem. 1. §. porrò de iureiur.* vbi iurat Imperator non facturum se parentelam aut confœderationem cum pagano, aut Saraceno. De hæreticorum fœdere optimè illud Ambros. *3. off. 5. Vix firma esse pacis iura inter eos inter quos est fidei bellum.* quamuis data tamen fides seruanda eis sit. Molin. & Sweirtius *tract. de fid. hæret. seruand.* Becan. *disputat. Theolog. cap. 7. concl. 2.* Roswеidus *in Coroll. Anticapell. subiuncto.*

3. Periura

Ad illicitorum etiam mediorum rationem pertinet, si quis Principes,

cipes, populosque in auxilium trahat, qui fœdere alteri iurato prohibentur, seu aliâs ad periuria alios priuatos publicosque ducunt, vt eorum auxilijs aut consilijs in rem suam vtantur. Pausan. *l.* 4. *Primi omnium Lacedæmonij ex omni antiquitatis memoria hostes dicuntur muneribus solicitasse, & venalem facere belli euentum voluisse, priùs virtute, fortunâ, Deorum præsidijs, res bellica stabat. sed hos dolos Dij suo tempore in ipsorum vertêre perniciem.* Faleriorum puerorum pædagogus, & Pyrrhi medicus gloriosè à Romanis non quæsiti ad proditionem, sed se offerentes reiecti. eorum qui parati sunt ad iniquitatem patrandâ ope, operavè vti, exploratoribusq; esto ducas soleent, Cons. *pol. l.* 10. *cap.* 51. 52. & esto liceat, inducere persuasionibus vt peccent nihil de peccato cogitantes, esto vtile sit, non tamen permissum (nisi fortè cum notoriè bellum, quod hostis gerit, ita iniquum est, vt militantibus iuramentum non sit vinculum iniquitatis) non sunt facienda mala, vt eueniant bona. non malè suscipiendum, non malè gerendum est bellum. Deus & iustitia adsint vbique oportet. ab eo victoriæ & clades. *Non est consilium contra Deum. Prouerb.* 21. *dissipat consilia gentium.* præsertim contra Dei legem concepta. *ipsi*, inquit Vates, *Psalm.* 105. *exacerbauerunt me in consilio suo, & in iniquitatibus suis humiliati sunt.* Tantis periurijs persuasa concepta, contracta sunt nuper fœdera, tantisque per nefas vnitis viribus initum est bellum aduersus Principes iustâ causâ nixos, vt humanitus non nisi vincendos, sternendos, debellandos breui credere oporteret: bona tamen causa triumphauit: castigata sunt periuria; iniqua bella mouentes, fusi, fugatique vsque ad vltimam terrarum Thule. Intra paucos annos innumeris iustis prælijs victores fuere, qui iusti: licet humanas vires si spectaueris, hostibus impares. sed adfuere procul dubio illi genij, qui Constantino contra Maximum pro labaro crucis vexillum præferentes auxiliatum ire se clamabant. Ille Angelus, qui Iosue adfuit duci Israëlitarum, & scisciranti, *Noster es, an aduersariorum? Nequaquam, respondit, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Propitio atque exorato Numine facilis victoria est. neque differt, *in pluribus auxilietur, an in paucis.* illius illæ minæ: *quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus.* Dei quippe est adiuuare, & in fugam vertere. Ad Moysi preces *Exod.* 17. Iosue vicit Amalecum. & *Num.* 21. voto Israël Cananæum interfecit.

fœdera media iniusta.

4. *Securum medium inuocatio Numinis Diuini.*

Omitto Dauidem, Iosaphat, Ezechiam, Machabæos, alios que pios Reges, quibus auxilia de cælo victoriam detuleruut. Narses Totilam vicit, cùm noctem præcedentem in precibus insomnem duxisset. atque alios potentissimos hostes prece

magis, quàm manu profligauit tantâ gloriâ, vt antiquorum Ducum nemini cedat. dies vnus non sufficiat ijs commemorandis, quorum precibus aduersarij, antè inuicti longeque potentiores, ceciderunt. vtinam persuaderi posset omnibus Principibus, vt spem suam in Deum solum referrent, non in auxilia duntaxat humana, non in media per Dei leges vetita, qui nec frustrà inuocatur, nec irritatur gratis.

CAPVT XII.

Dolum an belli iustitia permittat?

1. *An dolus in bello iustũ medium?*

NIhil homo iustus, inquit Augustinus *relatus in c. dominus 23. quæst. 2. præcipuè cogitare debet in his rebus, nisi vt iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est. Cùm autem iustum bellum susceperit, vtrum apertâ pugnâ, vtrum insidijs vincat, nihil ad iustitiam interest. Veteres*, inquit Vlp. *l. 1. D. de dol. dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostem, latronemvè quis machinetur.* nec quicquam frequentius apud omnes gentes in bellicis meditationibus, quàm aliud simulare, facere aliud. ea stratagemata militaria sunt, ea gloria Ducum, industriâ quàm sanguine magis vicisse. furta Ducum dicuntur. *Melior est mihi dux qui victoriam veluti suffuratur, quàm qui veretur ne per furtum vincat.* Gloriari solebat Tiberius plura se consilio quàm viribus perfeciſſe; quippe *consilio non minus, quàm gladio superare est Imperatoris.* Cæs. *bell. ciu. lib. 1.* quare nimis superbum est illud Alexandri *apud Curt. lib. 4. Latrunculorum*, inquit, *& furum illa solertia est, quam præcipis mihi, quippe illorum votum vnicum est fallere: meæ verò gloriæ semper aut absentiam Darij, aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar. palam luce aggredi certum est. malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat.* Abesse tamen dolum verborum oportet. malus est & Principibus indignus, si quid contrahant, aut promittant. mendacium multo maximè. *Legati*, inquit Liuius, *l. 42. ex Græcia reuersi Q. Martius, & A. Attilius nullâ aliâ re magis gloriabantur, quàm decepto per inducias, & spem pacis Rege. quæ magna pars Senatus probabat, sed veteres moris antiqui memores, nouam istam sapientiam improbabant, nec astu magis, quàm verâ virtute bella gessisse maiores.* Extra contractum ambiguis verbis si decipiantur hostes, nihil iniusti habet. vt Ventidij *apud Dion. l. 49.* sermonem facientis apud exploratores, quasi eâ parte irrupturus, quâ minimè agitabat, & ob quem

quem illi apparatum aliò transtulerint. In his omnibus dolus demum bonus quem probant homines, non modò vsurpant: vt concludit Gentil. *lib. 2. de iur. bel.* Ita decipere pro moribus temporum prudentia est. Plin.

CAPVT XIII.

An si festis diebus pugnetur?

SEd neque diebus festis, si vocat occasio, bello abstinetur. quare Nicolaus Papa *in cap. si nulla. 23. quæst. 8. Si nulla*, inquit, *vrget necessitas non solùm in quadragesimali tempore, sed omni est à prælijs abstinendum*: si autem ineuitabilis vrget importunitas, nullo tempore belli præparationi est parcendum. sic notarunt Gloss. & Panormit. *cap. 1. de treuga & pace.* quod certis anni temporibus bello iubet abstinere, vsu non esse receptum. non quia seruile opus sit, cùm Reges, Principes, Magnates, Nobiles ei maximè vacent, imò seruui militare vetentur, *l. 8. D. de re milit.* sed quia ea tempora, quæ dict. cap. designat, mysterijs fidei nostræ recolendis, à quibus militia auocat, specialiùs instituta sunt; quorum meditatione ad pacem Christiani Principes reuocari possint. quam ob rem Alexander III. *in dict. cap. 1.* tam seriò Episcopis omnibus iniungit, vt mutuo consilio, & auxilio, absque vllo amore vel odio paci conciliandæ incumbant, adeò vt si quis in hoc opere trepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat. iterum in eum qui treugam frangere præsumpserit, suus Episcopus sententiam excommunicationis dictet. Rigidæ pœnæ sunt, sed quas ad publicam salutem direxit Alexander. Nullus Canon, sed neque Extrauagans *Constitut. 54. Leonis, vt dominicis diebus omnes ab operibus vacent.* tam rigida est in exercentes opera seruilia, diebus festiuis. quæ etiam necessitas aliqualis & opportunitas multum excusat, vt piscandi occasio. *cap. licet. x. de feriis.* quæ non semper se offert. Et sanè si propiùs Alexandri constitutio seruata fuisset, sperari posset successus frequentior finis. At quantum ab Alexandro absunt illi infulati, qui non tantùm paci conciliandæ non incumbunt, sed ventilabra sunt bellorum, etiam illorum, quibus tot infulæ excutiuntur, tot locis Religio Orthodoxa æternùm proscribitur!

1. *An festis diebus citrà notabilem rei benè gerendæ occasionem?*

CA-

CAPVT XIV.

An Stratagemata?

1. *Assidua ea Ducibus & vtilissima si cauta.*

INter Stratagemata Ducum nihil est frequentius, quàm fugam simulare, cùm minimè fugiunt. quare *oportet hostium discessiones semper habere suspectas. aduersus fugientes maior audacia, & minor cura est.* Veget. *lib.* 3. solui ordines solent, ac disciplina, & iunctæ vires flaccescere. Horatius occisis duobus fratribus fugiens Curiatios diuisit, & antequam iungi possent, singulos occidit. deinde solent simulatâ fugâ hostes in locum iniquiorem, aut insidijs infessum trahi. ita Tomyris Cyrum *apud Iustin. lib.* 2. ita Carthaginenses, *apud Liuium lib.* 25. Volsci, *lib.* 6. ipse Cyrus castra omnemque in eis annonam deserens, mox reuersus epulantem Scythàm confecerat. Annibal castris relictis, & crebris ignibus Romanos simili arte Cyri decipere conatus est, *apud Liu. lib.* 22. & cùm ipse annonâ laboraret, repetitâ eâdem arte, sed tunc verâ profectus *dum par priori metus continet Romanos.* Liuius *eod.* etiam tota acies aliquando retro agi solet, quasi signo receptui dato; vt aliquo ductu hostis aduersum solem aut ventum excipiat. ita in conflictu ad Neoportum nostris accidit. tribus circiter millibus è suis cæsis vertit & obuertit aciem Mauritius, donec nostris fulgor solis aciem oculorum percuteret, & ventus tenebras ex fumo tormentorum obijceret, ac robur exercitus sui in eos immitteret, quibus minus ferreæ erant manus, à quibus cœpta fuga meliores turbauit, & infestam eam diem nobis reliquit. quamuis non alia ferè extra famam clade, quàm quod totus hostis non perierat. nullam enim vrbem aut arcem ex eo lucro habuit, sed quasi victrices dumtaxat reliquias ad naues reduxit. Huc & pertinet vt pabulatum latiùs, aut prædatum licentiùs ire hostem Dux permittat. sic *Valerius Consul intentus in occasionem multos simul & effusos improuiso adoriundi, in paruis rebus negligens vltor, grauem se ad maiora vindicem seruabat.* Liuius *lib.* 2. Ita & Annibal damnum ab aliquibus suorum improuidè acceptum haud ægerrimè patiebatur, quin potiùs credebat velut inescatam temeritatem ferocioris Consulis.

Aliud genus est Stratagematis, simulare imminentem hostem, vulgare vrbi, aut castris vicinum. Idoneum id est ad motus componendos, oscitantiam, desidiamque excitandam, ac militem, præsertim tyronem, naturali metu leuandum, assuetudine conspecti hostis,

aut

aut crediti imminere: vt ——— *venaticus, ex quo*

Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in siluis catulus.

Qui ciuitatis constituendæ curam gerit, debet ad ciuitatis compendium dissidium de externo peregrinoque bello suscipiendo prouidere. Plato *de legib. lib.* 1. Conuenit & illud *ad conseruationem Reipubl. vigilandum esse, metum etiam inter ciues hostium fingendum, vt caueant.* Arist. 5. *politic. c.* 5. *Romani ad motus extra vrbem propellendos bellum aliquod simulabant, aut parabant.* Plut. *in Camillo.*

Sic tamen hæc simulanda sunt, ne per consuetudinem contemnantur, & cùm loco fictorum succedunt vera, fictus tantùm apparatus sit, & defensio. Si porrò apud hostes aliquid moliendum vulgetur, semper illud suspectum habeatur. *Per speciem aduersus Sammites belli parandi crebra consilia indicentes, omnibus consultationibus inter se Principes* (Latini) *occultè Romanum coquebant bellum.* Liuius *lib.* 8. Seruitia *vrbem vt incenderent distantibus locis, coniurarunt; populoque ad opem passim ferendam tectis intento, vt arcem Capitoliumque armati occuparent.* Idem *lib.* 4. *dum hæc in foro sedandæ discordiæ causâ agantur, Consules interim ne Sabinus, ne Veiens hostis moueretur, circa portas murosque discesserant.* Idem *lib.* 3.

Non minùs si quid accidat, quod minimè velimus, fictione aliquâ interpretari in rem nostram, sæpè summam rei seruauit. ita Tullus Hostilius discessionem Albanorum iussu suo factam, ad hostes à tergo circumueniendos asseruit. ita Eumenes sparsas ab Antigono scedulas percussorem aliquem in exercitu illius sollicitantes, à se sparsas simulans, *in præsenti labantium animos deterruit, & in futurum prouidit, vt si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed à Duce tentari arbitrarentur.* Iust. *lib.* 14. Ita Xenophanes à Philippo ad Annibalem missus, cùm in Romanos incidisset, intrepidè se missum ait *ad amicitiam societatemque iungendam cum populo Romano, mandata habere ad Consules populumque Romanum.* Liu. *lib.* 23.

Iterum Romani, *cùm paucitas damno sentiendo proprior erat, gradum retulissent, & salubri mendacio Consul fugere hostes ab cornu altero clamitans concitasset aciem; impetu facto dum se putant vincere, vicêre.* Liuius *lib.* 2.

Huiusmodi ergò Stratagemata vsu omnium gentium, ciuilibus legibus *l.* 1. *D. de dolo.* sacris etiam Litteris probata sunt. & insidiæ poni iussæ. Iosue *c.* 8.

CA-

CAPVT XV.

An Venenum?

1. *Infame belli medium veneno grassari.*

QVanquam dolus bonus in re ac verbis extra contractum cũ hoste, ac stratagemata laudentur; tamen veneno etiam in hostem grassari barbarum est. improbarunt quicumque boni. & maximè Romani. Plin. *disp. 13. princ. l. 18.* vt nec damnari quis possit vt veneno necetur. *l. 8. D. de pœn.* vt nec venenatis telis vtantur, nisi barbari. Manlius reprehensus quòd aquas hostibus infecit, Liu. *l. 38.* alij quòd gypso farinam; quòd venenatis bestijs, serpentibus, aspidibus vsi, abusi sint. Barbaros superant, qui tormentis hodiernis concauos globos veneno vnà cum puluere plenos in hostes proijciunt; qui disrupti non mortem tantùm & immedicabilia vulnera infligunt, sed omnem aërem quò peruenerint inficiunt.

CAPVT XVI.

Iniustè bellatur respectu Modi.

1. *Ex modo iniustè bellum geritur, si non indicatur.*

IMprimis si bellum non indicitur antequam geratur. & res repetantur, seu postulata edantur, antequam indicatur. *Deut. cap. 20.* Id gentium ius fuit omnium, nisi fortè barbararum. in eoque religiosissimi fuere Romani. Flor. *l. 2. hist. Non statim,* inquit, *ad arma procurrunt dum priùs more legitimo queri malunt.* quare, Herod. *quæ verbis componi non possunt, armis decernantur.* Excipio defensionem quæ incontinenti fit. nam quæ post moram, quæq; ad vindicationem ferè pertinet, denuntiationem exigit. sed & si apparatu bellico iniuria illata sit, atque palàm alij pro hostibus se gerant, denuntiari non quidem necesse, honestũ est tamen. fieri enim potest, vt fecialibus repetituris hostes æqua responsa daturi sint. & quædã in vicem peccata sint, quæ ignorat Princeps. Alberic. Gentil. indenunciatum bellũ, iustum censet, si iniuriæ durat factio, si ex rixa in pugnam ac iustum prælium inopinatò itur; si contra eos gerendũ, qui defecerint; si contra eos qui denuntiationis morem nõ habent: si pro socijs: dummodo non contra singulariter fœderatos. nam ab arbitrio auxiliarium non finitur bellum. quare nec ab eis indicendum. sed improbè contra fœdus fit, socij causa, nisi & priori coniunctioni renuntietur antea.

CA-

CAPVT XVII.

Iniustè bellatur ex nimia Sæuitia.

CItra necessitatem, terroremque exemplo opportunum, si nimis sæuitur, non rectè bellatur: ruinis nimijs, damno frugibus dato, non humatis mortuis, occisis obsidibus, si non & ipsi peccarant; captiuis intra præsidia iam ductis, seu, vt hodie aiunt, refrigerato iam sanguine, pacto redemptionis pretio (quod & priuato militi debetur *l.* 21. *D. de neg. gest.* nullâ metus ratione habitâ, cuius allegationem bellum respuit. Bodin. *l.* 4. *cap. vlt.*) supplicibus, innoxijs, pueris, fœminis, agricolis, inermibus, peregrinis. Gentil. *lib.* 2. *de iur. bell. ad fin.* 1. *Si nimium sæuiatur.*

CAPVT XVIII.

Ex verborum Contumelia.

CIrca modum etiam bellandi peccatur, cùm nullâ iustâ causâ contumeliæ in hostem inanes sparguntur, & scommata, dicteriaq;, & falsæ salsæq; facetiæ. Ita accidit Veientibus procaciâ illusis. de quibus Liuius *lib.* 2. *non alio antè bello infestior Romanus. adeo hinc contumelijs hostes, hinc Consules morâ exacerbauerant.* & iterum: *Sed Veiens hostis, assiduus magis quàm grauis: contumelijs sæpè animos agitabat.* satius est mollibus verbis eneruare, quàm irâ hostem armare. incendunt contumeliæ ad vindictam, etiam in socios, & ciues. Ita euenit Cremonensibus direptis à Tertia-decimanis, quos, *vt sunt*, inquit Tac. *lib.* 19. *procacia vrbanæ plebis ingenia, petulantibus iurgijs illuserant.* & Romanis Vitellianos abscisis furtim baltheis, an accincti forent rogitantibus: *Non tulit*, inquit idem Tacitus, *lib.* 18. *ludibrium insolens animus, inermem populum gladijs inuasere.* Reprehendit idem auctor *lib.* 10. Othonem etiam & Vitellium, quòd quasi rixantes stupra & flagitia inuicem obiectauere. & Liuius *lib.* 3. Philippum Macedonem, quòd esset *dicacior naturâ, quàm Regem decet.* Rectè Plut. *in Timoleont. hostibus vim concessam, non virulentiam. multi verba grauius quàm facta ferunt, contumeliam item quàm detrimentum.* Memno militem traiecit, qui Alexandro maledixerat, addito elogio: *Pugnare te contrà Alexandrum volui; non ei maledicere.* Plutarch. *in Apotheg. Regum.* & ferè fit sicut in priuatorum litibus iurgando & ri-

1. *Si virulentè maledicatur.*

& rixando, ita & in bellis malèdicendo, vt iustæ causæ obumbrentur, animi exacerbentur, & magis in posterum de contumelia certetur, quàm rebus repetundis, ob quas bellum cœpit. Caroli V. Imperatoris & Francisci I. Regis Galliæ perpetua ferè bella (postquam Franciscus ægrè tulit Carolum in competitione Imperij sibi prælatum, & præter domesticos sermones apologias etiam publicauit) quantum ab animis exacerbatis fomitis accedat materiæ belli, docuerunt.

CAPVT XIX.

Iniustè bellatur respectu finis.

1. *Iniustè bellatur ratione finis, si intentione non recta.*

FInis etiam ratione peccant qui bellant. *Militare*, inquit Augustinus, *non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est; nec Rempub. gerere criminosum est, sed ideo gerere Rempub. vt rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile. cap. militare 23. quæst. 1.* & iterum; *nocendi cupiditas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur. dict. cap. quid 23. quæst. 1.* Igitur præter auctoritatem indicentis bellum, & iustam causam, etiam opus esse intentione rectâ, post D. Thomam docet Malderus *de Iust. quæst. 40. de bello dub. 5.* & quanquam hostibus iusto bello petitis ex praua intentione, ad restitutionem nullam teneatur Princeps, suis tamen teneri temerè, & ob vanam suam gloriam præcipitatis in incommoda belli, quo rectiùs & prudentiùs Princeps caruisset: ideoque non tantùm quærere, sed neque satis vitare iustum bellum graue sæpè peccatum esse, cùm non sunt tanti commoda, quæ ex eo reportantur, quanti ex eo incommoda. Si enim plus detrimenti capiat Respublica per bellum quàm emolumenti, temerè atque imprudenter geritur bellum: non secus quàm si priuatus plus sumptuum in rem aliquam consequendam facit, quàm ea res æstimari possit, næ ille prodigus paterfamilias dicetur. quia pridè illud rectè, *pecuniam negligere in tempore interdum summũ est lucrum.* Rem pro derelicta habere, cuius recuperatio sumptuosior sit, quàm possessio vtilis, prudentia œconomica est: negligere ex publico quædam quorum repetitio censum superat, politica sapientia: membrum abscindere, à quo periculum est toti corpori, medica censura est.

2. *Si cum fi-*

Contra finem belli etiam peccatur (omitto ducẽ prẹlio victorẽ, qui fortu-

fortunæ non instat, quod illud: *Vincere scis Annibal, victoria uti nescis.*) Peccatur inquam maximè cùm bellum vitari, aut finiri potest æquis conditionibus, & eas aspernatus, qui fortunam sibi arridere putat, impacato & implacabili animo manet. *Semper*, ait Arist. 6. *pol. imbecilliores æquum quærunt, & id quod iustum est; quod qui potentiores sunt, parum curant.* vt Cæsar 3. *comm. bell. ciu.* hoc ait solum tempus esse de pace agendi, dum sibi vterque confideret, & pares vtrimque viderentur: si verò alteri paululum modò tribuisset fortuna, non esse vsurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore æquâ parte contentum, qui se omnia habiturum confideret. Quod si hostis dignam satisfactionem offerat, & ablatarum rerum restitutionem ex æquo arbitrio. iniquũ est nõ finire bellum: nam quod damnorum illatorũ proportionem superat, ad vlciscendi crudelitatem, impacatum, atq; implacabilem animum pertinet. quę reprobat August. *dict c. quid culpatur 23. q. 1.* & iterum idem: *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas.* offerentem arbitrio viri boni satisfactionem, nulla perimit necessitas: quare prosequitur; *Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur, ita victo, vel capto misericordia iam debetur. maximè in quo pacis perturbatio non timetur. cap. noli. 23. q. 1.* quanto magis nondum victo, nondum capto, in quo perturbatio pacis non timetur, sed qui pacem ipse seriò atq; enixè petat, ablata restituere, illata damna resarcire offerat? cùm iuris communis æquitate receptum sit, vt condemnationem euadat, qui petita aduersario ante sententiam repræsentat. *Victo*, inquit August. *vel capto misericordia iam debetur*: cum fortuna sententiam tulit: cùm ita nondũ illa litem bellicam diremit, pacatus & placabilis animus magis debetur: quo æquæ leges pacis recipiantur. *Si accesseris*, inquit legislator Deus, *Deuter. 20. ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem,* (multò magis, si ipsa vltrò petat, concedenda est) *si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est saluabitur.* misericorditer id, & iustè; sed rigidè, & non nisi in casum grauis admodum delicti, id quod sequitur; *& seruiet tibi sub tributo.* Neque enim ordinariæ legis ea postulatio est, vt eæ gentes quibuscum bellum est, præsertim si sponte in pacem concedant, sub tributum redigantur. grauiùs enim hæc est subiectio Reipublicæ dignitatem admodum minuens. sed agitur eo loco de populis extrema meritis. vnde & nisi pacem acceptauerint exscindi iubentur. occiso omni genere masculino, præter infantes, præter quos tamen multi innoxij, qui cum fine periculo disiungi possunt, ad mortem dedi, aut rapi non possunt. *l. vsufructuarium §. in vinarijs D. de vsuf. l. iterum Mela §. sed si D. ad leg. Aquil.*

niri bellum potest, æquæ conditiones non acceptantur.

latè Malderus *de iustit. quæst.* 40. *de bello dub.* 6.

4. *Commensurata dānorum reparatio excedi non potest.*

Non etiam licet bello plus exigere, quàm iniuriarum illatarum damnorum vè, ac iustæ denique vindictæ ratio permittit. in qua dignitas læsæ Reipublicæ, indignitas facti, cautio imposterum ne quid simile deinceps victus moliatur, & securitas momenta faciunt. verbis læsa est Respub. verbis fama reparetur. res ablatæ sunt; restituantur. pudicitia attentata est; auctores noxæ dedantur. cædes facta est, pro merito homicida luat. agri vastati sunt, magna impendia in belli sumptus locata, luantur expensæ. interceptæ sunt arces, vrbes, oppida; reddantur. extructa vltra terminos castra; diruantur. prælio certatum est, multi ad orcum missi, petit læsus vt omnes se dedant in mortem, aut vincula, deditionem faciant cum libero vitæ, & necis arbitrio, aut vitâ saluâ Rempubl. subijciant in clientelam eius, & sub liberum dominatum: dura quidem conditio est; & fieri potest, vt damna tam sint grauia, contumacia tam diuturna, cædes tam numerosæ, tam omnium obstinata culpa, tam manifesta belli iniquitas; vt tam duræ conditiones ad iustam compensationem debeantur. sed tamen asserit Augustinus victo iam quamuis, & capto misericordiam deberi: non ergò extrema persequi oportet, non in mortem dare multitudinem, non in acerbam seruitutem, non in desperationem agere nondum debellatos, quos sæpè fortuna penè victos artem docuit vincendi. sæpè pressus anguis retrò vertit caput, & mortiferum in prementem vibrat spiculum, tunc quoque cum moritur. Igitur si semi-viuis, semi-victis æquam pacem dederis, stabilem dederis: si iniquam, circumspicient occasiones, quibus victi vincere iterum possint. Rarum est vt bellandi finem faciant talibus legibus, quibus aliquid spei est vel ex desperatione, vel morte ipsa. Fidenates ita sese noluerunt dedere, sed seipsos cremauerunt. Saguntini postquam operæ plus exhibuerant quàm integra Asia, se seipsos interemerunt. Clotharius I. Franciæ Rex à Thuringis non nisi vitam postulantibus, negatione eius in desperationem actis victus ipse fuit. Gandenses à Ludouico Comite pacem, quâ, vitâ saluâ, omnia penè ei permittebant, non recepti in gratiam, parte ciuium in obsessa vrbe relictâ, pars Brugas contendit, tantâ irâ & ferociâ cum exercitu Comitis illic dimicarunt, vt illum fuderint, captâ vrbe hunc fugarint in latebras casæ cuiusdam viduæ, deinde totâ ditione desertâ in Galliam. Bello quod hodie apud nos geritur nauali, quot naues iam victæ, quòd non nisi iniquis conditionibus deditio fieri posset, incenso puluere nitra-

5. *Non semper æqua conditio vt hostis sub tributum redigatur.*

6. *Æquæ conditiones stabiles, iniquæ ad fidem frangendam aut periculosam desperationē ducunt.*

nitrato, igne absumptæ, victrices simul in aërem, & ignem traxerunt, de conditionibus apud Rhadamantum litigaturæ!

Itaque quotiescumque hostis qualemcumque honestam & securam iustæ conuentionis conditionem offert, maturo sane iudicio expendendum est, ne quid vltra debitum petatur, ne dum nimium pungitur eliciatur sanguis, ne oblata belli finiendi occasio interuertatur, ne bellica fortuna mutet vices, bonum Reipublicæ commune, pacisque tranquillitas dispellatur, & iam qui iustum gessit bellum, & pacem iustam aspernatus est, nec exinde iustam pacem obtineat, & bellum imposterum iniustum gerat. *Cùm victoriam, inquit Liuius, prope in manibus habeas, pacem non abnuere debes, vt omnes sciant, te & suscipere iustè bella, & finire.* Siue enim vt quis assequatur, siue vt iam obtenta retineat, quæ vltra iustam compensationem, iustamque vindictam fuerint, iniustè petit, iniustè retinet. Molin. *de Iust. tract. 2. disp. 117.* Mald. *de bell. disp. 6.* Consen. *politic. lib. 10. cap. 9.* Constitut. Leon. 61. 62. 66. 7. *Finiendum ergò belli.* 8. *Cum iusta compensationis mensura.*

Sumptus sanè belli iustè exiguntur à iustè victo, vt de priuatis litigatoribus decisum. tributa aliquando indicit victor, quæ victoriæ præmium, belli pœnam vocat Cicer. *Ver. 5.* agro mulctat, ornamentis vrbium spoliat, has mœnibus nudat, captiuos seruos facit, Duces etiam occidit. in posteros citra mortem vltionem porrigit, in deditijs humaniùs statuit, rebelles acerbiùs punit. de singulis Gentil. *lib. 3. de bel. iur.*

Enimuerò quia difficiles sunt bellorum extricationes, impossibilis damnorum diuturni belli calculus, rara felicitas vt altera partium iniquum se bellum gessisse fateatur; multa etiam causarum bellicarum inuolucra, specioſi, pretioſique prætextus: vix aliter solet fieri, vt in pacem coëatur, nisi damnatâ præteritorum omnium memoriâ, nullâ ablatarum rerum repetitione priuatis permissâ: Principes oppida restituere solent, & captiuos sine lytro dimittere. quam conuentionem in ea difficultate non improbant Molin. *vbi sup. dis. 123.* Mald. *d. 6.* Duaren. *ad l. conuentionum. D. de pœn.* 9. *Pactum ne damna resarciantur, valet. & plerumque contrahitur.*

Quamquam enim bella gerantur iustè pro rebus repetendis, & iustè pax componitur, cuius legibus interdicatur, ne quis damna per iniuriam data sarcienda petat: pax enim quæ vtilitatem publicam cõtinet priuatæ prẽualet, si aliter coalescere nequit, quã condonatis vndique iniurijs, damnisq; ; satius est illam pacem amplecti, quæ non omnibus debita rependit, quàm bellum quod alijs porrò

iniurias inferre pergat. Quare & Greg. IX. *in c. in nostra. x. deiniur.* non improbauit statutum, quod Brixienses condiderant, ne quis damna bello ciuili data restauranda peteret, aut reciperet. idem tamen pro bono concordiæ ita statutum interpretatus est, vt expensæ sub nomine damnorum non comprehenderentur. multo magis similia pacta Principibus Supremis in pangenda pace permittuntur. Sabarel. *Cons.* 83. pacis enim causâ multa singularia recepta sunt, iura relaxata, & à communibus regulis recessum, & quæ aliàs iniqua sunt, ex pacis causa æqua fiunt. vnde Corset. *tract. de priuil. pac.* recenset 117. pacis priuilegia, vt refert Tusc. V. *pax. concl.* 173. vbi & plura alia pacis ergò specialiter recepta memorat. sed & *concl.* 178. rectè docet latam esse faciendã interpretationem pactorum conuentorũ quatenus pro pace patiuntur, & talem quidem, vt si restitutio v. g. conuenta sit facto ipso, & sine litis circuitu ea promissa, & permissa intelligatur. Atque hæc quidem cum bello neutri *Fortuna peracta iam est sua.* Cæterùm si persona Principis aut tota ditio in potestatem venit, & iam libripendem in partem alteram momenta nimis inclinarunt, decidi aliquid solet à victa ditione, aut detineri tota, quæ iam occupata est. Alterum ferè sæculum agitur à cæde mutua Aurelianensium & Burgundionum Ducum, odiaque familiarum in ipsas prouincias transmissa, implacabili ac æterno bello Galliam, Burgundiam, Belgicamque exercuerunt: ijdem tamen penè limites manserunt semper: nisi quòd captiuitas Francisci I. supremum ius Regium in Flandriam, Artesiamque remiserit. nam Burgundiam quod attinet, sæpè conuentum est, vt ius de ea diceretur. & quidem Albertus Pius auctor fuit pacis vltimę inter Hispaniam, Galliam, Belgicamque initę, & (quam pauci sperauerant) restitutionis Caleti, aliorumq; oppidorum Gallis interceptorũ. Sciebat prudens Princeps alioquin ea irritamẽta fore redintegrãdi belli, & satius esse coërcere intra iustos terminos Imperium, & pace securâ frui, quàm prorogare spatia ditionum, & quos amicos ex pace habere debeas, ex iniqua & graui pactione semper habere suspectos, & animo hostes. meminerat eius quod Tullius Albanum monebat, *Non tam cogitandum de sancienda in præsens amicitia, quàm ne derelinqueretur vlla imposterum renouandi belli materia.*

10. *Iustus finis pristinos terminos nõ mouere.*

11. *Etiam victos moderatè & clementer tractare.*

Belli Tacito egregij fines quoties ignoscendo transigitur. Lacedæmonios initio & Athenienses in victas ciuitates imperium non sumpsisse constat. egisse tantùm vt se Reip. suæ accommodarent. Quòd si nõ tutum victori videatur sic ex toto ignoscere, at temperare saltem victoriam admodum erit consultum. si laudatur temperantia & munificentia in singulos, quanto magis in populos

&

& gentes vniuersas ? magnâ dignum laude toto in victos Imperio abstinere ? *Maiores*, inquit Salustius, *nostri religiosissimi mortales nihil victis eripiebant præter iniuriæ licentiam.* nihil aliud Lacedæmonijs & Athenienſibus videtur fuisse exitio, quanquam militum armis valerent, nisi quòd victos bello exosos haberent, nulloque commercij iure dignos ducerent. Iustin. *Videant*, inquit D. Augustinus, *de ciuit. Dei lib. 4. c. 15. ne fortè non pertineat ad viros bonos gaudere de Imperij latitudine.* Moderatio etiam magna est, victos miscere victoribus, eodemque imposterum loco habere. sic Ancus Politorium vrbem Latinorum vi cœpit, secutusque morem Regum priorum, qui rem Rom. auxerunt hostibus in ciuitatem acceptis, multitudinem omnem Romam traduxit: Iustin. *l. 1.* minor, & tamen magna; Imperium ijs relinquere, qui habuerant, vel impositis præsidijs vel leuibus tributis, atque oneribus. si assumendum Imperium; eius partem minoresque Magistratus victis permittere, iura, priuilegia, moresque gentis; libertatem omnino. at semper quomodocumque res agatur, pro necessitate aut vtilitate Reipub. omnem in victos clementiam exhibere. multo maximè clementem animum in nondum victos. quo temperatæ pacis leges dentur, & oblatæ non proculcentur. vbi & ea cogitatio accedit, quòd *& habet fortuna regressum.* bello victor esse potest, qui prælio sæpè victus est. accidit L. Martio, de quo Front. *l. 2. c. 10. cùm hostem victoriæ fiduciâ incompositum aggressus, ne nuncium quidem cladis reliquisset, breuissimo tempore militi ad requiem dato eadem nocte raptim famam rei gestæ prægressus, altera eorundem castra inuasit; ita bis simili vsus euentu, deletis vbique Pœnis, amissas Pop. Romano Hispanias restituit.* 12. *Multo magis nondum debellatos*

In victos solius victoris arbitrium est; pacem dat, & quibus vult legibus dat. si victor iustus est, dat æquis; adeoque duraturis in communem vtilitatem. quam vinculum maximum ait Annibal. Liu. *lib. 36.* nam alia vincula debiliora sunt, quàm vt iniquas conditiones perpetuas faciant. non affinitates, non iuramenta, non obsides, fideiussores, pignora. sola æquitas stabilis. vbi ea abest verum illud Taciti *inter victores, victosque numquam solidam coalescere fidem.* & Dionys. *cogi in obsequium voluntatem non posse*: quæ, vbi aduenit aliquando facultas, excutit obsequium, & respicit pristina. quod iniquus victor, nec præsidijs impositis, nec aliâ ratione satis vitauerit. 12. *Rursus alioquin aliò aspirant.* 14. *Potius hostis in partem ditionis recipiendus, quàm de tota periclitandū.*

Aliquando periculosum est extrema persequi. sæpè desperatio spei causa est, cùm aut vincendum aut moriendum est. plures Principes prudenter de iure suo aliquid concesserunt. de Imperio, de regni parte potius, quàm de toto periclitari, aut ditiones

suas omnino conuelli, prosterni, vastari mallent. Martianus sanè & Leo Mysiam Hunnis, & Zabergano eorum duci concesserunt, *& ibi termini Romani Imperij positi sunt*, vt ait Iornandes. quamquam alij volunt Mysiam cum Pannonia Ostrogothis, qui Hunnos eiecerant, à Leone concessam, & Theodoricum obsidem acceptum. Blond. *l.* 2. *deca.* 1. Sic & Wandali ab Oceano ad limites Danubij, vix anni spatio progressi cùm à Geberico Rege Gothorum profligati essent, superstites Pannoniam à Constantino obtinuerunt, qui per annos plus 40. vt incolæ quieuerunt, dein à Stilicone inuitati, Gallias, mox Hispaniam, ac deinde à Bonifacio vexati Aphricam occuparunt plus annis centum. Tandem Valentinianus III. anno salutis 444. pace initâ Barbaris Aphricæ partem reliquit, Hispaniæ partes nunc Sueuis, nunc Wandalis, nunc Gothis, nunc Alanis, nunc alijs alias Barbaris per fœdera datas tum alibi passim, tum apud Marianam legas, *de rebus Hispanic. lib.* 5. *cap.* 1. 2. 3. 4. *ac alibi.* Normanni Galliam inundarunt, & cum periculo interitus vexarunt. quod vt redimeret Rex Galliæ, eam partem assignauit, quæ hodie Normannia vocatur. Pasquier *aux recherches lib.* 1. *cap.* 12. Innumera inueniet similia, qui transmigrationes gentium legerit. eiusmodi etiam erat consilium, non imprudens Darij, fusi iam, & de toto regno periclitantis, cùm Alexandro per Legatum obtulit eam imperij partem, quæ citra Euphratem erat. non imprudens, inquam, etsi successum parem non habuit: dum

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Quòd si Regibus luberet nonnumquam seditiosos subditos non dico vt putridum membrum abscindere, sed de formula imperij quædam remittere, non tot milliones bello absumerentur, dum post tot sanguinis fusi maria nullum littus spectant. Esto iusta Regum arma fuerint: prudenter quædam contemnuntur, quæ summis impendijs vix aliquando, aut numquam recuperantur, prudenter Augustus cogitauit de coërcendo intra terminos Imperio, de negligendis etiam prouincijs iam victis: prudenter Romani Britanniam subiugantes, muro continuo insulam intersecuerunt, partem alteram extra fines suos statuentes. Chinenses Tartariam muro à prouincia sua separarunt, quamquam partem illius iure belli obtinerent. rectè, vt reliquum corpus tranquillum securumque foret. Multo ergò maximè prudenter de rigore Regiæ potestatis conceditur aliquid quo cætera seruentur securè, & mutuis incommodis non quassentur. Spectauit id apud Dion. Augustus, *ne si Imperium dilatare voluisset, id difficiliùs tueretur, faciliùs etiam par-*

partum amitteret. nam vt Curt. *l.* 4. *Prægraue imperium difficile est continere, quod capere non possis. Videsne nauigia, quæ modum excedunt vt regi non possint?* quæ tum maximè locum habent, cùm saucia est, atque ægra Respublica, neque miles ad manum. quam causam facit coniurationis Catilinariæ Flor. *lib.* 1. *quod in extremis mundi finibus arma Romana peregrinabantur.* & Salustius : *in Italia nullus exercitus. Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat.*

CAPVT XX.

De Fœderibus.

PAx sanè nec carò nimis emi potest : nec diligenter nimis, dum habetur, coli, atque obseruari. Finis ille est, quo bellum omne dirigitur, quo absoluitur. 1. *Pax in intentione finis belli, induciæ & quæcumque eò ducunt semper amplectenda.*

Ad eam viam sternunt induciæ. quemadmodum prologi Bellonæ sunt pignorationes, repræsaliæ, & qualescumque pacis publicæ violationes. hisce igitur omnis obstruenda via est, ne quà in bellum deuoluatur Respublica, induciæ ambabus vlnis amplectendæ semper (si non morandi, fallendique causâ offerantur) vt per eas ad pacis azyla ingressus detur. compescenda petulantia ingenia, prurientes manus, ac rapaces animi, qui ad classici sonum ducunt, reducuntvè. aperiendæ aures Mercurio pacifico. nihil omittendum quod ille suaserit. Induciæ igitur pangendæ sunt, cùm possunt, quæ ad pacis conditionẽ librentur, quibus ad pacem veniatur, ad fœdera. strictè ea seruanda ; & cum ijs iustitia. *Iustitia & pax osculatæ sunt,* Psal. 84. nisi eâ negatâ numquam ad pignorationes, aut repræsalias veniendum. numquam committendum, vt aliquid è Pace, è Fœderibus violetur. nisi quæ vitari non potest premat necessitas. eaque rei tantæ, quæ stridore, clangore, horrore Bellonæ sit digna.

Igitur de singulis paulò propiùs dispiciamus ; atque in primis de fœderibus in genere, quæ publicæ sunt conuentiones, quoties inter se Principes, populivè, aut belli duces paciscuntur. *l. conuent. D. de pact.* Principes atque populi de causa seu fine belli, de pace, eiusque conditionibus : minoresque potestates, de ijs quæ ad bellum gerendum, ductumvè pertinent. de prioribus illud Salustij : *Senatus, vti par erat, decreto suo atque populi iniussu nullum potuisse* 2. *Fœdera finiendi belli summi ineunt, minores ea quæ ad ductum belli.*

fœdus

fœdus fieri. & iterum de Principe apud Senecã: *Imperator fœdus percussit videtur populus percussisse Romanus, & fœdere continetur.* & iterum Salustius: *Quam pacẽ A. Albinus cum Iugurtha Rege Senatus iniussu fecerat, senatus rescidit.* Postquam Maharbal Romanis quibusdã absente Annibale vitam, abitumq; cum singulis vestimentis permiserat, detinuit eos Annibal, quasi in potestate Maharbalis non fuisset, eo inconsulto fidem dare se dedentibus, quâ ipsos illæsos, aut indemnes præstaret. *Punicâ*, inquit Liuius, *religione seruata fides ab Annibale est.* Ad eum modum vidimus naues deditas, quæ alioquin puluere incenso se victoresque in certum interitum dedissent sub Ducum fide, quâ nautis militibusque vita salua esset, iudicio superiorum nautas militesque morti datos. Punicâ sanè religione fides seruata est. aut enim restituere in eundem statum oportebat, aut pacta seruare, quibus erant dediti, nõ aliàs dedendi, nec impunè morituri. vt Romani Posthumium dediderunt, alioq; pacta non præstantes.

Qua ex causa numquam probare potui, quod à regularibus aliquãdo quibusdam vidi vsurpari, vt si Superior multis promissis etiam impunitatis apostatã ad cœnobium reuocasset; Prouincialis auctoritati suæ assereret non præiudicatum, qui & carceri manciparet regressum, non eâ fide regressurum. De summa igitur potestate populi, Principumvè, quibus militant, delibare belli Duces nihil possunt: ea possunt, sine quibus bellum rectè gerere non possunt. *Iniussu populi*, inquit Posthumius, *nego quicquam sanciri posse quod populum teneat.* verùm cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest. *l. cui. D. de iurisd. om. Iud.* & intra eos terminos Principem populumque obligat, vt institor dominum. *l. 5. D. de instit. act.*

Et quoniam fortuna & occasio magnæ sunt arbitræ bellorum, quæ perire possunt, dum Princeps consulitur, aut populus; dubitare non oportet, belli Ducibus esse concessum in deditionem accipere, vitâ, bonis, libertate saluis ciues, vrbes, oppida, castra, exercitus: cæterùm de iam victis, superatis, deditis, statuere non possunt. iam ea extra belli ductum constituta sunt. adeoque pura deditio si fiat, ad arbitrium Principis omnia deuoluit. de præda tamen diuidenda post conflictum statuere solent. cui mori ea ratio suffragatur, ne (vt sæpè accidit) in media victoria ad prædã dilabantur milites, quam re confectâ non sperarent. ideoque ne victoria ob prædam è manibus elabatur, eorum quę in prędа sunt promissio, & post conflictum diuisio ad Duces pertinere censenda est. quia sine ea militem in disciplina, & victoriam continere non possent.

3. *Hi in deditionem accipiunt; de simpliciter dediti illi statuunt.*

Deni-

Denique Duces obligare se, militem, & prouinciales quibus præsunt, possunt intra ea, quæ ab ijs possunt imperari, & prodesse ijs, eaque quæ sunt vtilia stipulari; nocere non possunt extra ea, quæ imperio eorum continentur.

Principem ergo suum & populum obligant in ijs, quæ mandatis eorum continentur, aut communes gentium leges Ducibus permittunt; ad modum quo institor per eum obligatur, quem rei suæ præposuit, & quomodo vti cum eo contraheretur palam proscripsit. *l. cuicumque §. non tamen. D. de inst. act. l. sed si. §. de quo & §. prohibere. §. proscriptum, ibidem.* Vnde belli Duces, si intra id, quod habent communes, aut notæ palam sui populi leges, contrahant; obligant Principem suum, etiam contra arcana mandata. quanquam ob horum contemptum puniri illi possint. extra leges quas diximus, vel mandata publica non obligant. vt ratiocinatur benè apud Romanos Posthumius. *Hosti nihil spopondistis, ciuem neminem pro nobis spondere iussistis, nihil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis, nec cum Samnitibus cum quibus nihil egistis.* Sed quæritur an pro iussu silentium possimus interpretari? & negat Grotius *de bell. l. 2. cap. 15. in fin.* nisi aliud accesserit post notitiam, quo pactio positiuè probata censeatur. vbi itidem docet quando Principes suorum Ducum pacta improbant, quatenus hi teneantur ad id quod interest, bonorum, corporisvè deditionem. vt Fabius Max. cùm pactum eius Senatus improbauit, fundum vendidit, pretium hosti soluit. Samnites Brutulum Papium dedendum censuerunt, Romani Posthumium volentem suadentemque. quâ deditione defungitur aliâ obligatione Princeps.

4. *Intra terminos sibi commissos ac leges cõmunes, etiã contra arcana mandata obligant.*

5. *Quatenus seipsos si pacta à Rege improbantur?*

Cæterum fœdera quamuis soli regulariter contrahant, qui ius maiestatis habent, tamen non sunt excludendi qui regalia pridem vsurparunt. vt multi hodie qui pro supremis se gerunt Principes, Liberæ Ciuitates, & Status Imperij; vt Hansiatici: quique penè in sua potestate sunt, non tantùm cum Principibus & Statibus Imperij, sed etiam cum exteris in defensionem mutuam: non contra Imperatorem, aut Imperium. nam ij in maiestatem committerent. vt vasallus, qui cùm hoste domini pascisitur, feudo cadit.

6. *Liberæ ciuitates, Status Imperij qualiter contrahunt?*

Reges, Principesque, qui pleno iure regnant, Populique liberi, per se maioremvè partem contrahere fœdera possunt, regnum populumvè obligare. qui certis legibus regnant, more maiorum, atque ex gentis instituto contrahunt, se gentemque vt obligent.

7. *Quatenus qui certis legibus regnant.*

Præsertim si eiusmodi fœdera ineant, quæ inæqualia non tantũ sint, sed & Imperij imminutionem aliquam redoleant. vt in fœdere

8. *Præsertim*

Car-

si quà imminuant Imperium.

Carthaginensi secundo cum Romanis, ne illi bellum facerent iussu populi Romani. nam exinde Caathaginenses Romanis ex fœdere morem gerebãt, vt loquitur Appianus. sic & Liuius *l.* 9. Theates Apuli impetrauerunt, *vt fœdus daretur, neque vt æquo tamen fœdere, sed vt in ditione populi Romani essent.* Sic & ratio clientelæ, pensionis, tributi, libertatem non aufert, sed obscurat admodum dignitatem, adeoque ad primos gradus inæqualium fœderum pertinet.

9. *Qua, qualia?*

Sine imminutione etiam Imperij sunt onera tam manentia, quàm transitoria, de dandis obsidibus, præstandis auxilijs, soluendis stipendijs, mœnibus diruendis, finibus non muniendis, atque imperio ac maiestate comiter colenda, (quanquam nec hoc libertatem tollit, & proximè ad priorum naturam accedit, *l. 7. D. de captiu.*) hostibus & amicis quos pars altera velit habendis. nam pactio de communibus hostibus & amicis habendis (vt Annibal cum Macedonibus conuenerat, *hostium hostes erimus, exceptis Regibus, ciuitatibus, & portubus quibuscum fœdus nobis & amicitia est.*) ad æqualia fœdera pertinet; præsertim inter æquè potentes: alioquin proportione geometricâ inter dispares aliqua æqualitas seruatur. Sic fœdus videtur fuisse Romanorum cum Iuda Machabæo, quod ex tabulis recitatur præclarè conceptum *Machab. lib. 1. cap. 8.* sed magis fraternum Iudæorum cum Spartiatis. *Machab. l. 2. cap. 12.* plura sunt vtriusque generis in libris Machabæorum.

10. *Facilior ratio æqualium fœderum.*

Æquale maximè fœdus significat conuentio *vt legibus suis quisque viuat.* non idem vt priuilegijs, nam priuilegium sonat superioris indultum. quod ideoque Principes beneficentiâ sponte dare lubentes volunt, pacto nolunt. si ex pacto datum est, ad arbitrium reuocatio non pertinet, vt eius quod solâ munificentiâ. *qua de re alibi.* sed in hac materia placent Principibus priuilegia, quia eis Supremitatem deferunt.

11. *Qualia pacis.*

Principes pacis fœdera, præsertim æqualia faciliùs ineunt, de restituendis captiuis, mercimonijs permittendis, securitate mutua, de vectigalibus non soluendis, aut non augendis, quàm aut sint impræsentiarum, aut non vltra certam quantitatem.

12. *Qualia belli.*

Belli fœdera, quibus populum ad ea obligent, difficiliùs sine populi, Ordinumvè consilio, atque assensu Principes ineunt. ex pace æquali manifesta commoda; ex belli societate sæpè qui socium defendit, in se hostem auertit; non sine popularis seditionis periculo: præsertim si Princeps non pleno iure regnat.

13. *Fœderum magna vtilitas, sed*

Fœdera & antiquitus ab origine gentium ritè vsurpata, & vtilia sunt Principibus, & Rebuspublicis etiam potentibus, tum pace, tum bello. illa vt tutior sit & à nemine lacessatur; hoc vt auxilijs

etiam

etiam externis geratur, ad res tutandas, & iniurias vindicandas; has enim comprimere oportet, vt tuti sint Prouinciales à potentia vicinorum Principum, quorum æternum studium pomeria proferre, terminos prorogare, & quidquid vicinum est subditum facere: vt ipsa ambitio nullos habet terminos. *eorum qui & quibuscum contrahunt.*

14. Cæterùm minùs vtilia fœdera sunt cum nimis remotis, seu qui auxilia difficulter submittere possunt: periculosa cum nimis miseris, & afflictis; quin & nimis potentibus: si fructum victoriæ in se solos deriuant illi, vel egent nimium, vel in charybdim vt qui merguntur secum trahunt. inconsulta etiam cum familia offensa, vel hominibus natura à nobis alienis, dissymbolis & antipatheticis, vel numero nimijs, qui distrahuntur sententijs inutiliter. solidiora sunt si affinitate contracta firmentur, sacramento semper solent, sæpè & obsidibus: vt & solemniter publicari, sæpiùs recitari, renouari. *Cautè ratio circumspicienda.*

15. Porrò belli societas excipere solet priores amicitias. vt *apud Polyb. l.* 9. Consul Romanus Campanis respondet: *Amicitias ita institui par est, vt neque vetustior amicitia ac societas violetur.* nouos parans amicos veterum ne obliuiscere. *Prius fœderati excipi solent.*

16. Sed & ad iusta bella solùm extenditur, obligat solùm amicitia omnis vsque ad aras. Quare rectè Romani in primo fœdere cum Iuda Machabæo *lib.* 1. *cap.* 8. Demetrio scribunt, questos Iudæos; adduntque, *Si iterum adierint nos, aduersum te faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum, terra marique.* Priùs ergò de belli iustitia iudicabant, deinde ex fœdere pugnabant. Epistola etiam Consulis Lucij *lib.* 1. *cap.* 15. *Machab.* post renouatam sæpiùs societatem, absolutè quidem mandat transfugas tradi Simoni, sed tamen addit, *vt vindicet in eos secundùm legem suam.* *Ad iusta demum bella societas obligat.*

17. Societas belli contracta obligat ad auxilia; cur enim venitur in communionem belli, aut quid venit, si non socialia arma? Amicitiam auxiliorum obligationem secum non trahere censet Bodin. *libr.* 5. *de Republ. cap. vlt.* aliter Gentil. *de iur. bell. lib.* 3. cautiùs tamen solent Principes disertè de auxilijs pacisci, eorumque quantitate. *Et ad auxilia, sed cautius ea eorumque quantitas pactis exprimitur.*

18. Quid si amici plures fuerint & socij, & inter eos bellum inciderit, an vtrique, an neutri auxilia mittentur? Sanè neutri; non enim auxiliares suos inuicem debent collidere: vtrique autem si aduersus non iunctos bellum gerant. quod si non pari vinculo iuncti sint, sed alter altero arctiori, fortè alter in ditionem receptus sit; huic vtique prærogatiua vinculi auxilia poscet; quamuis etiam tempore posteriori. nam inter personales creditores nullum *Sed an aduersus socios?*

temporis sed causæ priuilegium est. quomodo Romani cõtra Samnites, veteres socios, pro Campanis in ditionem recèns receptis bellum susceperunt. nam hi propiùs nostri sunt. Alberic. Gentil. *de bell. lib. 3.*

Cæterùm iustius antequam socialia arma moueantur, vt amici contentioni se interponant, socius de Iustitia belli inquirit, & ad illum contra quem mouere vult, scribit, Legatosque mittit, ad rem componendam. vt Romani pro Iudæis ad Demetrium. *vt mox diximus.*

Solet & conueniri ne arma ad hostes deferantur, ne armorum apparatus fiat, ne classes, ne exercitus, ne arces, & præsidia in finibus.

19. *Conuentiones fœderũ non callidè, sed ex bono & æquo iure interpretandæ.*

Quæ omnia non callidè interpretanda sunt, sed ex æquitate & communi vtilitate contractus. si quidem conuentiones in Regibus & Rebusp. bonæ fidei esse ex Decij consilio 4. & 187. *Chass. in catal. part. 5. consider. 24.* præsertim fœdera tradit Gentil. *lib. 3. de iur. bell.* In quibus Petrus Medices *apud Guicc. lib. 1.* sanctè dixit bonam fidem summum tenere locum. In bonam fidem peccant, qui palam bello abstinent, clam hostem iuuant, aut indirectè. *l. si sponsus D. de donat. inter vir. Neque enim amicos quisquam aliter quodammodo pluribus in bello bonis affecerit, si hostis esse videatur: nec inimicis magis alio quodam modo nocuerit, quàm si putetur amicus esse.* Xenophon. *in Cyrop. l. 5. nam amicorum facta hostilia nec diligenter cauere, nec æstu repellere facile.* Dion. Halic. Absint ergò non fraudes tantùm omnes, sed subtiliores disputationes, apicesque iuris non admittantur.

20. *Fraus absit, atq; indecens exceptio, metus &c.*

Neque exceptiones quæ dedecent Principem. metum Principem excipere non decet. Fraudem admittere tam improbum est in conueniendo cum hoste, quàm dolus in bello est laudatus. *Fraus*, inquit Cicer. *Offic. 3. distinguit, non dissoluit periurium.* Quare Samnites ad Romanos, *Numquam ne causa deficiet cur victi pacto non stetis? obsides Porsenæ dedistis, furto eos subduxistis: auro ciuitatem à Gallis redemistis, inter accipiendum aurum cæsi sunt: pacem nobiscum pepigistis vt legiones captas vobis restitueremus, eam pacem irritam facitis: & semper aliquam fraudi speciem iuris imponitis.* Liuius *l. 9.*

21. *Non ea quæ à rerum mutatione nascitur.*

Exceptionem à rerum mutatione accipere non indignum, si traditum est iuramentum vigere dumtaxat *rebus sic stantibus.* Crauetta *consil. 27. Tunc fidem fallam*, inquit Seneca, *tunc inconstantiæ crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum. alioqui quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meam fidem liberat.*

An

An porrò fœdera successores obligent quæstio Regia est, non à Iurisprudentibus tantùm disputata, sed & à Regibus, Principibus, Populis. negat Romanis Perseus teneri se patris conuentionibus. Liuius *lib.* 42. Fidenates mortuo Romulo, Latini Tullo, & item Anco, Sabini Tarquinio pulso. Iniuriarum sanè transactio in perpetuum facta censetur. Alciat. *de præsumpt. reg.* 2. *in fin.* Societas etsi inter priuatos personæ electæ morte finiatur, etiamsi secus cautum sit: *l.* 35. *D. pro soc.* tamen in vectigalium negociorumque publicorum, adeoque belli & pacis societate secus dicendum. Gentil. *lib.* 3. *ex Decio, cons.* 203. sic Romanis cum Latinis, Pœnis, alijsque fœdera perpetua. & Demosthenes *Philipp.* 2. *etiam posteros implicastis pace*, inquit. Sed hæc inter populos minùs controuersa, qui ijdem semper, nisi euertantur, & statum mutent. Principes etiam, si tamen vt tales fœdus percusserunt, & regni nomine successores obligant. *cap.* 3. *de sent. in* 6. quin & censet Bald. *in l.* 1. *D. de constitut. Princip.* seruandos eos contractus, qui ex natura ad principatum, non ad personam Principis spectant. quin & hos, vbi successores non ex electione, sed sanguine surrogantur. *in l. ex hoc iure. D. de iustit. & iur.* publicæ enim sunt huiusmodi conuentiones. *l.* 5. *D. de pact.* ideoque ad personæ interitum non restringendæ, nisi si quid eiusmodi sit, quod à successoribus non æquè præstari queat. quando nec vectigalium transit societas. Bart. *in l. adeo. D. pro soc.* Cautiùs tamen solent fœdera à successoribus, & cum successoribus renouari, vel expressè, vel tacitè. quomodo priuatorum societas soluta etiam renouatur. 22. Fœdera an successores obligent?

Sed tamen quoniam successores in regno, non beneficio defuncti, sed ex lege Regia, & titulo, vnde agnati cognativè succedunt; vice defuncti non funguntur: in priuatas actiones illius non succedunt; nisi quatenus in Remp. contractæ sint. Quamuis enim Principum verba leges sint, *l. pen. C. de donat. inter vir. & vxor.* & fide Regiâ nihil sit securius; *l. inter claras. C. de sum. Trinit.* id tamen ipsos spectat contrahentes: quorum mores deberent ad eum ritum esse compositi; non afficit autem ipsam Remp. nisi publica conuentio, aut in illius vtilitatem contracta sit. Dd. *ad l.* 1. *C. de constitut. & Const. de pace Constant. in verb. successor. & tit. Qui successores teneantur in feud.* Vtilitatem autem metior ex consilio, non euentu. vt si in bellum pro Rep. susceptum pecunia data sit, quamuis infeliciter bellatum fuerit. fortuna enim non semper Iustitiæ ancillatur. 23.

Sed & quæritur quatenus fœdera ad singulos pertineant? Certum est ita singulos comprehendi, vt lædi non possint ab altero Rege, vel Repub. at si quid singuli fecerint, Remp. aut Regem reum non

non faciunt, cuius iniussu fecerint. præsertim si res leuis momenti sint. attamen si publicè iussum, probatumvè fuerit, quod priuati faciunt, fœderis violatorem Regem, seu populum ij faciunt. probasse censentur, qui non puniunt, sed diu iniuriæ, aut damni reparationem interpellati differunt. *ex Decij cons.* 486. *Gentil. de bell. lib.* 3. Quæ porrò litium cõtentionumq; priuatarum causa fiunt, ad fœdus nihil pertinent. minus piratarum, qui ex gente altera veniunt, cædes: pro qua potiùs gratiam debeat. exulum receptio fœdus non lædit, fugitiuorum lædit: nisi reddantur repetiti. Gentil. *vbi sup.* nisi secus fœdere comprehensum fuerit, aut patriæ leges extra patriam, quacumque de causa, quem sisti vetent. quomodo Ordines Brabantiæ nuper interceſſerunt, ne fugitiuus monachus maiestatis accusatus, & à Galliæ Rege repetitus, extra Brabantiam contra vetera huius gentis priuilegia dimitteretur. quo etiam iure (omitto alias causas) sanctissimè renuit Albertus Pius Henrico IV. remittere Condæam Principem.

CAPVT XXI.

De Inducijs.

1. *Inducia natura temporales, breues.*

PAx perpetua est. *Romanis & Latinorum populis pax esto dum cœlum & terra stationem eandem obtinent.* formula Dionys. *lib* 6. *Inducię sunt*, inquit Paulus, *in l. post liminium.* 19. *D. de captiu. cùm in breue, & in præsens tempus conuenit, ne inuicem se lacessant.* breue tempus ait Paulus, quæ natura est Inducіarum. vt Varro bellorum ferias, pacem castrorum, paucorum dierum, Virgilius pacem sequestram dixit. Inuentæ quippe sunt Inducіæ, vt diximus, vt viam sternant ad pacem. de qua dum tractatur, conueniri solet, ne se inuicem lacessant. adeoque saluâ proportione ab ijs dantur, qui summum belli arbitrium habent; & ab ijs, qui belli tantùm Duces. ab illis generaliter: ab his quoad mandatis continetur, seu Imperij ratio exigit. id est, quo ad eos, quos oppugnant, aut obsident. *l. vlt. D. de legation.*

2. *Tametsi secus sæpè contrahantur.*

Cæterùm abitum sæpè est à propriori Inducіarum natura, & adsciticiæ nomini conditiones adiectæ, vt & longum durarent, & pacis magis, quàm belli cõmercia viderentur. nisi quod tempore Inducіarum exeunte status belli reuiuiscat ipso facto, iuraq; partium eo durante integra conseruentur. ita Gell. *l.* 1. *cap.* 25. Pactum Inducіarum huiusmodi est: in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur,

detur, sed ex eo die posteà, vti iam, omnia belli iure agantur. Ad tempus tamen longum porrectæ & apud veteres Induciæ. Veientes à Romulo centum annorum impetrarunt. posteà quadraginta. Liuius *l.* 2. & Isdigerdes Persa tutor Theodosij Iunioris centum item annorum pepigit. Niceph. *l.* 14. *cap.* 1. Ad has pertinent veteres Austriacorum cum Sueuis Heluetijsque Inducię, toties nunc ad duo ferè sæcula renouatæ. pertinent & solemnes Alberti Pij Belgarum Principis & Philippi Hispaniarū Regis cum Batauis Induciæ. 3.

Quibus expirantibus sine vllis fecialibus in bellum recidimus. ipsi Bataui (cùm Albertus & Philippus nihil dum mouerent) primi resuscitarunt terrâ, marique. Et mari quidem ita bellum resumpserunt, vt naues quasdam multo auro onustas, quod per speculatores didicerant aduerso vento agitatas, (quæ communi Oceani istius consuetudine diu ante Induciarum finem appellere debuissent) nondum lapsis Inducijs continuò prosecuti sint, vt iam die vltimo aduentante, in eas insilierint, & in Insulas suas hostiliter traxerint. 4. Alphenus quidem Varus *in l. Cæsar. D. de publican.* tempus primæ profectionis, non tempestatis spectandum respondit. & quamquam Grotius *lib.* 3. *de bello, cap.* 21. ita eam legem excipiat, vt non ius belli tangat (quod clariùs professisset per *l. in bello. D. de captiu.*) sed à pœna tantùm commissi liberet (quem casum disertè decidit *l. interdum. §. si propter. D. eod.*) & faueant verba *d. l. Cæsar. non videri contra legem feciſſe.* tamen huius responsi altiorem causam lex assignat; *in verb. quod iam initio euectæ cotes viderentur, cùm ex portu nauis profecta esset.* licet Grotio consentiat Bartholus, eum tamen benè reijcit Gentil. *l.* 2. *de iur. bell. cap.* 13. Bodin. *de Repub. lib.* 5. *in fin.* fatetur omnino Grotius quin tales remittere benignius, quin & generosius sit, nullam habere dubitationem. sed illos benignè nihil, generosè nihil circa aurum admittere coëgit sacra fames. 5.

Per finem Induciarū omnia in pristinum belli statum recidunt.

Vt in Belgicis accidit.

Quid in his qui tempestiuè enauigant, sed tempestate impediuntur.

Albertus quidem & Philippus publicâ legatione declararunt, quàm non bellum, sed ex Inducijs transitum in perpetuam pacem optassent. quod & sæpiùs Romanos feciſſe historiæ docent. quo ostenderent, quàm inuiti ad arma traherentur.

Sed homines turbido maris ingenio assueti maluerunt in bellum relabi, quàm experiri an Mercurius ille Philippi & Alberti nullam pacis perpetuæ, vel temporalis oliuam decerpi sineret, & interpretari vocem eius, non nisi classicum, sonuisse. malè scilicet sibi conscij ex Principum iure, quàm benignitate potiùs argumentando. sciebant malè se meritos, iura Principum per belli somnum non exercita expergefieri, exercitiumque, si velint, reuiuiscere. nam, vt diximus, per Inducias iuribus partium detractum nihil fuerat.

vt in pace perpetuum solet sanciri aliquid, quo prioribus partium iuribus vel derogetur, vel æterna interpretatio statuatur. adeoque quæ in pace solet amnestia, iniuriarumque obliuio perpetua vtrimque promitti, has inter partes in annos tantùm duodecim. *art.* 4. promissa erat.

6. *Libertas itaque vniuersarum prouinciarum in pristinũ statum relapsa est.*

Sed & libertas prouinciarum adeò declamata, quam Rex autographo sanxisset, suspirio eodem euanuit. nam cùm politici quidam, Balt. Ayala *de iur. belli. l.* 1. *c.* 6. Bodin. *l.* 1. *de Repub. cap. vlt.* Besold. *dissert. pol. de pac. cap.* 2. 3. 8. & maximè politico-hæretici negarent Principem pacto cum subditis inito teneri, sicut inter dominum & seruum ciuilis obligatio non consistit; ita persuasum illis erat, ne in pacta venirent cum Principibus, sine præuia libertatis eorum declaratione, quæ ad eum effectum, & ad cauillationem eam excludendam data est. ideoque *art.* 1. Induciarum & ea ratio, vt effectus, explicatiùs proponitur: *que les Archiducqs & le Roy sont contents de traicter auecq eux, en qualité & comme les tenants pour libres, sur les quels ils ne pretendent rien, & de faire auecq eulx, es noms & qualités susdictes vne trefue aux conditions cy apres escrites, &c.* quarum 1. *que la trefue sera pour douze ans,* quorum lapsu labuntur quæ ijs inædificata sunt. Non nescimus quosdam ambiguitate verborum istius autographi esse abusos. sed debebant illud cum his articulis conferre. non nescimus etiam ipsos Ordines vocabulum liberarum prouinciarum titulis præscripsisse. scimus tamen etiam & ipsos sermonis amphibologiam petijsse in clara verba mutari, vt simpliciùs liberi declararentur, at noluisse Principes: & cùm ea res cõpedes tractatui inijceret, Præsidem Ianninũ luculentâ oratione suasisse, ne de vocabulis litigarent: vana hæc esse, si Deus, causa, & dextera defuerint; sin adfuerint, vocabula facilè rem sequi. ita post remoras aliquot Antuerpiam reditũ, & conuentum, pactæq; Inducię in annos duodecim, sub qualitate & conditionibus propositis. *Bene Baudij diaria.* Haræus *in Principibus Belgij vniti sub Albert. ad fin.* sed & ita Grotius *de Rep. Bata. c.* 7. factas ait in duodecim annos Inducias præpositâ testatione, quâ se (Principes) pacisci eas cum Ordinibus fœderatis, vt cum liberarum nationum, ac ciuitatũ Ordinibus profitebantur.

Igitur eiusmodi Inducię in longa tempora factæ, & quæ plus habent, quàm ne interim hostes se lacessant, fœderum naturam ferè adipiscuntur. vt videtur sensisse glos. *in dict. l. postlimin.* ideoque lex amnestias extra naturam est Induciarum, & ad fœdera generatim spectat. quæ tamen glos. non rectè treugam eo nomine distinguit. nam, præter vocabuli barbariem, constat *ex cap.* 1. *x. de treuga*, breuia eam tempora complecti, & sanè propriè cessationem armo-

CAPVT XXII.

De Lytro.

1. *De statu Lytro nõstrorum militum, ne extra conflictum necentur.*

BEllum nostrum Belgicum, quo ad captiuos milites, conuentionem habet aliquid ex Inducijs redolentem, vt qui in conflictu non occiduntur, post eum seruari debeant, & stato Lytro redimi: gregarius miles, decurio, signifer menstruo, centurio maiori stipendio, &c. Olim qui non occidebantur, seruabantur; & serui fiebant, inde dicti: & ex bello post-liminium erat, ex pace non indistinctè. *l.* 12. *D. de captiu.* quod ideò placuisse Seruius scribit, quia spem reuertendi ciuibus in virtute bellica magis, quàm in pace Romani esse voluerunt. *dict. l.* 12. quibus capropter, ea militiæ pacta non placuissent. emolliunt animos militares, eneruant audaciam, & qui numero victos se vident dum commeant, vti victi ferè & victores ponunt aut sumunt arma, quasi aleæ sententia damnati ludere par impar.

2. *Quod disciplina Romana non admisisset.*

3. *Sed & ea nonnihil rigida animus.*

Non tamen Romanus rigor omnino probari potest. de quo Liuius *lib.* 22. *nulli ciuitati viliores captiui quàm nostræ.* quod verum adeò fuit vt & negligerent suos, & fædam ferè redemptionem haberent, & à se captos ludibrijs maioribus, quàm aliæ gentes afficerent. neque tamen vetita generatim fuit redemptio. sed octo milia, quæ cladi Cannensi superfuerant Populus Rom. redimi vetuit. exemplo singulari. quæ res animum Annibalis etiam omnino fregit. quin & facultatem redeundi præbet redemptio, nec ius post-liminij mutat. *l.* 15. 20. 21. *&c. D. de captiu.* voluit tamen Extrau. Constitut. 40. *Leonis, vt captiui testamenti factionem habeant,* & 36. *vt captiui filius hæres sit.*

4. *Lytrum pluribus deberi & pluries potest.*

Et pluribus quidem lytrum, quod diximus, deberi potest, si pluries ijdem capiantur. solent tamen capti, si velint, fide publicâ deduci ad suos vsque, tubicine aut tympanistâ comitante, aut litteris publicis muniri.

5. *Nec rescindit pacta super eo conuenta, quod captiuus inueniatur ditior.*

Cum de lytro conuenit, & si hostium opinione captiuus ditior fuerit, non rescinditur pactio. tum quia iure gentium non tenetur quis supplere, quod minùs æquo pretio promisit, tũ quia homo & libertas non æstimantur pretio; nec huius proportionem capiunt. Pro dimissione pretium soluitur. ideoque quamuis de pretio sit conuentum, solutionemque mors præuenerit, non debebitur: si ta-

armorum, quam nunc vocamus, denotare. sed delectamur hodie res alias alijs nominibus obtegere. Effectus tamen breuiorum longiorumque induciarum idem est, vt ijs lapsis res in pristinum belli statum redeant: perinde vt qui in duello pugnant, respirant, anhelitumque resumunt, si non interim colloquio controuersię sopiri potuerint.

Obligant Inducię mox contrahentes: subditos autem à tempore notitię. qui si quid ante notitiam contra eas egerint, impunè quidem egerint; sed Principes captiuos, & res ablatas restitui iubebunt. Tempus si continuum adscriptum sit, de momento currit in momentum: si certus terminus, etiam dies termini comprehensus erit. Terminus apud Aristotelem, vltimum cuiusque est & pars rei. *l si quis. D. de verbor. signification.* Grotius *lib. 3. cap. 21. num. 4. & 5.* 7. *A quo tempore obligant inducię?*

Per Inducias ire, redire licet, commercari, colludere, reficere mœnia, militem conscribere, derelicta occupare, non præsidijs nudata dumtaxat. vti enim quisque ante Inducias possedit, ita in ijs posidere pergit, ideoque ijs durantibus post-liminiò nihil recipitur. *d. l. post-limin.* vt in pace, *l. in bello ibidem.* nisi secus conuenerit. vt in Belgicis nostris Inducijs; per quas res omnes veteribus dominis restituebantur: additâ etiam alienandi facultate. 8. *Quæ per eas liceant?*

Quòd si etiam in rem finemvè certum Inducię pactæ sint, circumscripta earum natura non patitur extensionem, etiam ad ea quæ alioquin natura inessent: v. g. sepeliendorum corporum Inducię datæ sint; ire aut commeare non licet, quod alioquin per communes Inducias licet. similiter si obsessi de deditione agant, Inducię datæ ne oppugnentur, non eis permittunt auxilia intromittere, nouas machinas struere, seu aliàs conditionem obsidentis per nomen Induciarum deteriorem facere. Si cautum rebus sit, non personis; aut contrà personis, non rebus; de his ad illas pactio non extenditur. si tamen rem prædari alter voluerit, alter defendere citra Induciarum violationem poterit. 9. *In rem finemq; certum contractæ?*

Si fides Induciarum rumpatur, prout de pace & fœderibus diximus, pars altera fide exsoluitur. Decius *cons.* 131. Gentil. *l. 2. de bell.* generosiùs tamen aliquid patitur, & in finem differt. vt religiosè Albertus nõ tantùm, sed & scrupulosè Induciarum fidem seruauit. Priuatorum insolentia publicam fidem non lædit. Decius *cons.* 667. si modò qui publicè præsunt, nec mandent, nec probent diserte aut tacitè, non puniendo vel dedendo, ac res ablatas reddendo. sed sociorum violatio socios inuoluit. Gentil. *lib. 2.* 10. *Quorum earum fides fallatur?*

tamen dimissio facta est, sed persona liberè retenta, pignoris vice, donec pretium solueretur; debebitur: quamuis mors reditum ad suos impedierit. quòd si quis dimissus fuerit eo pacto, vt alium in vicem dimitti curaret, si alter illo curante dimissus fuerit, quamuis mors reditum interuerterit, promisso satisfactum erit. sin ante dimisionem mors obuenerit, non quidem alter in carcerem redire iudicio Grotij tenebitur, fauore libertatis, & quia per eum non steterit, sed neque lucri-faciet libertatem suam: lytrum militibus statutum, vel pro digno arbitrio persoluet. 6. *Quòd si captiuus moriatur?*

Capti etsi serui hodie apud nos non fiant, bonis tamen quæ habent spoliantur; si quid tamen eorum victor non apprehenderit, suum non facit, ideoque captus si penes se pecuniam, vniones, aliaque pretiosa clam hoste retinuerit; postquam de pretio erit conuentum, hæc ipsa, vt dominus in solutum dare potest. non enim apprehendit hostis, quæ nesciuit. *l. possidere. §. ne rup. D. de acquirenda possess.* 7. *Non capti hodie, sed captiuorũ bona inter Christianos fiunt capientiũ.*

CAPVT XXIII.

De Commeatu.

COmmeandi ius extra Inducias etiam priuilegiarijs litteris concedi solet. quod Grotius *de bell. lib. 3. cap. 21. num. 14.* laxè intra verborum proprietatem, & vt vndequaque voluntatis coniectura seruetur, absurditate euitatâ accipiendum tradit. vt nomine militum centurio etiam, & tribunus veniat. cui ire permissum sit, redire liceat. & si non redire, cui datum abire: non mittere, cui concessum venire. nec huic nisi semel. nec cum familia. quia cum ea moramur, non peregrinamur. excepto famulitio (& si vsus seruet contrarium: quia saluus conductus impetratur numeratis in quælibet capita nummis.) ijsque bonis, quibus decenter non potest carere. comitatu item permisso, non eos comprehensos, quorum causa magis est odiosa, eandemque securitatem, neque territorio concedentis terminari, neque vitâ: nisi additum fuerit; *quamdiu voluerit.* velle desinit, qui viuere. 1. *Ius commeandi, & saluus conductus latè interpretandus.*

CA-

CAPVT XXIV.

De Neutralitate.

1. *Neutrales & bello medij.*

INter eos qui bello medij sunt & neutrarum partium studijs addicti, numerantur apud nos ij, qui fines, rura, villas, atque oppida muris non cincta habitant, quò vtriusque exercitus milites excurrunt innoxij; cùm enim pars neutra ab alterius iniurijs sic habitantes tutari possit, ipsi vtrique tributum soluunt: quo velut vtriusque subditos se profitentur, seu velut perpetuum lytrum in menses persoluunt: quo vtriusque hostilitatem vitent. sed ferè pro lytro accipitur ab ijs, qui territorij sui metropolim respiciunt, quam hostis possidet: vectigal ab ijs, quorum metropolis in ditione est, & potestate accipientis. & ferè eò in ius vocantur. quamquam vtriusque partis imperijs parere debeant. & hæc ratio magis hîc post Inducias, quàm ante eas vsurpatae st. quod in harum pactione conuentum esset, vt pagi, viciique ciuitatem sequerentur à qua dependerent. quæ agendi ratio postquam ea pacta desierunt, vsurpata est magis, quàm lege aliquâ seu pacto obsignato inducta.

2. *Vbi quid de fisco.*

Successit post Inducias his locis aliud beneficium, vt prædia in huiusmodi pagis sita à fiscali vindicta eximantur. quamuis eorum domini cuiuscumque qualitatis apud hostes sint. ipsi porrò eorum locorum incolæ hæredes esse, & scribere hæredes possunt apud nos simul & hostes, nobiscum conuersari, & cum hoste, hostilia loca visere, & nostra extra reatum est.

3. *Ne quid ab his tamen hostile fiat.*

Sub ea tamen semper cautione ne quis quippiam faciat, prodat, consulat quod hosti commodet; nobis incommodet. quod re aut proposito hostile videatur. quale non interpretantur si frumentum, annonam in vrbem suam quisque vehat, & vicissim quæ sibi necessaria sunt ipsi comparet. In obsessam tamen vrbem nihil permissum inuehere, neque in exercitum obsidentem. quod hoc ad vim inferendam, vel pellendam proficiat. quæ res magno stetit Regi, cùm nuper Bredam obsideret, & nouem horatum spatijs à proxima vrbe abesset exercitus, neque vlli inter-mediorum locorum incolæ quippiam liceret in exercitum subuehere, nisi posterâ nocte lares suos Vulcano sacratos videre vellet. Id enim omne hostile habebatur, quod exercitui Regio commodaret: vt *apud Liu.* T. Quintius; *Quibus enim rebus amicitia violatur? nempe his maximè duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si hostibus te coniungas.* & apud Demo-

Demosthenem : *Qui ea facit, & machinatur, quibus ego capi possim, etiamsi nec feriat, nec iaculum emittat, hostis mihi est.*

Extra expeditionem si miles commeet, incolæ ea vtrique exhibere tenentur, quæ alibi iure exiguntur extra apparatum belli : parent enim Imperijs vtriusque. quo nomine ab eis differunt qui sub ditione neutrius sunt. nam hi cùm pacati sunt, nihil tribuunt nisi pretio soluto. sic Moyses promisit Idumæo ; *Non ibimus per agros, nec per vineas ; non bibemus aquas de puteis tuis : sed gradiemur viâ publicâ : dabimus quod iustum est, nulla erit in pretio difficultas, tantùm velociter transeamus.* transitum qui petit, innoxium præstare debet. vt Deacyllides apud Xenophontem, ita vt nullo detrimento socij afficerentur. Sulla apud Velleium cum quiete, cum singulari cura frugum, agrorum, vrbium, hominũ: Pompeius apud Tulliũ, vt non modò manus tanti exercitus, sed nec vestigium cuiquã pacato nocuisse diceretur. Germanicus *apud Frontinũ.* cùm in finibus Vbiorum castella poneret, pro fructibus eorum locorum, quæ vallo comprehendebat, pretiũ solui iusserit. quin Gothi, Hunni, Alani, qui Theodosio merebant, *apud Panegyrist.* vt nullus tumultus, nulla confusio, nulla direptio à barbaris esset. Aberant hæc ab illis barbaris : quis neget abesse posse à milite nostro, si fuerint ipsi, & qui ducunt illos, illis duobus similes? Si fieri hæc possint, neque fiant ; sed prouincialibus socijsque damna ducum negligentiâ, fraudatis stipendijs inferuntur, quot illi capitibus, si non legis Aquiliæ, quâ solutos se putant, damnabuntur ad restauranda damna lege æternâ, quæ nullos non stringit?

4. *Vtriq; militi necessaria suppeditent.*

5. *Quod non faciunt non subduti.*

6. *Sed innoxium trãsitum & hospitiũ præbent, neque aliud exigi potest.*

Igitur ijs, qui bello medij sunt, competit vtrique ea officia præstare, quæ humanitatis sunt, neutri vllum quod bellico apparatui seruiat ; transitum vtrique dare, annonam vendere, neutri obsesso, aut obsidenti vllatenus prodesse.

7. *Non quidpiam quod ad bellicum apparatum pertineat.*

CAPVT XXV.

De Pace.

AB Inducijs, si quâ fieri potest, ad pacem eundum est. *Suscipiant montes pacem, & colles iustitiam.* peccare diximus qui implacabiles belli animos gerunt. adeoque qui, cùm æquas pacis conditiones obtinere possint, bellum malunt. quod ob id ex iusto fit iniquum. nihil est vel in decernendo, vel in gerendo, vel in finiendo bello, quod ad iustitiæ libripendem non pertineat. si quod debeatur repetenti negatur, bellum iustum est; si cùm quod debetur offer-

1. *Ab Inducijs ad pacem eundum.*

offertur, non sistatur; *vt suprà latiùs diximus*, bellum iniustum est.

2. *Iustum id atque æquum.*

Omitto æquitatem numquam in bello decernendo, gerendo, finiendo satis laudatam, quæ à magnis Principibus, à prudentibus Ducibus & grauibus Senatoribus extra iustitiæ debitum solet exhiberi. quâ non corpora, sed animi hostium vincuntur. quâ quos sol oriens vidit hostes; occidens ciues, socios, amicos, clientes vidit. Omitto temperamenta circa ius interficiendi in bello iusto, circa vastationem, & similia, circa captas res, circa personas, circa acquisitionem Imperij, circa ea quæ iure gentium postliminio carent. quæ Grotius *de bello. lib.* 3. c. 11. 12. 13. 14. 15. 16. præclarè exequitur.

3. *Consultumq; ne desperatio noxiora consilia suggerat.*

Quibus æqua negantur, aliò respiciunt; porrigunt alijs preces; dedunt se in clientelam; & quamuis duram potiùs conditionem capiunt quam herbam porrigant crudeli & inexorabili victori. *Flectere si nequeant Superos, Acheronta mouebunt.* Campani iniquitate vicinorum acti, Romanis se dediderunt, quorum auspicijs hostes deleti. Florentini Regem Neapolitanum contra Castrucium implorarunt, atque in vrbem receperunt: Senenses ab eo attriti deinde sunt. Extrema tentant, quibus moderata negantur. nescimus quæ nostræ, quæ aduersariorum sint vires, nisi cùm extrema experimur. Veneti à Francisco Duce Mediolanensi, vt ferè deësset nuncius, victi intra triduum exercitum repararunt, Duce Venetorum projiciente pecuniam omnem suam in medium, reliquis eius exemplum secutis, mox militem promptum ita habuerunt, vt Mediolanensis ipse pacem posceret. Pompeio in Hispania victo, Italiâ pulso, in Pharsalicis iterum victo, in Ægyptum profecto, bellum pluribus locis iterum reuixit, & nisi Sextus Pompeius filius fidei plus tribuisset, quàm occasioni, poterat extinxisse hostem. peccauit tamen Pompeius, & peccauit Cæsar, quòd neuter vel æquas dare, vel accipere conditiones voluerunt. magis tamen Cæsar, qui regnum sub nomine Imperij seu perpetuæ Dictaturæ affectabat, quàm Pompeius; qui id agebat, ne quis ei par in Rep. videretur; Senatus tamen populique nomine, & auctoritate retentâ. habebat Cæsar exercitum decem annis in Gallia probatum: Pompeius præter infinitam populi multitudinem, omnes optimates: vt quoties deliberatio esset instituenda, Senatus ipse omnis interesse videretur. sed veterana manus multitudinem excusit, fato & fortunâ lapsam. Monuerat olim Sylla, *Cauerent malè cinctum iuuenem.* Accidit cæteris, quod de se Cicero inquit, *Præcinctura me fefellit.* & Porus Alexandro: *Noueram vires meas, nondum expertus tuas.* lethale in bello, sed non insolens, *non putaram.* multis à nimia fiducia è manu victoria excussa est.

Ni-

Nimia fiducia facit, vt æquæ etiã conditiones diſpliceant. magnum in Ducibus vitium, atque æqualis cum animi abiectione periculi, ſi non maioris. Fælices quos ſpiritus fortunę non adeò inflant, quin æquæ paci ſe ſubmittant: neque adeo vno fortunæ ictu conſternantur, quin meliora ſperent: omni vi, arte, vigilantiâ annitantur, vt victoriæ fructum victori corrumpant, & quocumque nouo ſtratagemate (minimè enim, vt ait ille, *bellum ex decreto geri poteſt*) gradum faciant ad æquas pacis conditiones. 4. *Nimia ſui fiducia nociua, maximè in reſpuenda pace.*

Quæ æquitas non ex vno prelio aut pluribus, ſed à re ipſa, omnibuſque quæ euenire poſſunt, circumſcribenda eſt. vidimus plures Principes & Reſp. cùm certum eſſet vtrimque pacem appetere, in plures annos non à conuentione dumtaxat, ſed etiam à colloquio diſtractos fuiſſe, ſingula tantũ fortunæ nunc aduerſę, nunc ſecundę, non ſimul omnia, quæ ſuccedere poſſint, momenta ponderantes. Victus ſi pacem petat, non niſi iniquam obtinet: victor ſi iniquas leges pręſcribit, victum abigit, aliò adigit. victor ſi cogitet ſe vinci poſſe, æquas dabit, æquas accipiet. cùm ęquæ eſſe poſſunt, victori expedit: victo neceſſe eſt accipere. Imò Pet. Forel *ex Ludou. Montalt. in c. charitas ad conſtitut. Neap.* Principi ait pacis negligenti dandum eſſe curatorem, qui negligentiam ſuppleat, & ditionum ſalutem procuret, *iuxta caſum c. 2. de ſupp. negl. in 6.* cùm enim tranquillitate Imperij omnis ſalus conquieſcat; *§. 1. quomodo in maieſt. crim. in Extrauagant.* ſalutem Reipubl. quę ſuprema lex eſt, negligat, atque contemnat oportet, qui pacem. *Tantum eſt*, ait Auguſt. *lib. 19 de ciuit. c. 11. 12. pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò poſſit melius inueniri.* & infrà, *ſicut nemo eſt qui gaudere nolit, quandoquidem & ipſi qui bella volunt nihil aliud quàm vincere volunt: ad glorioſam ergo pacem bellando volunt peruenire. nam quid eſt aliud victoria, niſi ſubiectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur bella ab his etiam qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando, atque pugnando. vnde pacem conſtat eſſe belli optabilem finem.* 5. *Quam qui negligit, publicam ſalutem negligit.*

CAPVT XXVI.

De Pacis violatoribus.

1. *Pacis infractoribus nulla pœna satis digna.*

PRoinde compositam pacem violare, atque tranquillitatem publicã turbare, omniaque rursum susque deque mouere, grauissimum est scelus. cetera flagitia vel solos ipsos committentes maculant, vel & alterum criminis sociũ, hoc vniuersam Remp. peruadit, summo pacis bono spoliat, omnibus belli malis aspergit. Igitur magnitudine summũ est; neq; vlla pœna satis par. vnũ furtũ laqueo, homicidiũ gladio iustè punitur, quot mortes debentur ei, qui tot furtorum, tot homicidiorũ myriades inducit? toties sanè mori dignus, quoties vnũ crimen morte dignũ admissum est. Nulla ergo pœna est, quæ piaculum hoc satis queat expiare. non laqueus, non gladius, non ignis. nulla iterum satis accurata cura, quæ à Rep. tantum malum auerruncetur, nulla satis diligens diligentia, quâ cancer ille auertatur. adeoque rectè Fredericus ait nihil

2. *Nihil æquè ad Principẽ spectat atq; illius cura.*

æquè ad Principes pertinere quàm studium concordiæ. Imperialem decere solertiam *ita Imperij curam gerere, & subditorum commoda inuestigare, vt Imperij vtilitas incorrupta consistat, & singulorum status illæsus seruetur c. 1. de prohibita feudi alienat. per Frederic. c. 1. de pac. ten. §. 1. in princ. Auth. de hered. & falcid. §. 1. Auth. de Armis.* & Augustus: *Salutem Reip. tueri nulli magis conuenit, quàm Cæsari. l. nam salut. D. de off. prefect. vigil.* ideoque huic rei tum posterioris æui scriptæ leges, *de pace tenenda, & eius violatoribus, de pace Constantiæ, de pace tenenda inter subditos & iur. firmand. & tit. ff. & C. ad l. Iul. de vi publ. item ad leg. Iul. Maiest. item tit. quomodo in læs. Maiest. crim. proced. item tit. qui sunt rebelles. & tit. C. de seditiosis & iis quis plebem audent contra Rep. colligere.*

3. *Inde constitutiones imperij, bannum, mandata de non offendendo.*

Sed & postremò exactissimè cautum est in Imperio Germanico, vt per Constitutiones de pace publica editas, Ordinibus Imperij consentientibus à Maximiliano I. Carol. V. Ferdinando I. Maximiliano II. &c. quibus tamen publicã turbantibus armatâ manu hominibus coactis bannum imperiale irrogatur. id est, vitæ necisque arbitrium datur cuilibet in pacis violatores, vt impunè ab omnibus occidi possint. vt prolixiùs eędem constitutiones complectuntur. & Andreas Gail *duobus de*

Pace

pub. libris exequitur. vnde in Camera Imperij contra omnes cuiuscumque ordinis status, Ecclesiasticos, & seculares, Principes, Duces, Respub. ciuitates, magnates, priuatos in promptu semper habentur mandata de non offendendo, si cui minæ, iustus metus, armorum terror, vis ipsa armata inferatur, etiam pro dominis qui subditos habent immorigeros, & seruile bellum minitantes, etiam contra dominos vltra iurisdictionis potestatem in subditos sęuientes: quorum crudelitas comminatione pœnæ pecuniariæ, indignationis, amissionis iurisdictionis, & feudi, banni deniqué coërceri solet.

Nec minus in promptu sunt mandata auocatoria. quibus sicubi militis delectus habetur, sine clausula iustificatoria *sub pœna banni & amißionis beneficiorum, priuilegiorum*, tum duci, tum cuilibet militi mandatur, vt actutum militiam eiusmodi deserant: si mandato insinuato non obtemperetur, ad pœnas comminatas proceditur. atque interim vim vi repelli permittitur, implorato vicinorum Principum, & prouincię Præsidum auxilio. sine clausula, inquam, iustificatoria. quia militum delectus nullo colore excusari potest, citra iussum Supremi Principis factus. quali causa inaudita parte absolutum pręceptum fieri potest. vt & semper si iustus subsit armorum timor, si res spectet ad seditionem, ad publicum scandalum, si publicam vtilitatem, pacem concernat damnumque irreparabile. Gail *vbi suprà c. 2. n. 45.* atque hęc publicæ pacis turbatio adeò religiosè vindicatur, vt conatus pro effectu sit, vt sufficiat terror armorum. *l. qui dolo. .final. D. ad l. Iul. de vipub.* sufficiat cum telo fuisse, etsi nemo occisus sit. *l. aut fact. §. euentus. D. de pœn. l. is qui cum telo ad l. Cornel. de sicar.* Gail *cap* 15. Quæ tamen ita interpreteris, vt siquis liquidò sciat sibi malum coqui, mox Principem suum certiorem reddere teneatur; ipse tamen interim quæ ad defensionem suam necessaria sunt, maturè parare, & in promptu habere possit, atque vim vi propulsare. Ita tamen vt non excedat limites inculpatæ tutelæ. vt diximus suprà bellum cuiuis licitum esse sine præuia iniuria defensuum.

4. *Auocatoria.*

CAPVT XXVII.

De Repræsaliis.

1. *Pignorationes vetitæ.*

RECTÈ Imperator Zeno æquitati naturali contrarium dixit, vt pro alienis debitis alij molestentur, constituitque vt nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis teneatur. *l. vnic. C. vt nul. ex vican. l.* 11. & Iustinian. pignorationes inhibuit. *Nouel.* 52. & 134. Pari causâ vetitum ne vxor pro marito, ne pater pro filio, ne vice versâ conueniantur, *C. Ne vxor pro marito & seq. tit.* ne quod vna debet possessio, ab altera exigatur. *l. nullam. C. de execut. & exact. l.* 12. ne quod vniuersitas à singulis. *l. sicut. §.* 1. *D. quod cuiusque vniuers.* atque hæc quidem naturę & Romano iure. cùm terminus erat vrbis idem & orbis, & in foro eodem ius actor consequi poterat, aut Imperatori supplicare. Cæterùm postquam Romanum Imperium à plerisque populis excussum est, qui imposuerunt sibi singuli diademata, vt pueri & optimates Alexandri post mortem eius regno diuiso, necessitas, quod illicitum antea fuerat, rebus mutatis pro remedio inuexit. vt cùm ciui alibi denegatur Iustitia, literę marcæ, seu repræsaliæ concedantur, quarum executione debitum consequatur.

2. *Hodie diuiso adeo Imperio denegata iustitia concedantur.*

3. *In iis tamẽ concedendis quæ prærequirantur?*

Sed quoniam, vt diximus, non facilè in bellum descendendum est, ita neque ad ea remedia quæ bellum olent, adeoque antequam repræsalia admittantur, tria admodum prærequiri traditum est: vt scilicet & iusta causa subsit: deinde vt qui repræsalias permittit, Principem alium non habeat, qui ei imperet: tertiò, vt à Magistratu & Principe eius, qui damnũ iniuriâ dedit, ritè petitum sit, vt damni reparatio mandaretur, petitioque neglecta. si causa desit legitima, concessio quæ innititur, stabilis esse non potest. *l. cum vera. §. subtentum. D. de fidei commissariis libertat. l.* 1. *§. hæc verba. D. ne vis fiat ei.*

Dare etiam bellica remedia non potest, cui ius bellandi non est. neque enim omnibus bellare fas est. *c. Dominus noster.* 23. *q.* 2. Non est autem ei fas, qui alium Principem habet, *vt suprà diximus.*

Denique non sunt repræsaliæ intentandæ, nisi cùm aditus rei Magistratus fuerit, & Princeps Supremus. Vt & vix aliter

aliter bellum ritè infertur quantisper supereſt, qui ius dicere possit, & velit. quod ferè sensit Bartholus *in tract. repres. atque alij alibi*. Cæterùm non amarè id accipiendum est, vt exempli gratiâ voluêre quidam non ritè repræsalias dari contra Ducem Sabaudiæ, nisi & Imperator sit aditus, quem recognoscat, & cuius in Italia sit vicarius: sed communi more, modoque loquendi sumendum id est, vt eos pro Principibus Supremis habeamus, qui pro talibus se gerunt, seu ex concessione Imperij, seu ex dissimulatione Imperatoris, seu antiqua præscriptione & possessione, seu vsurpatione notoria. cui quantisper ipsi Imperatores cedunt, tantisper etiam alij deferre possunt. præsertim quibus (vt iam olim Brabantis nostris) concessum, est vt non appellentur ad Imperatorem; ne quidem in causa factę pacis, aut negatæ iustitię, qui consequenter suo arbitrio relicti sunt, nec opus est alio recursu, vt contra eos repræsaliæ ritè obtineantur, sicut & bellum iis indici, & ab eis geri potest. Si enim de negata iustitia, vel de fracta pace compellari non possint; cui fini, cui bono ille adibitur?

Igitur causa requiritur, & grauis quidem admodum. neque enim ob vulnusculum, quod leuiter curari potest, vrendum est, & secandum; sed desperatâ omni aliâ demum medicinâ. neque locus est extraordinario remedio cùm supereſt ordinariũ. & ferè res eò reducitur, vt siue ex contractu, siue ex delicto debeatur, non aliter causa sufficiat, quàm si querelâ post cæteros Magistratus ad Principem debitoris delatâ, ius ille dicere præfractè negauerit, vel malignè distulerit. Vtroque enim modo ipse se populumque obstringit, qui iustitiæ non satisfacit; vt traditum est de Iudice pluribus ex causis litem suam faciente. Cęterùm vt dilatio pro recusatione accipi possit, non requiritur tantùm, vt Iudex compelletur instanter, instantiùs, instantissimè, vt Pragmatici loquuntur, sed etiam vt de debito vel delicto constet: nec minus de frequenti interpellatione, contumacia, seu maligna tergiuersatione aditi Iudicis, & Principis. Hæc enim fundamenta sunt petendarum repræsaliarum, quæ & condemnationem secum trahunt, & exęcutionem. ad quarum neutram Iudex procedere potest, si non liquet. quin imò qui rectiùs agunt, litteras Marcę concedere non solent, nisi priùs ipsi ad Principem, populumque scripserint, vt ciui suo creditori fieri satis curent, solutione eius quod debetur, aut puni-

tione reorum; ad eum modum, quo bellum inferri ritè non possit, nisi repetitis antè per feciales rebus ablatis.

Et quidem Ciuis fecimus mentionem non vt excludamus incolam fixum domicilium habentem, publicaq; onera subeuntem, sed vt forensem. cuius querimonia non adeò populum Principemvè tangit, vt ob eum populo Principivè alteri quasi bellum inferre congruat. *Quid mihi*, inquit D. Paulus, *de his qui foris sunt iudicare?*

4. *Odiosæ repressaliæ restringendæ & quos non comprehendant.*

Porrò repręsâliarum interpretatio restringenda est, vt eos non comprehendat, de quibus specialiter Concedens noluisset intelligi. Nõ ergo contra Nuntios, Oratores, Legatos eius populi, contra quem sunt concessæ, non contra personam, aut bona vxoris ciui nubentis, non contra eum ciuem, qui vtroque loco habitet, non contra clericos, scholares, mulieres, rusticos, alioſque qui etiam belli iniuriis eximuntur: non contra euntes ad nundinas, dum sunt in territorio Concedentis; non contra eos, qui ius commeatus habent & saluũ conductum regium. quod etsi Papon. *Arrest. l. 5. tit. 3. arr. 2.* in Parlamento Paris. controuersum fuisse referat, fatetur tamen Regem ipsum aditum pro authoritate commeatuum, & saluorum conductuum ita declaratum voluisse. Non iterum comprehendat Romipetas, qui sub protectione sunt Sedis Apostolicæ, alioſque peregrinos votiuos; non eos, qui vi tempestatum in aliquem locum compulsi sunt, non qui in ius vocari non possunt.

5. *Et earum executio intra territorium concedentis coercendæ.*

Sed & hoc caueri solet, vt executio repræsaliarum contineatur intra territorium Concedentis, ne in bellum generale aliâs erumpat duellum particulare. qui tamen Oceano alluuntur solent liberiùs vagari. & quamuis eius & maria dicantur cuius est continens, tamen non est Oceani tam stricta ratio, neque tam certus dominatus, quin naues abducat vbicumque, dummodo non in statione & portu, repertas, qui est potentior.

6. *Tam in executione, quàm concessione ritè procedendum.*

Quantũ autẽ fieri potest, formã iuris, tum in decernendo repræsalias, causæ agnitione præuiâ, tum in exequendo adhibere oportet. ideoque personas captas non priuato carcere coërcere licet; rebus porrò captis non vt propriis vti, & abuti; sed sub hasta Prætoris vendere oportet: & quantum per huiusmodi rerum naturam licet rerum iudicatarum solemnia obseruare. qui secus faxit, ad ea damna tenetur, quę ob iuris formam neglectam accidunt. sed magis ille ad omnia, cuius

ob

ob delictum vel debitum ad hæc extrema ventum erit. *Qua de repræsaliarum materia videri potest Bartholus in tract. sub eo nomine edito, aliique Doctores qui copioso indice citantur à Tusco V. repræsaliæ concl.* 194 195..196.197.198 199.200.201. *Gail. de pignorat. de Arrest.*

CAPVT XXVIII.

De Legatis.

POst Bellum ad Notas summi Imperij redimus, quæ iam supererant, ac inprimis necessarios bello finiendo Legatos. quornm tum ea in re, tum aliis summa oportunitas, summa quandoque necessitas. quia Respublicas ac ciuitates per naturam conuenire est impossibile; Principes rarò consultum. sæpè qui amici conuenere, in simultates discesserunt. inimicos conuenire summum vndique periculum. Pyrrho Romam venire petenti non est permissum pacis componendę causam proponere. Itaque Legatorum munus summè necessariũ, qui eas personas referendo, agere possint, quod incumbat. vt in aliis respondit Vlpianus *in l.* 1. *D. de procurat.* 1. *Eorum opportunitas, necessitas.*

Nam qui liberam Legationem obtinent, non publicorum negotiorum causâ, sed quò res suas eo titulo commendabiliores faciant, huc non pertinent, ideoque nec Reip. causâ abesse censentur. *l.* 14. *D. de legation.* Nec illi, qui quasi per beneficium relegantur, vt M. Cato in Cyprum. quæ amandatio Athenienſium ostracismo similis est, & apud Hispanos hodie frequens. 2. *Libera Legatio, non priuilegiata.*

Legés XII. tabularum sanciunt, *Rei suæ ergò ne quis Legatus esto.* alienâ erga curâ seu populi seu Principis absoluti, & apud absolutum is est, de quo hîc agimus. non Legatus prouincialis ad suum Principem. *de quo non parum in tit. D. & C. de legationib.* non Deputatus ciuitatum, non Commissarius Principis ad subditos, sed is demum intelligitur, qui à Supremo Principe aut populo sui iuris ad alium Supremum solemniter mittitur. sed neque agentes, aut residentes, qui dignitate & vocabulo differunt, quamuis tamen in negotiis agendis præscriptis fere Legatorum continentur. Sunt & qui negotia secreta tractent inter summos, sed occultè missi, eoque Legati nomen non vendicant. vt nec obsides, qui fidei ergò dantur. 3. *Olim vetita.* 4. *Legati propriè supremi Principis ad supremum.*

5. Caduceatores porrò, & quos hodie Heraltos vocamus, ad indicenda bella, & quę eò referuntur, veteres feciales imitantur. in minoribus tubicinũ, & tympaniſtarum operâ vtimur. qui tamen & inuiolabiles habentur; ſicut Caduceatores ſancti, gramen, & verbenam præferentes, *l. 8. D. de rerum diuiſ.* quare nec laudatum ſcio dolum illorum militum, qui ſublato in formam tympani vaſe cereuiſiario, & pro tympaniſtis eminus habiti, hoſti non parũ incommodarunt; abuſi teſſerâ fidei gentium publicæ.

Cæteri tamen etiam inuiolabiles.

6. Olim Legati non aſſidui erant, vt ferè hodie, ſed in vnum negotium miſſi. Hodie qui perpetui ſunt generaliter in mandatis habent, curare quidquid ex re legantis fuerit. Nec huiuſmodi perpetuis Legatis obſtat *l. 4. C. de commerciis* quia non de Legatis loquitur, ſed mercatoribus, qui eos comitantur, & Legationis ſpecie abutuntur, in locis vbi Romanos inter & Perſas commercia erant vetita, ne qui alieni regni arcana ſcrutarentur. ſed vt vt hæc ſint, hodie vſu omnium gentium perpetui Legati recepti ſunt.

Aſſidui.

7. Legationum cauſæ variæ ſunt: belli, pacis, inducіarum, fœderum, auxiliorum poſcendorum, commeatuum, tranſitus, conſiliorum hoſtilium noſcendorum, aliorumque ſupremorum negotiorum, conſolationis, & congratulationis. cuius veſtigium in *l. 35. D. quibus ex cauſis maiores.* & Iuſtinianus Romam Legatos cum muneribus miſit, qui Pontificem ſalutarent, & beato Petro munera offerrent, *l. nos reddentes C. de ſumma Trinitat.* plenæ ſunt ſacræ, & profanæ, veteres, atque hodiernæ hiſtoriæ variis variarum cauſarum exemplis.

Legationũ cauſæ.

8. Conſtat ergo Legatos rigidè loquendo mittere ſolùm eos, qui ſummam poteſtatem habent, & eoſdem recipere. Victor ferè vetat, ne quò victi Legatos mittant: ad ſe miſſos non niſi ab illo viſos dimittant. ſic egit fere Scipio cum Carthaginenſibus poſt victum Hannibalem. Caduceatores Perſei ſunt retenti à P. Æmilio, cùm ille iam victus eſſet. Plura alia paſſim extant.

Legati abſoluti.

Bataui non parum, nec vno loco laborarunt, vt quos mittebant Legatorum (Ambaſſatorum) nomine reciperentur. Italiæ, Germanię, Principes multi, Hanſeaticæ ciuitates, aliique Ordines ac Prouincię, ius Legationis, quod ex rigore non obtinerent, Imperatoris patientiâ, atque immemorabili poſſeſſione vſurparunt; vt poſſeſſionem interuertere hodie non oporteat.

Qui

Qui jura belli non habent, vt pyratę & prædones, iis Legatorum ius non est: neque rebellibus, & bannitis *l.21.§.1. D. de capt. & postliminiò reuers.* quia rebelles delinquendo hoc Ius acquirere non possunt, nec banniti: quamuis quo ad pœnam & hostiliter tractari possint, nec minus prædones priuati habeantur. *l.13. in princip. D. de offic. præ.* quibus etiam priuati vim inferre possunt, *tot. tit. C. Quando liceat vnicuiq; sine Iudice se vindicare.* vnde multos legas malè habitos à talibus missos, quamuis Legatorum nomen obtendentes. 9. *Legatorum ius non habent, quæ non habent belli.*

Qui sub censura sunt banni Ecclesiastici à Religiosis Principibus, si Legatos mittant, non recipiuntur: quoniam eorum colloquio interdictum est. sed tamen & pyratæ, & rebelles, & banniti, si agentes, deputatos, seu quocumque nomine missos destinarunt, ne violentur publicè interest. Admisit latronum Legatos Alexander *apud Curt. l.7.* fugitiuorum Cæsar, *l.3. de bello ciuili.* Carolus V. Imperator Heraldum Protestantiũ *apud Sleydan. l.7. de ciuili.* Mitti autem non possunt qui Ius postulandi non habent. *l. sciendum. D. de Legat.* si enim in priuatis id receptum, magis decet in publicis. adeoque & fœminas à publico hoc officio honestas excludit. *l.2. D. de Reg. Iur.* Missæ tamen à Romanis mulieres raptæ ad Sabinos: mater, & vxor ad Coriolanum: matronæ Romanæ ad Constantium Imperatorem pro restitutione Liberij PP. & sæpè virgines vestales: ad Imperatorem Henricum IV. Agnes Imperatrix eius mater à Gregorio PP. 10. *Rectiùs tamen non violantur.*

Ergo viri probi, neque infimi, sed eximij, nobilitate, doctrinâ, Magistratibus gestis, rerum experientiâ, etiam titulis ob causam Legationis donati, circumspecti, validi consiliis, gratiâ, & authoritate, idonei in negotiis, de quibus agendum; sed neque suspecti: quia qui cum his agunt, dum omnia tuta timent, rarò quidpiam feliciter peragunt. minimè porrò persona iis ad quos mittitur ingrata, atque infesta. quia dum personam auersantur, non facilè iis quidpiam persuadeat, qui affectum in consilio habent, & minus quid dicatur, quàm quis dicat attendunt. quinimò *cùm is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Ita Gregor. *c. cuncti d.* 49. Solemne est exemplum in Ludou. XI. Oliuerium suum ad Gandenses mittente. 11. *Legati viri boni, præclari.*

Sed & ipsi Legati si plures fuerint, vt Aristides & Themistocles, inimicitias in finibus relinquere debent, non vt in Basilienſi Concilio Ludouicus Pontanus, & Nicolaus Siculus Archiepi- 12. *Si plures, ponunt simultates.*

chiepiſcopus Panormitanus, (quorum ille inter Iuris interpretes nomine Romani, hic Abbatis noti ſunt) ab Alphonſo Neapolitano miſſi, valde occupatam Synodum diſcordiâ ſuâ reddidere.

Quare & expedit inter plures vnum Legationis principem eſſe, qui etſi ex aliorum conſilio ſe gerat, ſumma tamen rei penes eum vnum ſit. ne pares authoritate ſententia diſtrahantur inutiliter, imò ſæpè perniciosè.

13. *Eorum publicum munus & inuitis impoſitur.*

Publicum Legatorum munus eſſe, adeoque cum publica munera detrectare non liceat *l.* 18. *D. de decur.* quemuis ſubditũ ad id cogi poſſe nemo dubitat. *l.* 4 §. 5. *D. de Legation. l.* 17. §. 6. *& l. ſeq. D. Ad Municip.* neque ſine flagitio deſerere *l.* 1. *D. de Legation.* naturæ ius eſt quem patrię parere. *l.* 1. *D. de Iuſt. & Iur.* locus tamen miſſo ſuſpectus excuſat, *l.* 8. *D. ad Senatuſconſ. Trebell.*

14. *Honorificè ſunt excipiendi.*

Legati honorificè ſuſcipiendi ſunt, & humaniter tractandi, obuiàm pro dignitate eundum, hoſpitium præbendum, & ſumptus; non tamen perpetuus. admittendi ſtatim atque aduenerunt, cum aliqua pro dignitate mora, & audientia danda intra proximos dies, & ſatius ab ipſo Principe ad quem mittuntur, qui audiat nõ tantùm ceremonioſas orationes, ſed ipſa illorum mandata, atque negotia ob quæ aduenerunt: quæ ſolent reiici ad miniſtros, qui pro ſuis affectibus ea ſæpè referunt, interſecant, dirigunt, vt inſcij Principes, præter mentem in bella prouoluantur, quæ exinde vix conſciis Regibus nonnumquam geruntur.

15. *Pro dignitate mittẽtes, miſſorum & eorũ ad quos mittuntur.*

Honorificè inquam Legati excipi debent pro dignitate mittentis, miſſorum, & eorum, ad quos mittuntur. quæ conſideratio omnẽ actionem vtrimque dirigit. Vnde illud apud Liuium *l.* 30. *Annibal peto pacem.* & iterum: *Carthaginenſium Legatorum ætatibus dignitatibuſq; conſpectis (nam longè primi ciuitatis erant) tum proſe quiſque dicere, verè de pace agi.* & apud Tac. *l.* 20. *pertinere ad Veſpaſiani honorem occurrere illi, quos innocentiſſimos ſenatus habet, qui honeſtis ſermonibus aures Imperatoris imbuant.* & rurſum Liu. *l.* 9. *ad Conſulem conſularis miſſus, quiſua quoque eum non publica ſolum authoritate moueret.* Antiochi Legatos humaniter ſuſceptos Romani, vt L. Quintius attentiùs audiret iuſſerunt, ipſiſque reſponderet, quæ ex dignitate atque vtilitate Pop. Rom. reſponderi poſſent.

Pertinet huc vt Legato honor tribuatur, in eundo, ſtando, ſedendo, qui iis debetur à quibus mittitur *c. præcipimus.*

d. 39. c. magnum 11. *q. c. solitæ. x. de maior. & obed.* sic tamen vt inter Legatos is ordo ratus sit. Cæterum si quis adsit summæ notæ Princeps alius, verbi gratiâ Elector, aut alius ei suppar, proprio is lumine alienum Legati supergreditur; alioquin quoad alios, Legatus minuere mittentis dignitatem, inferioribus cedendo non debet, sed potius comitiis & congressionibus abstinere, quàm præiudicium referre.

16. *Quomodo se habere debeat Legati, & haberi?*

Admissus humaniter Legatus modestè, ac sine conuiciis, vlláve acerbitate, liberè, sine timore aut tumore, mandata exponat, eo gestu ac loquendi modo, vt ne quid audientem offendere possit: ita breuiter, nequid desit; ita laxè, nequid superfluat: opportuno fandi tempore, non tristi die, non importunâ horâ, non morosо genio: præmeditato sermone, qui mentem non pręcurrat: si superba mandata deferat ac odiosa, ipse superbiam odiumque verbis suis non augeat, temperet quatenus rei denunciandę integritas permittit: responsa diligenter in memoriæ scrinio recondat, si perplexa ingrataue sint, neque persuadere possit vt mutentur, scripto consignari petat, quasi ad faciendam domino fidem: sed & vt solet, quo scriptio minùs dura sit quàm flabra verborum: mox legantem per epistolas certiorem actorum reddat, diligenter ac sedulò id faciat, sed nihil quicquam nisi bene compertum adiungat, consulat sana ac sancta, rebus quas agit idonea, occasiones aucupetur, & indicet, occultis notis arcana summi momenti credat, re peractâ ad suos maturè redeat, renuncietque acta, exactè atque sincerè, lautia etiam ac munera quæ discedens (nam ante vix sine corruptione, illiusvè suspicione receperit) sumsit, more ferè admisso, domino indicet. Interim dum Legationem obit, ante omnia fidus sit, muneribus inexpugnabilis, aut promissis: arcanorum secretissimus custos, nihil vino aut mulieri, sed neque domestico cuiquam fidat, nisi admodum exploratæ à se fidei: sed neque huius in rebus summi momenti calamo suo; dumtaxat illas fidat, aut perscribat: nihil temerè dicat, faciat; vèdeliberationem actioni præmittat: prudentiam, circumspectionem, constantiam, fortitudinem in consilium adhibeat, neque nimium calorem, neque frigus deliberationi executionique inspergat: caueat ne titubet, mandataque frangat, nec latum vnguem egrediatur: nisi fortè rebus interim admodum mutatis. sed neque tunc si mora trahi, & mittens consuli potest. promissis se & mittentem non implicet, nisi mandatis, aut quæ facilè, ac citra

appa-

apparens incommodũ exequi possit, Legationẽ neque auaritiâ ac sordibus dehonestet, neque fastu ac superbiâ odiosam reddat: modestâ comitate grauitatem non morosam temperet, comitatu neque vili neque superfluo: sed cum delectu sine onere splendeat, veste dignâ ac patriâ, eodemque idiomate, compto etiam, at sine fuco. Principis ad quem mittitur mores exploret ac regni instituta: iis ita placeat, ne quid tamẽ de suis indignè mutet, nihil carpat, asperúmue dicat, neminem vituperet, modestè potiùs laudet: superbiam vitet verborum, nimiis ceremoniis virtutes non obumbret, sed neque fastuosâ rusticitate: veras virtutes amet, & probus vt audiat curet: de Principe suo, aut regno nihil iactanter loquatur, sed neque contemtim aut deiectè, etiã in re anxia, & postulatione auxiliorum. Domini locum, ordinem, dignitatemque tueatur.

CAPVT XXVII.

De Iure vitæ ac necis.

PAtria potestas ius vitæ ac necis olim complexa est, cuius vestigium in filia adultera occidi à patre permissa. *l. 20. cum seq. ad l. Iul. de Adult.* idemque in marito: ac maximè in seruis eius Iurus ratio valuit.

Solis supremis competit sub insignibus gladij & pugionis.

1. Has omnes superat potestas gladij in Rep. Apud Rom. iussu populi occidi stante libertate nemo poterat. ea potestas in Imperatores lege regiâ translata est. eam pugio, gladius, ensis significat. Galba *iter ingressus est paludatus, ac dependente à ceruicibus pugione ante pectus.* Vitellius pugionem in concione Consuli reddidit, tamquam ius vitæ ac necis. In Inuestituris regna per gladium traduntur. Ita & argumentatur D. Paul. *ad Rom. c. 13. Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Apud Turcas similesque gentes pro arbitrio magnus Dominus ius vitæ ac necis exercet, apud populos politicos ius dicitur, neq; aliàs gladius exercetur, nisi ad sententię executionem quo ad subditos, quo ad exteros

exteros, si bello petendi sunt, non nisi per feciales eo indicto: latáque proinde suo modo, super iustitia belli, sententia. Nullũ aliter sanè Romanis bellũ iustum fuit ex instituto Anci Martij Regis. belli æquitas omnis iure feciali pręscripta erat.

Ius vitæ id complectitur vt mortis rei, adeoque damnati vitâ donentur. id populus Romanus etiam sui Iuris ab origine fecit, vt patet in Horatio ex Curiatiorum duello superstite, ob parricidium sororis damnato, ad populum prouocante, ac viuere iusso. Tribuni id postmodum vsurparunt, quorum potestatem Augustus secutiq; Impp. in se transtulerunt. *Tunc primùm*, inquit Tac. *l.* 14. *Ann. reuocata ea lex credebatur, quâ haud perinde exitium Antistio, quàm Imperatori gloriam quæsiuit, vt condemnatus à Senatu, intercessione tribunitiâ morti eximeretur.* vnde & Augustin. de fato: *Imperatori soli licet reuocare sententiam, & reum mortis absoluere, & ipsi ignoscere*, atque in integrum restituere. honori scilicet & ordini & omnibus cæteris. *l.* 1. *de sent. pas. & restit.* quò & spectat exuli cõmeatum dare. *l.* 4. *de pœn.* Vnde & Car. V. Senatui Mediolan. cùm imperij & summæ potestatis ferè iura concessit, excepit criminis condonationem, & saluum conductum. quem cùm & in Belgio plures dynastæ pridem vsurpassent, etiam Albert. Pius *edicto an.* 1611. *art.* 45. sustulit. Ex his promanauit Theodosij lex 20. *C. de pœn.* vt pœna eorũ quos Princeps supplicio affici iusserit, differatur in diem trigesimum, suasu D. Ambrosij ob cædem Thessalonicensem: quo secũda deliberatio expectari possit, & ira illius emolliri, atque interiectu tẽporis mitigari: cùm alioquin dum Magistratus cognouit, statim sententia ferri, *l.* 18. & executioni mandari debeat, neq; vltio differenda sit. *l.* 15. *C. de pœn.* ne sit occasio supplicandi & malis artibus euadendi, *d. l.* 18. quod quia hodie nimiùm negligitur, videmus incommoda ea nimis etiam locum habere. Magis probanda sententia Iuliani. *Scis*, inquit, *quàm sim lentus ad condemnandum, & quanto lentior postquam condemnaui ad ignoscendum.* vtrumque rectè. neque enim præceps Iudex esse debet, de vita hominis vel morte decreturus. postquam autem causâ cognitâ iam statuit, & iure damnatus est reus, non itidem vindictæ publicæ pro libito eripiendus est. Clementia Principalis, si pro arbitrio pœnas & pręmia tollit, iustitiam distributiuam euertit, & cum ea Reipubl. fundamenta vellicat, quæ pœnis & pręmiis sustinentur.

CAPVT XXX.

De pecunia imperanda, tributis, ærario.

1. *Malum necessarium.*

NErvus belli, totiusque Reipubl. pecunia est. *l.* 1. §. *in causa* 20. *D. de Quæst.* malum necessarium; sine quo annonæ, & quę præter honores sunt, prędia, stipendia, sumptus præstari non possunt. *neque enim*, inquit Tacit. *lib.* 4. *histor. quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt.* Cicero ad Q. Frat. *Imperium sine vectigalibus retineri nullo modo potest.* ideoque rectè Senatus Neroni omnium tributorum immunitatem facere cogitanti, collaudato multùm eius animo, respondit, *Incisis neruis Remp. stare non posse.* Necessaria ergò pecunia. nihil tamen est toto orbe, quod Reges, Principes, Respub. sępiùs grauiusque afflixerit, concusserit, euerterit, quàm pecunię tributorumque improba extorsio. testes omniũ gentium, omniumq; ętatum historiæ. Vnde rectè Salustius ad Cæsarem: *Ego cuncta imperia crudelia magis acerba quàm diuturna arbitror.* & Tacitus Mithridatem arguit atrociorem fuisse, quàm nouo regno conduceret: laudat Germanicum, qui Cappadocibus quędam ex regiis tributis diminuit; quo mitius imperium Romanum speraretur.

2. *Iustitia tẽperandum.*

Quid ergò si exigere pecuniam nocet, si carere non possumus? medicos imitabimur, venena venenis ita temperantes, vt non tantùm medicinæ fiant, sed grauissimi, acutissimi & maximè lethales morbi per ea optimè & vix sine iis sanentur. Tributorum vectigaliumque temperamentum est Iustitia. hæc potestatem imponentis, causam, proportionem, modumque exactionis requirit. Potestas gradum supremi Principis, seu, quæ sub nullo Principe est Reip. exigit. causa; defensio, seu alia necessitas Reip. est. non aliter sine causa populum tributis exhaurire licitum, quàm venam medico incidere, nisi valetudo exposcat vel restauranda, vel præseruanda. Proportio; vt vnius in alterum onus non reclinet: vt exemptus sit nemo, nisi ex causa publica: vt clerici sunt, & palatini, *leg. ex causa. C. de priuilegiis eorum qui in Sacro palatio militant.* vt capitatio ciuibus remissa. *leg.* 1. *C. de capit. ciu. cens. exim.* Modus; vt exactores supra, aut aliter quàm indictum est, à nemine exigant. Huic rei à Romanis multæ leges scri-

scriptę, multæ pœnæ propositę, multa exercita iudicia. à nullis magis peccatum, nullæ illis satis fuerunt cautiones, non inspectorum, discussorum, atque perequatorum officia, non exactoribus, & compulsoribus, non publicanis, & conductoribus præscriptæ regulæ. Formam modumque tributorum tam ex iure Codicis quàm Authenticorũ præter alios pulchrè enarrat Gudelin. *Iur. nouiss. l. 5. c. 9.* & libellum dedit Iul. Cęsar. Bulengerus *de vectigalibus pop. Romani.*

Tributa iusta & necessaria benè commendat Iustin. *Nouel. vt Iudices sine quoquo suff. 8. §. oportet.* 3. *Fauor iustorum tributorum.*

Quin & à reuerentia loci solutionem olim commendatam fecit, ita vt in ædibus sacris fieret, assistentibus ecclesiarum defensoribus, & œconomis. *Nouel. de mandat. Princip. 17. §. seq.* denegato iure asyli solutionem detrectantibus ęquè, ac malitiosè in exactione tributorum versantibus, *Nouel. de colla. 128.*

Sed neque in præsentẽ tantùm, sed & quę potest obuenire improuiso necessitatẽ in ærariũ thesaurũ conferre, & solicitũ esse congruit. Quamquam enim bonus Princeps qui magis à suis diligitur, quàm timetur, habet quidquid possident ciues; & diuinâ lege *Deut. c. 17.* prohibeatur multiplicare sibi aurum, & argentum; & Tyro exprobretur, *apud Zachar. c. 9.* quod coaceruauerit sibi argentum tanquam puluerem, & aurum vt lutum platearum: id tamen ita est accipiendum; ne vel iniquè congerantur opes, vel in iis congestis fiducia, non in auxilio manus diuinæ ponatur. nam & Christus loculos habuisse legitur. Sententia rusticorum à Proculo relata, à Celso laudata *in l. si Chorus. 79. §. 1. D. de leg. 3.* fuit, pecuniam sine peculio fragilem esse; peculium appellabant, quod præsidij causâ seponeretur: vt quidam bellis ciuilibus factitassent. Id si rusticis, multo magis Rebusp. Principibusque conuenit. ne qua eos improuisa necessitas obruat, si ęrarium vacuum ad belli expensas adferre nihil potuerit. vt Lacones ideo in discrimina extrema lapsos censeat Arist. 2. *pol. c. 7.* Romani quidem Saturni Ædem pro ęrario habuerunt, aurumque illatum, vt forma etiam obesset rapinæ, in grauiorum latrocinorum figuram conflauerunt. Aliud etiam ęrarium fuit, in quo ciuium tributa, vectigalia sociorum, & prædę Imperatorum aceruabantur. Denique aliquando tertium: quò pecunia in Gallici belli causam à populo collata. cum execrationibus, ne inde amoueretur, nisi illud ingrueret. quam rem nuper est imitatus Sixtus V. cuius post mortem tamen spes euanuit. 4. *Princeps in omnem necessitatem thesaurum habeat.*

5. Ærarij fons perennis agri, nemora, possessiones.

Fontē ærarij perennis suppeditant agri, nemora, possessiones, quasi in patrimoniū Reip. selectæ. vt Romulus in partes tres agrum Romanum diuisit, vnam sacris faciendis, alteram Reip. oneribus, tertiam ciuibus. In Ægypto quinta fructuum pars Regi penditur consilio & contractu Ioseph. *Genes.* 47. Vectigalia & tributa penè cum Regibus nata sunt. 3. *Reg.* c. 5. vsus prorogauit ad omnia, quæ regalia vocantur.

6. Parsimonia.

Vectigal magnum parsimonia est.

Si rectè frueris, non est vt copia maior
Ab Ioue donari possit tibi.

Inde Alphonsus asserebat Regibus, qui pro reditu sumptus metiūtur, omnia cedere bona. secus iis accidit, qui demū postquam comederunt rem, rationem putant, & seram parsimoniam in fundo quærunt. vt priuati ita Principes, qui inutilibus hominibus aulas refertas habent, adulatoribus, morionibus, histrionibus, & qui nec numerari nec nominari omnes possunt. nolim tamē parsimoniā illiberalē, ac Principe indignā, qualis fuit Ludouici XI. qui à familia patricios, ac nobiles abegit, sartore pro feciali, tonsore pro legato, medico pro cancellario vsus. Nō debet Princeps infami parsimoniâ splendorem Imperij obfuscare; sed neque summam fortunam definire luxu. Nero diuitiarum & pecuniarum fructum non alium reputabat, quàm profusionem: sordidos esse, quibus ratio expensarum constaret: prælautos & magnificos, qui abuterentur. *Sueton. c.* 30. Magni fuere Principes, quorum magni conatus à parsimoniæ neglectu retardati sunt. alij etiam ipsi per illum perierunt. Obiectum ab Hira strenuo Duce Carolo VII. Regi Galliæ, cùm Angli felici bello totum penè regnum occuparent, & ille gynecæo, choreis, & epulis se daret, *illū cum pompa & tripudio perire velle.* quo libero dicto Rex quasi è longo veterno excitatus Rempubl. curare cœpit, & fœliciter exinde bellum confecit.

7. Non tamen illiberalis.

8. Absit prodigalitas.

9. Vnde paupertas, & eius mala.

Paupertas penè sequitur prodigalitatem. periculosum animal est Rex pauper. Nero nec largiendi, nec absumendi modum tenens, post ærarium exhaustum, stipendia militum & commoda veteranorum protraxit, mox calumniis rapinisque animum attendit; tandem nulli officium delegauit, vt non adiiceret, *scis quid mihi opus sit, & hoc agamus, nequis quidquam habeat.* Sueton. c. 30. *& seq.*

Paupertatē Regiam sæpè domanij alienatio secuta est, magna

gna Imperij immunitio. Inde fertur Maximilianus I. Carolum IV. Imperij vitricum appellasse. *Odi*, inquit Alexander Magnus, *hortulanum qui olera radicitus exscindit*. Acta Syllæ Dictatoris rata habita sunt omnia, dura quamuis & crudelia; non tamen vectigalium remissio. reputabat enim Senatus nec illi licitum esse, cui concesserat omnia, quibus Respub. & pace & bello salua est, minuere. *Domaniorũ alienatio. nisi summa sit causa.*

Indebitæ tamen exactiones populo placando, vel in totum, vel in partem sæpè remittuntur. id fecit Adrianus, Pertinax, Iulianus, Germanicus, aliique: & solemne fuit Regibus Persarum primum annum concedere immunem.

11. *Fiscalia compendia non spernenda.*

Non negligenda sunt pœnarũ mulctarumque compendia: augendæ etiam quorumdam grauiorũ scelerum, homicidiorũ, peculatus, improbè litigantiũ pœnæ: agricultura, mercatura promouenda: metalla, si qua gignit prouincia, eruenda. ea Regum est mercatura. damnandi in hunc laborem, aliaque opera publica grauium scelerum rei: omnesque aliæ naturæ dotes explorandæ. vt quantum fieri potest, à populo onerando abstineatur. atrum aurum est quod à lachrymis fluit.

12. *Tributa à nemine mitigentur.*

Si quod tamen necessitas exprimit, nomine suo solatium prædicet. subuentionis voce potiùs, quàm tributi appellitetur, suppetiarum, subsidiorum, & vt apud Belgas, precariarum. in Anglia beneuolentiæ, apud Hispanos donatiui, & vt apud Persas, & Æthiopes, & apud veteres Germanos, spontaneæ collationis, aut similibus vocabulis dulcoretur asperitas negotij: vt quamuis Regum preces imperia sint, & minæ; non tamen id populo ostentetur: benignam credat petitionem, causam necessariam, impensas ritè faciendas non argumentetur, vt D. Augustinus, in pœnam exigi. *c. maiores 16. q. 7. quia discessit*, inquit, *deuotio Dei, accessit indictio fisci. nolumus partiri cum Deo decimas: modò autem totum tollitur. hoc tollit fiscus quod non accipit Christus*. Omnino id agat Princeps, vt ametur. si enim malus dumtaxat timeatur, & tributis populum grauet, facilè is alium respicit, quem credat fore leniorem. quis, citra eam causam, credat Saluiano 5. *de gubernat. Dei. Vna*, inquit, *& consentiens illic Romanæ plebis oratio est, vt liceat eis vitam quàm agunt agere cum barbaris: & miramur si non vincantur à nostris partibus Gothi, cùm malint apud eos esse quàm apud nos Romani?* vtinam omnes Catholici Principes Saluianum exaudirent! politiam, tributa, disciplinam suam hæreticorumque hostium inter se compararent, ex iisque de animis suorũ coniecturam face-

facerent, ac cui periculo, se religionemque, quam profitentur, subiiciant!

13. *Cum modestia petantur, habeantur.* Non igitur Principes glorientur aureum sibi esse pratum, quod metant quoties lubeat, non fingant imminere hostem, aliámue necessitatem, & pecuniâ axactâ, quasi nube depulsâ in luxum abutantur: causam à necessitate commendent, non imperent, sed impetrent. Suadam, non violentiam, Legatam ad populum mittant. Magnas etiam Deas esse credant Inopiam & Impossibilitatem. numquam eò rem deducant, vt disputari queat, vbi ad tributa populi consensu opus est, voluntarij an dissentientes obstringant. quod controuertit Saxo, *apud Sleydanum l.* 14. quæ vota maiora dicantur ex numero personarum, vel quantitate contributionis, vt inter priuatos *l.* 8. *D. de pact.* quæ res pluribus sæpè locis, & nuper in Imperio Romano-Germanico acerbè disputata fuit. qua in re etiam monet Comineus *lib.* 10. *c. vlt.* non durioribus verbis vtendum esse ad impetrandum Ordinum consensum. Camelus

14. *Cum iustitia & æqualitate.* blanditiis, non verberibus prouocatur, vt vltra quàm possit laboret. caueant Principes, ne vnquam referant responsum Carolo Audaci datum, *apud Gul. Paladin. Hist. Burgun. lib. vlt.* non detur ansa de causæ inutilitate, de auersa pecunia, de prodacta in luxum querendi. sed semper meminerint moniti Mæcenatis ad August. *apud Dion. l.* 52. *non clam me est non nullos tributa & vectigalia instituisse ægrè laturos esse: verùm hi ipsi, si neque alio præterea damno afficiantur, & re ipsâ comperiant, hæc ipsorum salutis causa, vtque ceteris suis bonis tutò perfrui possint exigi; præterea cùm plerique ipsorum eam pecuniam alij Magistratum gerentes, alij præfecti regionum, alij militantes excipient; magnas etiam tibi gratias agent, quòd exiguam redituum suorum partem tibi conferentes, reliqua omnia sine damno percipere possint.* Dignam Mecenate sententiam iudicabit, qui omnium verborum momenta ponderabit; causam publicam facit leuem, & cætera innoxiam exactionem, ceteros ciuium reditus indemnes, neque quemquam immunem. leue est cùm vel parum, vel distinctis temporibus confertur. *l. penult. C. de col. fund. patrim. l.* 11. vel ab humanis exactoribus recipitur. *l.* 33. *D. de Iur.* æquiori animo solvitur quod ab omnibus soluitur.

Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

Inde *l.* 10. *C. tit. de Immunitate nemini concedenda*, inde inspectores, perequatores, qui grauatos releuarent pro modo fundorum,

dorum. *l.* 1. *C. de censibus & censit. l.* 11. *l. vlt. C. de annonis & trib. l.* 10. inde bonorum Adęratio, & Census.

Quare acerbè Dioclet. & Max. *in l. profeßio. C. de muneribus. l.* 10. reſcribunt: *Profeßio & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant: cùm philoſophum te eſſe proponas, vinceris auaritiâ & rapacitate: & onera quæ patrimonio tuo iniunguntur ſolus recuſare conaris. Quod fruſtra te facere cæterorum eæemplo poteris edoceri.*

Omnium prouincias regentium præcipua erat cura, tributa exigere. §. 1. *in Auth. de mand. Princip. l. vlt. C. eod.* quam etiam Præfecti prætorij agebant, *l.* 3. *C. de annon.* ſicut & vectigalia, portoria, ſalina, annona, & claſſes ad ſpecies tranſuehendas ſub eorũ ſolicitudine erant. *l.* 8. *l.* 10. *& ſeq. C. de vectigal. l.* 1. *C. de claſſib.* ita vt ſuſceptoribus ad prouinciam miſſis exactio non permitteretur, ſed Iudicibus ordinariis, *l. neque ſacrarij C. de canon. largition. l.* 10. Sed neque exactum aurum penes ipſos hærere debebat (morâ enim ſuos inficit,) ſed ad ſacras largitiones ſine vlla dilatione erat mittendum. *l.* 2. *C. de Off. l.* 2. *C. de cun. larg. tit.* vel numeratâ pecuniâ, vel auro in maſſam conflato *l.* 12. *&* 13. *C.* 76. *de ſuſcept.* libra 72. aureis reſpondente. *l. quotieſcumque. C. de ſuſcept.* & frumenta aliæque ſpecies tributariæ erant diligenter in horreis recondendæ, & prout deſignatum erat, tranſmittendæ. *l.* 2. *C. de nauicular. l. vlt. C. de ſuſcept. d. Nouel.* 128. ſic tamen vt tranſlationes fierent ſine indebitis ſumtibus, & ne plus haberet diſpendij tranſlatio quã deuotionis illatio: ne mediterraneæ ciuitates à maritimis, vel maritimæ à mediterraneis onerarentur. *l. mediter. C. de annon. & tribut.* eódem pertinet ne per colluſionem tabularij potentiorum ſarcinam ad inferiores tranſferant. *l. quoniam. C. de cenſib. l.* 11.

15. *Cura tributorum ad Præſides ſpectabat.*

16. *Hærere apud eos non debent, ſed tranſmitti, & quomodo?*

Forſan & huc reſpexit conſilium Tiberij, quando eum laudat Tac. *l.* 4. *in princ. Pauci per Italiam Cæſaris agri.* nam pro modo iugerum omnes ſoluebant *l.* 1. *C. de quib. mun. vel præſtat. mem. ſe lic. excuſ.* ſed qui ſe ſupra modum tributis grauari exiſtimat, appellare poteſt. *d. Nouel.* 128. ſeu aliàs ſe excuſare, ſi cauſam habet, *l.* 2. *C. de off. ciuit.* à functionibus. vel ſi fortuna acciderit, & deterioratione prędiorum, vt tributa nimia euaſerint, releuationem petere in futurum. *Nouel. de releuat. tributorum.* quin & agri ab aliis deſerti, ab aliis occupari paterant, præſtatione ſaluâ. *l. qui agros C. de omni agro deſert.* Enimuerò tributorum, cenſuũ, & vectigalium forma non eadem eſt vbique gentium, nec hodie alicubi, quæ olim apud Romanos.

17. *Alij præ aliis grauari non debent.*

Gudelin. *vbi suprà in fine.* quanquã quædam apud nos pro modo iugerum soluantur, sed maximè è cereuisia & vino. prout & apud Romanos tributum quod ex vino soluebatur, ingens fuit. *l. 4. C. Theod. de suar. & pecuar.*

18. Id tamen numquam non obtinet, quod Iustin. monet *in l. 2. C. de Off. præfect. prætor. Afric. Sicut*, inquit, *iubemus audaces, & feroces contra inimicos Iudices ac milites nostros esse: sic volumus eos mites & benevolos circa collatores nostros existere, & nullum damnum, nullamque læsionem in eos efficere.* Immites sanè exactorum mores collationis grauitatem augent. beneuoli sermones, vt colloquia archiatrorum medicinarum, amaritudinem minuunt.

Dure à maleuolis, benignè à bonis exigantur tributa.

19. Peccant ergò in Principem, & Remp. qui per mores suos tributorum odium augent. minus autem prouincialibus vllus omnino Iudicum inferendum aliquid potest indicere. quòd si eorum vel gratiosâ conniuentiâ, vel ignobili dissimulatione temeritas admiserit curialis, eos quoque damni simplicis pœna castigat *l. placet de excus. l.* 10. & quidquid vltrà debitum fuerit elicitum à curialibus, vel cohortalibus, vel aliis exactoribus, duplum eruitur. si quis autem exactorum insuper exactionis crimine fuerit confutatus, capitali periculo cupiditas eius amouenda atque prohibenda est, si in eisdem sceleribus perseueret. *l. quidquid C. de superexacti.* Nullus verò thesaurorum semel deprehensus euersor, quocumque pacto aut repetit militiam suam, aut aliam sibi acquirit per ambitum dignitatem, vel sese transfert ad aliam quamcumque militiam. *l. nullus C. de palatinis sacrar. largit.*

Exactores iniusti puniendi.

20. *In eo facinore deprehensus semel, imposterum officij incapax*

21. Principem sanè & Magistratum oportet, si populum quietum velint, in tributis & vectigalibus indicendis cauere, vt causa atque necessitas notoria sit, & populo probetur. inæqualitas plebem in partes non scindat, exactorum mores & odia non exacerbent, forma indicendi patriis legibus priuilegiisque ne sit aduersa. nam apud plebem validè, & apud suos, exterosque speciosè in seditionem agit. qua in re prudentissimi Reges, atque Magistratus, nec minùs optimi sunt lapsi; inexpertis vsi. consiliis. nulli magis quàm qui necessitates, & vires non supputant. *apud Tacit.* Tiberius *eum proferri libellum recitarique iussit, in quo publicæ opes continerentur, quantum ciuium sociorumq; in armis; quot classes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, necessitates, ac largitiones.* vnde & Cicero *de leg. Est*, inquit, *Senatori necessarium noscere Remp. idque latè patet. quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios Respub. habeat, quos amicos, quos stipen-*

Causa notoriè sit necessaria, mitis, æqualis, & secundum patrias leges exactio.

stipendiarios, quâ quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Quare idem Cicero *pro Balbo* laudat Pompeium (vtinam idem omnibus qui Remp. administrant conueniat!) *Equidem existimo Iudices, cùm in omni genere ac varietate artium etiam illarum quæ sine summo otio non facilè discuntur, Cn. Pompeius excellat, singularem quandam laudem eius & præstabilem esse scientiam in fœderibus populorum, Regum, exterarum nationum; in vniuerso denique belli iure, ac pacis, nisi fortè quæ nos libri docent in vmbra, & otio, ea Cn. Pompeium, neque cùm requiesceret, litteræ, neque cùm rem gereret, res ipsæ docere potuerunt.*

Pertinent huc prestationes, & ordinaria tributa, vectigalia, portoria, telonia, mulctarum, pœnarumque compendia, bona quæ indignis auferuntur, vacantia, pro derelictis habita, thesauri pars in publico inuenti, ex delicto confiscata, & ex moribus bastardorum successiones, reditus venationum, piscationū, maris, fluminū collectæ, angariæ, parangariæ, &c. aliaque regalia, decimæ nouales, ex quorundā sententia, quos lubenter audiunt fiscales, sed aduersatur *c. tua.* x. *de decim.*

Finiam hæc eo repetito quod principio dixi, vt medicinas, venena, & mala necessaria tractanda omnia tributa, exactione miti, ineuitabili necessitate, distributione, & impensâ iustâ. *Ego suggero* (inquit Greg. ad Impp.) *vt & si minus impensæ tribuatur, à suo tamen imperio oppressorum lacrymas compescant. Nam idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minus ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixione colliguntur. præcipiant ergo serenissimi Domini nihil cum peccato colligi. &c.*

CAPVT XXXI.

De Moneta.

MOnetæ ius ad Supremum, vt suprà diximus, Principem pertinet. ideoque Monetam falsam protrudere, arrodere, adulterare supremi semper criminis fuit. neque quisquam in priuatis id excusat. Sunt tantum, qui in Principibus admittant, specioſiori tamen nomine, quasi Regia authoritas, atque inscriptio satis sit pro metallorum mixtura, ac deprauatione; valore pecuniæ naturali imminuto, legali aucto cum annonarum incremento, mercimoniorum impedimento, ac tandem cessatione, priuatâ singulorum & publicâ omnium depauperatione. Malè sanè de Principibus merentur eiusmodi consiliorum authores; sæpè tum sibi, tum 1. *Moneta non deprauanda quamuis iure regio.*

tum Principibus; ſemper autem Reip. extremum noxij. fateor pecuniâ iure Regio cudi, tractari, imagine Principis ſignari, & in ſpeciem Regiam penè totam videri, & Chriſtum numiſma cenſus Cæſari dari iuſſiſſe ad reſponſum, quod eius eſſet *imago & ſuperſcriptio*. nego tamen imaginem, titulum, inſignia vlteriùs ius Regium producere, quàm ad decus, authoritatemque publicam, & ſi lubet (quod non omnes concedunt) ſumptus monetarios. non ſecus quàm ideò, quia iure Regio Magiſtratus creantur, nomine Regio jura dicuntur; ea præfatio ſufficiat, vt quod inter alios controuerſum eſt, Regi addicatur, (qualia quorumdũ olim arbitria hiſtoriæ narrant) vt ius actoris reo condonetur, vt reus innocens pro nocente habeatur, quia Regium nomen ſententiæ intertexitur: vt cum Flauij Auguris, clamantis innocentem ſe perire, accuſatore reclametur *ſua nihil intereſſe, nocens, an innocens pereat, dummodo pereat.* Non eluit crimen Maieſtas. Non ſi bellum hoſti indicatur, à Rege indici ſatis eſt. iuſtitia cauſæ deſideratur, quæ bellum à latrocinio diſterminet. vt liberè pirata ille Alexandro reſpondit, cauſam ſibi cum eo æqualem eſſe; latronem ſe tamen, illum Regẽ vocari. quòd ipſe vnicâ naui volitaret, ille magnis claſſibus, numeroſis exercitibus, ſpolia omnium gentium, atque vniuerſi orbis traheret. quippe cui triginta mulorum millia captiuum aurum vehebant. Tametſi nuper Catholico-politicus Fererius bellorum iuſtitiam pedaneorum, vt ei videtur, Iudicum arbitrio, Theologorum iudicio, Caſuiſtarum cenſuræ, omniq́ue ſcholaſticę doctrinæ eximere tentarit, & ad Regium tantùm lubitum affigere; argumentis ad incudem Cyclopis magis quàm Vlyſſis alicuius cerebrum ducendis.

Eodem modo ad reliquas ſummi Imperij notas procedendo, non nomen, titulum, decuſq́ue Regium ſufficere deprehendemus, ſed comitem requiri cæleſtem iuſtitiam, diuinamq́ue ęquitatem, quæ iiſdem numeris, ponderibus, & menſuris Reges librat, & terrę filios, *æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq́ue turres.* Non ſecus igitur ſtatuendum eſt de monetaria cauſa, vt non Regi liceat, quod lubet; non in ſuum ærarium vertere opes populi, non auro, argento improba æra miſcere, vltra ſaltem, quàm ſumptus, vel iniqua neceſſitas, non alia affectio coëgerit.

Quòd ſi Principibus ſupra auri argentiq́ue materialem valorem nõ liceat ex nomine, titulo, juréue Maieſtatis formalem nummis grauiorem indere, quam ſumptuum fabricæ mo-

monetariæ æstimatio exigat: sanè priuatus qui materiæ formęuè de suo nihil addere potest, quo jure nummi iustum valorem è fabrica Principali in populum emissi inflat? non alio sanè quàm quo priuati materiam rodunt, lambunt: minori etiam delicto; cùm hi dies integros paucis frustulis sub forficem aut aquam rodentem agendis insistant: at illi vno die, vno mercatu, tot nummorum valorem inflant, quot alij vno anno possunt corrumpere: & hi quidem non nisi vt oculis videri, manu tangi corruptela possit; at illi fraudem faciunt simplicitati vulgi, quod asses numero computat, non pondere: nec aduertit mox rerum pretia augeri, vt quas assibus octo comparare solet, nunc decem in illas erogare cogatur: miratur, dolet, indignatur ob caritatem: causam nescit & publicos fures, qui Regium valorem intendentes, quasi in tenebris populum deprædantur: qui morderi se demum sentit dum renouatis fortè edictis momento vno videt decreuisse thesaurum, & assium numerum in quolibet nummo sibi periisse.

His igitur de causis euidens est quàm iustè ad Præfectum vrbis Ius nostrum reiicit curam, vt nummularij probè se gerant circa omne negocium suum, & temperent iis quæ sunt prohibita. *l. 1. D. de off. Præf. vrb.* & quam iustè rursus Principes valorem nummi à se iustè inditum erogando recipiendoue excedi vetant, quàm iustè pœnæ etiam grauissimę huiusmodi prędonum grassaturę prescribantur, quàm vix in speciem obtendi possit excusatio, quo minùs edictis supra ea relatis pareatur: quo minus non parentes culpam contrahant, conscientiamque lędant. vt anno 1633. facultas Theologica Vniuersitatis Louaniensis simul atque Duacensis, aliique eminentes Theologi ea super re consulti, seuerissimè iudicarunt, legesque ratione subnixas per seculares Principes latas, etiam animas non obedientes reas facere, testimoniis præsertim vtriusque Apostolorum Principis: quæ suprà hoc *lib. c. 2. n. 7. & seq.* retulimus, eorum verbis excussa.

Enimuerò apud Belgas eò minùs in controuersiam vocari potest, an pœnæ adiectio vinculū legis soluat in materia monetaria, quod Rex Edicto anni 1628. ar. 22. declarauit non esse mentem suam vt per adiectionem pœnarum illi, qui sub legibus illius viuunt, eximantur ab obedientia, quàm iustis eius mandatis debeant, sed potius obligentur arctiùs.

Sed vt rursus ad Principes reuertatur dissertatio nostra, quo-

quoniam auri argentiq; natura diuersa est, pretiosior hæc pro loci genio, vilior illa; generatim non idem huic aut illi pretium statui potest; iustũ periti dicere debent, Principes illud, expensasque fabricæ non excedere, non abrogare veteres nummos eo tantùm fine, vt eo ex auro alterius metalli mixtione corrupto nequiores cudantur, non vicinorum Principum numismata reprobare & efferri vetare atque ad fabricam monetariam deferri, ideo dumtaxat vt monetariæ vtilitates crescant, eademque materia vel corruptior in populum proferatur, aliâ tantùm imagine signata, vt genij Principum vendi videantur magis populo, quàm salus publica affectari: sed id generatim agendum est, vt per ea quæ de re monetaria edicuntur, non fabricę Principalis, dominicorumque prouentuum, monetámue administrantium vtilitatem intendi, sed Reipublicæ bonum, commercandique commoditatem (in quam rem nummus primùm inuentus est) palam appareat. quod fieri non vulgo dicitur vbi monetarij curatores veterum etiam eiusdem ditionis Principum numismata, quæ iam antè fabricæ sumptum tulerunt, emunt, vt in informem materiam redigant, nequiori metallo corrumpant, & geniatâ aliorum Principum imagine impressa repetitis frustrà sumptibus supra pretium efferant; quâ arte fit, vt numismata quę vnum sæculum superant, vix inueniantur. bono argumento in re mala non bene istos curatores in publica Regum Principumque pecunia versari. horũ curã exigit *d.l.* 1. *D. de Off. præs. vrb.*

Quare & iusta admodum fuit Extrauag. *Constit.* 52. *Leonis, vt tam veterum Principum quàm recentiorum numismata, modò iusti ponderis probæq; materiæ sint, valeant.* Qua de re Plutarch. *in Cleomene.* Guiac. *obs. l.* 6. *c.* 19.

Nonnullibi Principes qui angustis terminis dominantur, qui auriferas glebas aquásue non possident, qui à vicinis vndique circumsidentur, qui intensiori monetarum valore vtuntur, ne à sterili prouincia externũ etiam aurum auertant, mercaturæ habenas laxant, suâ pecuniâ & pretio canones & census suos & vectigalia solui iubent, vt mercium ita & pecunię pretium arbitrio commercantium permittunt, veriti ne si rigidè externam pecuniam excipiant, nullam retineant. sed illi inordinatè quidem faciunt, aut patiuntur: sed imprimis maturo æquilibrio ponderare debent, an desperatio statuendæ seruandæque æquitatis maior sit, quàm spes aliorum incomodorum præcauendorum.

CA-

CAPVT XXXII.

De Statu Reipublicæ.

OPtimè Imperiorum administrationem partitus Historico-politicus ex vsu optimus, vt cunctas nationes populus, primores, aut singuli regant. moraliter, & ἐν πλάτει. nam si quis ad argutias & scrupulos distributionem reuocauerit, vix erit vt parũ putam Monarchiæ, Aristocratiæ, aut Democratię speciẽ vel olim vel hodie, apud vllas gentes quis demonstrare possit (quod Kirchner. propugnat *disp. de Rep. 3. corollar. vlt.*) nisi fortè apud quasdã barbaras nationes, quarũ potiùs dominica, herilia, & quasi in belluas sunt imperia, quàm politicà: quę supponunt capitis in membra regimen; caput autẽ membraque, eam renuunt difformitatẽ, cuius ne quidẽ pictoribus atque poëtis æqua vnquã fuit potestas; scilicet humano capiti ceruicem equinam iungere, & varias inducere formas. Rebus cõpositis id quod eminet nomen indit. Calida, frigida, sicca, humida, ab elemento prędominante denominantur. Itaque quod in qualibet Rep. prædominatur, regiã, Aristocraticã, aut popularẽ facit. excludo tamen eas denominationes quæ dicis non rei causa fiunt. vt qui post Reges Româ exactos dicti sunt Reges sacrificulorũ; eosque, quales Cæsar in commentariis, aliiq; sępiùs regulos appellant: & de quali illud, *sua esse huiusmodi imperia, vt non minus haberet in se iuris multitudo, quàm ipse in multitudinem.* Vnde & Aristoteles *lib. 3 de Rep. c. 3.* quinque genera Regum facit. 1. *Ex tribus Reip. formis vix vllibi simplex obtinet.*

Cęterùm attendere oportet jus Imperij an penes vnum sit, plures, an omnes. nam sæpè quibusdã simulachris ij penes quos vis Imperij est, alios dementant, quasi vel penes eos summa sit rerum, vel in partem veniant. ita Augustus populum obcœcauit, Principis nomine, & tribunitiâ potestate vsus. nec minus initio Tiberius. sed & boni Principes legum condendarum libertatem in eam formam redegerunt, vt à Senatu tractari, & probari primùm oporteret, *l. humanum C. de legib.* id quod tamẽ nihil læsit Maiestatẽ. & quamquam etiã Cæsar nõ Regem se, sed Cæsarem esse responderit, aliquando idem tamen *apud Sueton. c. 77.* dixit *debere homines iam confideratiùs loqui secũ, ac pro legibus habere, quæ ipse diceret.* quippe, Lucano teste, *omnia Cæsar erat.* Sic vice versâ in Republ. optimatum quamuis vnus sit princeps, qui emineat, non desinit esse Aristocratia, dummodo penes optimates rerũ summa maneat. qualiter olim in Germania Reges fue- 2. *Attendendũ penes quem sit vis imperij.*

runt, quibus Tacitus infinitam, aut liberam fuisse potestatem negat, & in concilio auditos ait *authoritate suadendi magis quàm iubendi potestate.* & Gothones regnari addictius, quàm ceteras Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Suionas autem à Germanis degeneres ostendens *vnum eis imperitare nullis iam exceptionibus, nec precario iure regnandi.* eos Principes in concilio electos, Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumptos. Neque verò senatus authoritas ab origine Romæ instituti populi libertatem, Democratiámve minuit, tametsi illa tanta fuerit, vt de iis rebus, quę notæ sunt Maiestatis, inter Populum & Senatum altercatio non semel fuerit. *Controuersia fuit*, inquit Liuius, *vtrum populi iussu indiceretur bellum, an satis esset senatus consulto: peruicere tribuni, vt Consul de bello ad populum ferret.* eaque ratio semper obtinuit, vt quantacumque senatus magistratuúmve esset potestas, numquam tamen cederet summa formulæ, *Velitis, iubeatis Quirites.* Immensa esset disputatio omniũ regiminum limites demonstrare, definire, explicare. Innumeri sunt qui formas Imperiorum perscrutati sunt, & ex vltimis Besoldus: cautè tamen nec sine permissu aut castratione legendus, à quo alij citantur, discursus suos dedit, atque sub singulis sua exempla, tum veterum tum hodiernorum; præsertim Europæorum regiminum: quæ omnia disquirit: de monarchia generatim, gubernatione ab ipso statu iureque Imperij seiungenda: ex hoc non illa de Reipubl. forma statuendo: Dyarchia, tryarchia, Imperio Regis ac Reginę vnito: Imperio inter plures quoad ditionem indiuiso: Regno pleno, monarchia Dominica, de Aristocratia generatim, oligarchia, aliisque Aristocratiæ speciebus: De Democratia generatim; de Democratia liberiori, de astrictiori, de statu Reipubl. mixto, de Regno legitimo, seu potius principatu, de statu Reip. subalterno, speciebus illius proprietatis, de Vasallo pro subdito non habendo extra Feudi causã, de Statibus Imperij Germanico-Romani generatim, & deinceps de Electoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Imperialibus ciuitatibus, Ordine equestri libero, Imperioque immediatè subiecto, de diuersis Imperij Prouinciis obscurè ad Imperiũ pertinentibus, de rerũ Publ. formis inter se cõparandis illarumque præstantiæ examine, illisque ad populi naturã, aliasq; circumstantias adaptandis. sed & Carolus Loyseau *Tractatu de Seigneuries* naturam dominatuũ atq; inprimis supremorũ, seu souueranorum, & eorũ qui de notis illorũ participant suzeranorũ Ducatuũ, Marchionatuũ, Comitatuũ, Principatuũ, aliorumq; id genus mediocriũ

atque

atque infimorũ, singulorũ notas, & potestatis vires diligenter quoad Galliã suam est perscrutatus, longã hanc disciplinam non tangemus, sed suis authoribus intactã relinquemus, sub vnico hoc monito; vt omnes pręsentẽ Reip. suæ statũ ament, diligenterq; cõseruent, nouitatibus omnibus, nisi quas necessitas, & secura omnino opportunitas exegerit, viã præcludãt.

3. *Qualiscũq; Reip. forma non mutatur sine periculo.*

Quippe qualiscumq; sit Reip facies, mutanda non est. rarò de vna specie in alterã transitur sine sanguine, & interitus periculo. *Omnes*, inquit Salust. *de bell. Iug. rerum mutationes cædẽ, fugã, aliaq; hostilia portendunt.* etiam quæ minus bona sunt, satiùs retinentur, quàm meliora cum incommodis adsciscantur. non eadem ratio est scolasticè de optima Reip. forma disputandi, & re ipsa malam, quin & bonam in meliorẽ mutandi. quædã etiã vitia vsu placent, & à tempore authoritatẽ habent. cuique suum pulchrũ &, qui toto terrarũ orbe ridetur, Æthiops colorẽ suũ omnibus prefert, & cacodęmones albos fingit. difficilè arbores euelluntur quę altas radices egerunt. & vetusta ędificia rarò sine periculo soluuntur, aut cadunt. ita Tacit. *totius orbis mutatione fortunã imperij transiuisse.* & apud eũ Ottho; *oportunos esse conatibus transitus rerum:* & Percennius: *Quando tandem*, inquit, *ausuri estis remedia petere, nisi nouum adhuc & nutantem Principem precibus, vel armis adieritis?* & iterũ alius: *Agendum, audendumque dum Galbæ authoritas fluxa, & Pisonis nondũ conualuisset.* & stabilito Iulij imperio Tac. *l.* 1. *Annal. occisus Dictator Cæsar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.* pessimum sanè. cùm is Reip status esset, quo, vt ait Pompon. *l.* 2. §. 11. *de orig. Iur. euenit vt necesse esset Reip. per vnum consuli.* nisi quod Iulius Remp. ipse eo redegisset. Retinenda ergo Reip. est forma, quamcumque Deus aut fortuna olim dedit.

4. *Sæpè ad sua principia reuocanda.*

Quin imò quia sensim quędã irrepunt, sępè ad principia sua resoluenda Resp. vt apud Florentinos quondã fuit quinquennalis Reip. redintegratio, summo consilio: tametsi fatum, seu casus illud deinde excluserit; cùm Cosmus Medicæus post Alexandri cædem senatum coëgit, vt perpetuum eum ducem crearet. vt quondam Sylla legionibus in vrbem admissis Dictatorem se in annos quinquaginta tres creari iussit: & Augustus se Consulem: cùm Senatu cunctante Legatus gladij capulum in curia discooperuisset: *Hic faciet*, inquiens, *si vos non feceritis.* Syllanæ & Marianæ clades documento sunt, quanto incommodo nunc plebeia, nunc patricia gubernatio vices alternarit. & quanquam Augustus pacatè rexerit, fessa tamen erat iam Resp. & vulneribus exsanguis,

quamuis nec triumuiratus eius sine sanguine desiit. sed & multis simulachris veteris Reip retentis, legibus ferendis populum occupauit. quare Tacit. *lib.* 3. *Annal.* eum refert *multis abolitis dedisse iura, queis pace & Principe vteretur Respub.*

Quibus sic personatis populus ita deceptus est, vt, quod Liuius alibi ait, *auidè ruendo ad libertatem, in seruitutem delapsi sint.* iisdemque meditamentis atque cõmentis id assecutus est, vt solidum pse imperium obtineret, vmbrâ veteris Reip. populum à rebus nouandis distraheret: donec vix esset aliquis *reliquus qui Remp. vidisset*, neque (quod hodie multorum Principum Consiliariorumque vitium est) tæduit inania populo permittere, quibus vt infantes crepundiis destineretur. altè admiserat illud Cælij ad Ciceronem: *Vide ne dum pudet te parum optimatem esse; parum diligenter, quod optimum est, eligas.*

Hæc quidem fortuita nutui diuino relinquenda sunt, quia *non est consilium aduersus Deum.*

Vsque adeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros fasces, sæuasque secures
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.

5. Cæterum quà possunt homines, mutandis rebus dare ipsi occasionem non debent: sed prospicere, ne quid innouetur. si ditioni regia potestas imposita est; maneat maiestas: si Aristocratica authoritas; seruetur optimatum præcellentia: si Democraticum imperium; maneat libertas, & popularis administratio: seu, quod hodie plerisque accidit, Resp. si non simplex sit, & quam *populus, aut primores, aut singuli regant*, sed mixtæ administrationis: tum & Principi & senatui & populo, suæ cuique partes relinquantur: atque ita suum cuique tribuatur, *ne occultis consiliis Resp. lædatur*: ne, vt Liu. *l.* 2. *in mille curias concionesq; cùm alia in Æsquiliis, alia in Auentino fiant, dispersa, dissipata sit Resp.* sed omnino omnes in bonũ publicũ conspirent, eiusque status speciem perpetuò retinendam. nam per negligentiam inquit Arist. *l.* 5. *polit. mutatur status Reip. cùm ad potestates assumuntur illi, qui præsentem Reip. statum oderunt.*

Omni nouitati occasio auferenda, occultisq; consiliis.

6. Qua propter quod Tacit. *lib.* 3. *Annal. olim*, inquit, *plebe valida vel cùm Patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur: Senatusque & optimatum ingenia qui maximè perdidicerant; callidi temporum, & sapientes credebantur. sic conuerso Reipublicæ statu, neque alio rerum, quàm si vnus imperitet, hæc conquiri tradiq; in rem fuerit.* sic & hodie cuique in sua Rep. laborandũ, vt rationem status sui noscat, ac iuxta eum consilia expediat, quibus consistere, ac aduersus ea, quę

Cuiq; Reip. suæ status noscendus.

ad

ad mutationem ducere possint, tutus esse queat. Regnum arcanis suis se aduersus optimatum plebisque conatus tueatur: Aristocratica ditio aduersus plebis & regna affectantium molimina: Democratica Resp. aduersus tyrannidem cogitantes, & optimatum philautias. de quibus pauco sermone disserere visum.

CAPVT XXXIII.

De statu monarchiæ asserendo.

IN primis eum qui regnat, curare oportet vt populus sciat, credatvè legitimo eum titulo regnare. etiam ij qui regna per nefas occuparunt, semper prætexere soliti sunt titulum aliquem, & colorem quærere. Sylla, Cæsar, Augustus etiam post inuasam Remp. Dictatoris, Consulis, Principis, Tribuni, aliaque nomina alij per leges & senatusconsulta dari sibi voluerunt. etiam ea lex quę de Imperio Principis lata dicitur, quâ populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concessit, eam in causam lata est: siue sub Augusto, siue sub Vespasiano, seu quandocũque lata est. sic & apud Tacit. *lib.* 1. *Annal.* Galba *loco*, inquit, *libertatis erit, quod eligi cœpimus.* & populum simul demulcendo, & titulum suum ostentando. 1. *Qui regnãt laborent vt iusto titulo credantur regnare.*

Et in electionibus quidem solitę Principum artes sunt infatuare plebem, specie recusantium, quod maximè ambiunt. ita Augustus apud Tac. *lib.* 1. *Annal.* & Tiberius apud Sueton. *quasi coactus, & querens miseram & onerosam sibi iniungi seruitutem, recepit Imperium; nec tamen aliter, quàm vt depositurum se quandoque spem faceret.* & apud eundem Otho, *quasi raptus è publico, & suscipere Imperium vi coactus, gesturus sit.* 2. *In electionibus specie recusantiũ ambiunt.*

Accendit ea dissimulatio plebem, vt impensiùs velit ei deferre honores, quem credit inuitum. & iustius imperare creditur qui rogatus est quàm qui ambiuit. semper tamen siue electus Princeps sit, siue coactus, id agendum est, vt populo constet, bono eum iure imperare. qua in re nec pręcones diuini verbi officio suo deesse velim, quin populum admoneant, & scrupulis coërceant, sicubi vel seditio, vel bellum timetur.

Debent exinde Principes introspicere suorum voluntates & ingenia, discernere contumaces ab obsequiosis, contumacię suspectos, feroces, turbidos, & plusquam ciuilia agitantes, popularibus studiis inhiantes dominationi, aut non 3. *Gentis suæ, & singulorum genius noscant.*

ferentes imperatorium nomen, opes nõ mediocres parantes, & elatos supra modum hominis priuati notare, minuere, etiam honoribus delatis exhaurire, & si opus specie honoris ablegare: modestos, obsequiosos, seruitio promptos attollere, plebem porrò, ac vulgus occupatum semper tenere, otium auferre, artificiis, mercimoniis, etiam bello destinere.

4. *Patricios neque nimia, neque nimis diuturna potestate attollant.*

Patricios porrò non nimiâ, neque nimis duiturnâ potestate attollere. *Ideo*, inquit Cassiod. *antiquitas dignitatem prouinciarum voluit annuâ successione separari, ne diuturnâ potestate vnus insoleſceret.* quin & Augustus Consules deposito Magistratu quinquennium in vrbe manere voluit, antequam in decretam prouinciam abirent. vt nimios fortè animos ex potenti Magistratu conceptos interim deponerent. cùm olim à consulari dignitate in sortitas prouincias irent. Eadem causa fuit, cur Præfecti prætorio potestas, quę proxima sceptro fuit, atque olim militaribus viris demandari consueta, iure-consultis & togatis hominibus delegata postmodum fuerit.

5. *Neque nimis magnos.*

Quare & Mæcenas anteà Augusto suaserat, vt ex equitibus tantum Præfectum prætorio eligeret. ne quis magnâ nobilitate simul, & potestate fretus, ansam arriperet aliquid in Principem machinandi vel se ipsum efferendi. vt Pipini & Capeti. si enim persuasum est iudicio Taciti 4. *Annal. optimos quosque mortalium altissima cupere*: facilè sibi Principes rationem Iouiniani persuadere debent. de quo Marcellinus lib. 25. *vt sub initia se firmaret, Maliarcham, ex familiaribus negociis agentem etiam tum in Italia, Iouino iussit succedere armorum Magistro per Gallias. gemina vtilitate præspeculata, vt & dux meriti celsioris, ideoque suspectus, abiret è medio: & homo inferioris spei ad sublimiora proiectus, authoris sui nutantem adhuc statum studio fundaret ingenti.*

6. *Magistratibus imponant eos, qui pares sunt, neque supra.*

Igitur cùm vlla ratio periculi subest, in legendis Magistratibus sequatur causam promoti *apud Tacit. l.* 6. Sabini, *quod par negociis, neque supra erat. & Agricolæ; quia par videbatur, & in eo nihil compositum in ostentationem. nam industria ac vigilantia haud minus noxiæ sunt, quoties parando regno finguntur.*

7. *Sed neque iacere, & egere nobiles patiantur.*

Sed & iterum vt non nimium attollere, ita neque nimium iacere nobiles olim, atque diuites pati debet Princeps: *Difficile est*, inquit Arist. 5. *polit. pauperes, qui diuites fuerunt, aut nati sunt ex diuitibus, res nouas non moliri.* vnde Tiberius *census Senatorum iuuit.* Messallæ in singulos annos quingenta sestertia obtulit. *Aurelio Cottæ & Anterio Antonino annuam pecuniam statuit, quamuis per luxum auitas opes dissipassent.* Otthoni ad imperium tendenti

denti assignat Tacitus *inopiam vix priuato tolerandam*. de Sylla: *Sylla inops, vnde præcipua audacia*. vt è conuerso vult idem *lib.* 11. *Annal. caueri vim atque opes Principibus infensas.*

Sed & illud generatim rectè monet Arist. 3. *polit. c. vlt.* vt Principes tales circa se habeant, qui non eorum tantùm sint amici, sed & status præsentis. adeoque erga omnes ita se habeant temperatâ dominatione, vt se, eamque omnibus gratam faciant. vnde apud Suetonium Augustus *omnino nixus est, ne quem noui status pœniteret.* 8. *Tales circa se habeant qui præsentem Reip. statum ament.*

Vim temperatam dij quoque prouehunt
In maius.

Si quos Princeps exteros inter amicos adsciscat, neque functionibus, neq; opibus nimiis attollat. nihil enim potentius ad inuidiam, ciuium indignationem, & pericula seditionum. 9. *Exteros non nimis eleuent.*

Magistratus annuos præsertim maiores in Repub. Romana olim fuisse constat; tribus maximè de causis. nam cùm in senatu propositum esset, ne in quinquennium Magistratuum comitia haberentur; in dicendis sententiis has refert Tacitus 2. *Annal. Superbire homines annuâ designatione; quid si honorem per quinquennium agitent?* item: *Vix per singulos annos offensiones vitari, quamuis repulsam propinqua spes soletur; quantum odij fore ab his, qui vltra quinquennium proiiciantur?* Itaque duę causę erant in iis, qui Magistratũ obtinuerant, vel repulsam tulerant. sed tertia simul Principẽ respicit. quam Cassiodorus ita explicat, *vt multorum prouectus gaudia reperirent.* multi scilicet per frequentem mutationem beneficiis Principalibus obstringerentur. Quam ob rem Augustus multa noua officia instituit, vt plures Reip. partẽ caperent à Principe. Idem consilium fuit Constantino, ac aliis, qui penetrarunt iudicium Aristotelis *polit. l. 2. c. 7.* quare *haud dubium erat*, inquit Tacit. *eam sententiam altiùs penetrare, & arcana imperij tentari.* tum ob causam quam diximus, tum meo iudicio maximè; quòd consulares & similes Magistratus, si quinquennales fuissent, magnos ex diuturnitate animos suggerere poterant contra principatum. quod verebatur Augustus. & idcirco Arist. Laconum Remp. reprehendit, quòd & diuturni simul, & cum magno imperio Magistratus essent. quod de alio *genere* Liu. *lib.* 4. *libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas, & temporis modus imponatur quibus iuris non potest.* & *lib.* 9. *triennium & sex menses vltra quàm licet Æmiliâ lege censuram geram, & solus geram. hoc quidem iam regno simile est.* Atque hæc ita, nisi neque per natales, 10. *Plures semper datis honoribus obligent, adeoque magis annuè Magistratus inuent.*

neque per opes, neque per eminentem induſtriam quicquam periculi timendum ſit. quo fortè conſilio in pluribus Tiberius iuriſdictiones continuauit.

11. *Hæres principatus certus ſit.* Enimuerò auertendis horum magnorum conatuum periculis non parum expedit, certus vt ſit ſucceſſor, & hęres Imperij. apud Tac. Auguſtus *ſic cohiberi prauas aliorum ſpes rebatur. ſic plena Cæſarum domus, iuuenis filius, nepotes adulti, moram cupitis Seiani adferebant.* ideo Auguſtus à Tiberio Germanicum adoptari iuſſit; *vt pluribus munimentis inſiſteret*: ideo apud Curt. *l.* 10. malum de monarchia Alexandri omen; *ſine certo regis hærede, ſine hærede regni, publicas opes ad ſe quemque tracturum.* quare *quod imperium ſub vno ſtare potuiſſet, dum à pluribus ſuſtinetur, ruit.* ſed tamen quia ſuſpectus *ſemper inuiſuſque dominanti eſt, quiſquis proximus deſtinatur*, Tacit. 1. *hiſtor.* ſæpè conſilium patris, quod Papinianus proponit *l.* 77. *D. de leg.* 2. ſequendum eſt, *Mando* inquit, *filiæ meæ pro ſalute ſolicitus ipſius, vt quo ad liberos tollat, teſtamentum non faciat. ita enim poterit ſine periculo viuere.*

12. *Principatus non diuidatur.* Quare & illud ad imperiorum manifeſtã ruinam vergit, ſi principatus in plures ſecetur. quæ res Bertholdos Comitibus Louanienſibus olim pares omnino perdidit *nam in plures diuiſa prouincia claritas familiæ per inopiam rei familiaris obſoleuit.* eaque adeò poſt modũ increuit, vt ſciſſum ſæpiùs dominatum ſinguli diuendiderint, ſeu aliâs exciderint. vt eo nomine nemo iam antiquam claritudinẽ præ ſe fenat. ſatius olim Germani apud Tacitũ omnia prædia vni deferebant, reliquis cum pecuniola abire iuſſis. quod ſalubriter hodie plures ſeruant gentes præſertim in Principatibus, lege etiam latâ ne ſecari vnquam poſſint (vt ſacroſancta ſemper apud Gallos terra Salica fuit.) quin & ſi vni plures obtigerint Principatus, Dominatus, regna ne in poſterũ diſtrahantur. ſic diuino conſilio Hiſpaniarum regna coaluerunt, Belgicæ ditiones connexæ ſunt, & nuper à Iacobo Anglia, Scotia, Hibernia in vnum vinculum nomenque magnæ Britanniæ contractæ; atque olim Pannoniæ, & tot diuerſorum nominum ditiones in ius & nomen Hungarię coniunctæ. omitto Principum pactum quo deficientibus alterutri liberis alter ſuccedat. quod Hungariæ, & Bohemię ſub Ferdinando I. cùm cæſus à Turco eſſet Ladiſlaus, ſalutare fuit.

13. *Potius diuiſi iungantur.* Id porrò, ſi coniungi per leges regna Dominatúſue non poſſint in vnam monarchiam, tamen ſaluberrimum ſemper fuit,

fuit, iis pactis connectere, quibus omnium hęres vnicus semper habeatur, neque distrahi vnquam possint regiones.

Quin & insuper id agendum, vt ita fœderentur in mutuam defensionem, vt nulli hostis insultet, quin altera ditio æstimet se id pati: & ad eum propulsandum viros, viresque conferat, conuento numero, & ære. 14. *Fœderibus in mutuam defensionē.*

Iterum principatus eneruatur si Resp. geratur multorum imperiis. *Vim principatus* asserit Salustius *resolui cuncta ad senatum vocando*, id est, arbitrium illius: vt sciscat, vt decernat. quò non pertinet, quod Principis authoritate fit, aliorum consiliis habitis. nam *ibi salus vbi multa consilia. Non exercitus*, inquit Micipsa apud Salustium, *neque thesauri præsidia regni sunt, sed amici.* & Theodos. & Valent. *in l. 8. C. de leg. Bene cognoscimus quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri imperij, & nostram gloriam redundare.* Cauendum est tamen Principibus, ne consilij nomine arbitrium rerum ad se aliqui trahant. quo errore Corona Gallica ad ministros Regum non semel delapsa est. ac primò quidem postquam diu nutasset, & Carolus Martellus aliquando quasi oblatā occupare renuisset, non regnare, sed Regibus imperare malens, id est, vmbrâ & nomine Regi relicto, summam rerum ad se trahere. sic initio Vitellius *præmisit*, inquit Tacitus, *in vrbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Cesaris non reciperet, cùm de potestate nihil detraheret.* 15. *Arbitrium penes Principem solū sit, etsi plurium consiliis vtatur.*

Nefas apud Romanos fuit priuato ad exercitum vel senatū scribere. *Miserat*, inquit Tacitus *lib. 3. Mutianus epistolas, quæ materiam sermonibus præbuere. si priuatus esset cur publicè loqueretur. potuisse eadem paucos post dies loco sententiæ dici.* & iterum: *litteras ad exercitum tanquam accepto principatu misit.* & *2. histor. recitatæ Fabij Valentis epistolæ ad Consules scriptæ, haud immoderatæ: gratior Cæcinnæ modestia fuit, quod non scripsisset.* Iterum nec licuit militem donis, populum annonâ pellicere, prętorianos largitionibus ambire, præmiis aut stipendiorum augmentis. ideoque Tiberius de Gallione, *Quid illi cum militibus, quos neque dicta Imperatoris, neque præmia nisi ab Imperatore accipere par esset?* quæ attingere noluit Iulianus. *ne videretur*, inquit Marcellin. *id affectasse, quod sibi soli deberi Augustus existimabat.* apud Curt. *l. 6.* Philotas ecquis *è vobis corruptus est donis, quem ducem, quem præfectum impensiùs colui?* Herod. in Commodo: *Celebrato funere Marci visum est & amicis Commodum adducere ad exercitum, vt & milites alloqueretur, & (qui nouis Imperatoribus mos est) pecuniis elargiendis ipsorum* 16. *Ad senatū, ad exercitū scribere nemini licuit, aliásve regias notas vsurpare.*

ipsorum animos sibi deuinciret. Eodem pertinet constitutio Marciani *C. de Consulib.* ne pecunias spargant: Theodosij, nequis titulos & vela regia suspendat (*Regiæ enim Maiestatis est*, ait *l.* 1. *C. vt nemo priuat.* &c.) & Valentis *C. de vestibus holob* ne quis auratas vestes gerat, ne quis holopurpuras. quę (*l.* 4. *C. eodem*) *soli Principi eiusq; domui dicantur.* purpura enim Maiestatis insigne erat. inde qui Imperatorem salutabant, *sacram purpuram adorare* dicebantur. *l.* 1. *C. de apparit. præfec. prætor.* vt ne quidem alteri licuerit inscriptione purpureâ vti. *l.* 6. *C. de diuers. rescrip.* vbi ea res tyrannico spiritui ascribitur, & capite punitur.

Iterum regiũ est nobiles ab epistolis, libellis aut rationibus habere. vnde Tacit. *l.* 15. *Annal. de Iunio Torquato; iussi accusatores obiicere eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet. nomina summæ curæ & meditamenti,* &c. quâ ratione sub imperio Germanico tam multi Principes speciem Supremorum apud suos, atque exteros obtinuerunt, institutis per ditiones suas tum militaribus, tum ciuilibus officiis, sub iis nominibus, quę omnia regnorum munia, dignitates, officia referant. In eaque re semper excelluit Domus Burgundica. parum abfuerunt Brabanti, & Flandri. Iudas Machabęus inchoando Imperio *l.* 1. *c.* 3. *Mach.* constituit duces populi, tribunos, centuriones, & pentacontarchos, & decuriones.

17. *Nimis splẽdidè ædificare.* Eodem pertinet nimis splendidè ædificare palatij arcisuè iustar: tribunal militare extruere, conscendere, sedere in clypeo, excubiis, armis, comitatu militũ cingi. *Erat*, inquit Tacit. *l.* 3. *Annal.* de Pisone, *Inter irritamenta inuidiæ domus foro imminens festo ornatu, conuiuiumq; & epulæ, & celebritate loci nihil occultum.* Idem 15. *Annal. Nero iubet præuenire conatus Consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuuentutem, quia Vestinus imminentes foro ædes, decoraq; seruitia, & pari ætate habebat.* & 1. *Annal. Excubiæ*, inquit, *arma cætera, aulæ, miles in forum, miles in curiam comitabatur.* & Herodian. de Gordiano, *sequebatur ipsum principalis pompa omnis, milites quicumq; aderant, iuuenesq; vrbani procerâ staturâ, ad eorum similitudinem, qui Romæ Imperatorem comitantur; virgæ item laureatæ, quo insigni Principes à priuatis dignoscuntur. prætered ignis de more præferebatur, &c.*

18. *Militiæ gloria ad solũ Principem referatur.* Militiæ gloria, & auspicia ad solum Principem referantur. *Craterus*, inquit Curtius, *lib.* 6. *omnibus præparatis, regis expectabat aduentum, captæ vrbis titulo cedens.* & *Agricola.* apud Tacit. *nunquam in suam famam gestis exultauit. ad authorem & ducem, vt minister fortunæ referebat.* & iterũ Curtius, *ibid. Alexander hostes vinci*

vo-

voluerat Antipatrum vicisse tacitus quidem indignabatur, suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ. & reuerà ita res habet. imminuitur Principum existimatio, quantum alteri ex gloria asscribitur. nec immeritò Tiberius *bellica Germanici gloria angebatur.*

Prætereà aliorum Principum effigies colere, Maiestatem minuit. de Agrippinæ & Neronis effigie à P. R. in vexilla sumta Tiberius *criminatus est, nihil reliquum esse, nisi vt caperent ferrũ, & quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces, Imperatoresq; aeligerent.* Idemq; Tiberius impatienter tulit pro Nerone etiam & Druso à Pontificibus vota suscepta, quod soli Principi competere videatur. *l.* 1. *C. de oblat.* 19. *Aliorum Principum effigies ne colantur.*

Iterum rectè Cæsar sanxit *ne quis ciuis maior annis viginti plus triennio continuò Italia abesset: neu quis senatoris filius nisi contubernalis aut comes Magistratus peregrè proficisceretur.* & Augustus apud Dion *edixit omnibus senatoribus, ne quis eorum peregrinaretur, extra Italiam iniussu suo.* clarissimis & spectabilibus sine commeatu discedere licuit, illustribus non licuit. quod sit horũ potentia periculosior. *l.* 15. *C. de dignit.* Rursum Augustus apud Tac. *l.* 2. *Annal. inter alia dominationis arcana, vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, sepositi Ægyptũ; ne fame vrgeret Italiam, quisquis eam prouinciam, clausträq; terræ, ac maris, quamuis leui præsidio, aduersus ingentes exercitus insedisset.* 20. *Illustres sine principis consensu ne peregrinentur.*

Quare & meritò suspectus est quisquis exteros frequentat, & præsertim cum exulibus familiariter versatur. aliò respicere, quàm ad suum orbẽ rectè creditur. quomodo Pompoliano apud Sueton. crimini fuit, *depictum orbem terræ in membranas, concioneq; regum, ac ducum ex T. Liuio circumtulisse, & seruis nomina Magonis & Annibalis indidisse.* 21. *Cum exteris aut exulibus nemo sit familiaris.*

Cui etiam necis causa fuit habere imperatoriam genesim. nam ex temporũ illorũ ratione est illud Tertulliani, 35 *Apol. Cui opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi à quo aliquid aduersus illam cogitatur, vel optatur, aut post illã speratur, aut sustinetur?* nam ea etsi *vanissimi cuiusque ludibria*, tamen credulos animos sæpè ad scelus instigant. *Ad extremum*, inquit Sueton. *Telephus quasi debitâ sibi fato dominatione, & Senatum & Augustum aggressus est.* adeoque inter crimina obiectũ apud Tac. *l.* 12. *Annal. Chaldæos magos, & Appollinis Clarij simulacrum super nuptiis Imperatoris interrogatum.* & Scribonianus *in exilium actus, quasi finem Principis per Chaldæos scrutatus* quare ille rectiùs; *Caue*, inquit, *ne quando de statu Reip. vel de vita Romani Imperatoris aliquid rogatus, respondeas.* saltem 22. *Neque in genesim aut annos imperatorios inquirat.*

saltem vaticinia nisi apud Principem nemo profiteatur. quo nomine Alexander Aristandrum apud Curtiũ *lib.7.* increpat. quanquam nec hoc extra periculũ; si quid siniſtri portendant. vt aliâs expertus est Tichus Braius; qui apud Danię regem professus erat, ex genesi eius indicia dari, quòd si bello contra Cæsarem se implicaret, eum regno exigendum. quem ideò ipsum Rex regno priùs exegit. Huiusmodi diuinationes rectè à iure prohibitæ sunt *l.6.c. de malefic. quippe ipsam propemodum pulsant Maiestatem l.7.c.eod.* & iudiciariam astrologiam seuerè damnauit Sixtus V. *in bulla Cœli & terræ.* Ideoque pluribus constitutionibus, tum Ecclesiasticis, tum Principum nostrorum vetitum est super salute Principis, Reip. victoriis, cladibus, concertationes, aut sponsiones facere.

23. *Corporis custodes habeat princeps.* Conuenit etiam prędidiis, & corporis custodibus Principem esse munitum. quia *parum tuta est sine viribus Maiestas*, Liu. *lib.2.* præsertim principatus nuper armis quæsitus, armis tenendus erit. quo nomine Męcenas Augusto suasit, vt duos præstantissimos ex Equitibus qui prędidio prędessent, sumeret; & essent qui eius custodiam gererent. Romulus trecentos Celeres & bello, & pace habuit. nec hodie sunt Principes, qui non habeant corporis custodes armatos. & prudentissimi olim vel instituerunt, vel retinuerunt.

Catilina coniurationem apud Florum *l.1.* ausus est, *quod in extremis mundi finibus arma Romana peregrinabantur.* & Saluſtius, *In Italia*, inquit, *nullus exercitus, Pompeius in extremis terris bellum gerebat.*

24. *Coërcendúmne infra fines sit imperium deliberet.* Quæ etiã ratio facit vt Tiberius Augustus aliiq; de coërcendo eo intra terminos cogitarint, ne, vt testatur Dion. *si Imperium dilatare voluisset, id difficilius tueretur; facilius etiã partũ amitteret.* & verissimè Curtius *in lib.4. graue Imperium, difficile est continere, quod capere non possis. vidésne vt nauigia quæ modum excedunt, regi nequeant? nescio an Darius tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt. facilius est quædam vincere. quàm herculè expeditiùs manus nostræ rapiunt, quàm continent!*

25. *Vrbem Imperij sedem nõ omittat.* Vrbem etiam & sedẽ Imperij sui Princeps non facilè omittere debet. vt Augustus *biennio continuo post adeptum imperium pedem portâ non extulit. nec aliàs diu vrbem reliquit. nam neque decorum*, vt ratiocinatur Tac. 2. *Annal.* Principibus *si vnâ alterâve ciuitas turbet omittere vrbem, vnde in omnia regimen.* & vt Capitolinus, *ne Imperatore absente sedes imperij à coniuratis occupetur.* Liu. *l.3.* de Terentillo, *Is*, inquit, *Consulibus absentibus ratus locum tri-*

bunitiis

bunitijs actionibus datum, per aliquot dies Patrum superbiam criminatus est, & postea, timebant Patres ne absentibus consulibus iugũ acciperẽt. & Cic. 7. epist. 11. *per fortunas quale tibi consilium Pompeij videtur? hoc quæro quòd vrbem reliquerit: Ego enim ἀπορῶ tum nihil absurdius: vrbem tu relinquas, ergò idem si Galli venirent. non est*, inquit, *in parietibus Respub. at in aris & focis: fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariæ ferre vrbs vna non poterat. At idem Pericles non fecit; annum ferè post quinquagesimum, cùm præter mœnia nihil teneret. nostri olim vrbe reliquâ captâ, arcem tamen retinuerunt.*

Iterum ad securitatem Principis pertinet, ne quis vel hostem 26
Principem interficiat. Seuerus Pertinacis interfectores capite *Regicidas vlciscatur.*
damnauit. *Quod factum*, ait Herodianus, *incredibilem illi tum gloriam attulit, tum etiam diutissimè imperandi securitatem.* Fecit idem Nero, Vitellius, Alexander, Baiazetes, Dauid, alij innumeri. sunt qui credant Pilatum à Nerone capite plexum; quod Christum Iudæorum Regem supplicio affecisset: quamuis Nero Christianis infensissimus fuerit. adeoque non honore Christi: vt Tacitus de Vitellio; *non honore*, inquit, *Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum in præsens, in posterum vltionem.* sic & Decemuiri posituri imperium monent Patres, *vt ipsis ab inuidia caueatur, nec suo sanguine ad supplicia Patrum plebem assuefaciant.* potiùs vt semper sacrosanctos Principes, Magistratus, patricios vereri omnes doceant. *Quomodo*, inquit Dauid, *non timuisti mittere manum tuam in Christum Domini?* Quâ ratione nostro sæculo infame fuit supplicium Mariæ Scotiæ. omitto causam religionis. neque maculam abstersit præuia degradatio, & regni priuatio. sed oleum igni additum est, *& plura temeritatis apud plebem irritamenta*: eoque grauiora, quò speciem iuris induant, & sub illius vmbra Monarchas sub plebis suæ pedes proijciant ipsi iure in alios statuto digni.

CAPVT XXXIV.

De statu Optimatum asserendo.

VIdeamus nunc de arcanis Optimatum. ea Aristoteles *polit.* 1.
lib. 4. cap. 13. ita attigit: *Sunt autem illa arcana siue sophismata* *Quæ Optimatum arcana?*
quæ ab Optimatibus apud populum prætexuntur quinque: Comitia, Magistratus, Iudicia, Arma, & Armorum vsus atque meditatio. Circa Comitia licere omnibus adesse, sed pœnâ dictâ maiore patricijs, siue diuitibus si non adsint, quàm plebi. Circa Magistratus autem non licere his qui magnum censum habent, renuntiare Magistratui; plebi verò & pauperibus licere. Circa Iudicia pœnam decernere diui-

tibus nisi ius dicant ciuibus ; plebi verò impune sit , siue illis magnam, his verò paruam mulctam dicere , vt est in Charondæ legibus ; quibusdam verò in locis licet omnibus qui descripti sunt ad comitia iudiciáque adesse : qui nisi parent, pœnas luunt magnas, adeóque metu pœnæ neque nomina edunt, neque ad conciones & iudicia veniunt : eodem modo circa arma & gymnasia statuunt. plebi & pauperibus non licet habere arma : patricijs verò pœna constituta est , ni habeant. Illi si se in armis non exerceant , minimè plectuntur : patricij verò puniuntur ; adeóque hi metu pœnæ , arma tractare compelluntur, illi impuniti ab armis abstinent. Hæ sunt Optimatum artes siue arcana consilia aduersus plebem.

2. *Plebem non lege, sed indirectè à Repub. excludi.*

Summa in eo est, non debere plebem lege aliquâ à iure publico excludi, sed indirectè incommodo aliquo, quod ipsamet subterfugiat. *Lege*, inquit Liuius, *lib. 4. prohiberi , & connubium tolli Patrum ac plebis , id demum contumeliosum plebi est.* & iterum : *Principes plebis ea Comitia malebant quibus non haberetur ratio sui quàm quibus vt indigni præterirentur.* & *eodem lib.* cùm plebs ius creandi Magistratus ad se simul traxisset, *plerisque* , inquit , *haud dubium erat , creaturos ex plebe seditiosissimum quemque. verumenimuerò euentus eorum Comitiorum docuit , alios animos in contentione libertatis dignitatisque esse , alios secundùm deposita certamina incorrupto iudicio esse. Tribunos enim omnes patricios creauit populus, contentus eo quòd ratio habita plebeiorum esset.* Concludit ergo rectè Aristotel. *lib. 3. cap. 7. polit. cùm multitudo inopum in ciuitate est , eadem ab honoribus excluſa est, necesse esse eam ciuitatem plenam esse hostium Reipublicæ.* Vnde Iustin. *lib. 13. Pedites*, inquit, *indignati nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridæum fratrem Alexandri Regem appellant.* Ita secedituṛ, in seditiones itur , & bella ciuilia. prælertim cùm vtrimque partes ferocem pertinaciam imbiberunt. vt apud Liuium *lib. 7. de Dictatore obstinato tollere potiùs totum è Republica consulatum , quàm promiscuum Patribus ac plebi facere.* & iterum Liuius *lib. 5.* tribus ex plebe tribunis consulari potestate creatis *non incommunicatum modò imperium cum plebe , sed prope amissum summum imperium.* quia in hisce contentionibus , *vt lib. 2. distrahitur laceraturque Respublica per Magistratus , magisque quorum in manu sit , quàm vt incolumis sit , quæritur.* Non lege ergò, sed consilio patricijs agendum , vt plebs à communione iuris publici absit. rectè tamen , & ita ne quod agitur appareat , ne erumpat in Liuij querelas , *libr. quarto, Patrum ambitione artibusque fieri , vt obseptum plebi fit ad honorem iter.* & iterum : *fraudem profectò in re esse , & Sempronium Comitijs plus artis adhibuisse , quàm fidei.* Igitur plebi permittendum, vt à Comitijs absit impunè , quasi domesticis eius curis id concedatur ; patricij verò si emaneant , puniantur.

ple-

plebi liceat renuntiare magistratui ; patricio non liceat. Plebs immunis sit à iurisdictione capessenda ; patricius nullo modo se possit subducere. plebi liceat arma non habere, armorum exercitio abstinere ; patricij illustresque armis vtantur. iuxta *l. vlt. Cod de præpos. sacr. cubic. & tit. 27. de pace tenenda, lib. 2. feud.* eaque doceantur, quæ gloriatur Marius, quamuis homo nouus apud Sallustium *in Iugurtha* se didicisse, *hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem & æstatem iuxtà pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam, & laborem tolerare.* Denique iuuentas patricia ita educetur, vt in spem Reipublicæ adolescat ; vt præsentem Reipublicæ statum amet, eidemque omni parte aptetur, veste, sermone, occupationibus... demonstret, cuius corporis sit membrum, cuius vrbis ciuis, cuius Reipublicæ partes affectet.

3. *Nobilibus familijs pauperibus ea publico succurratur, & alia sublegantur.*

Paupertati nobilium etiam familiarum vel ex publico consulatur, ne extinguantur, aut viles fiant : si decreuerint, aliæ sublegantur. quod fecêre Cæsar, Augustus, Claudius, de quo Tacitus 11. *Annal. in numerum patriciorum adsciuit Cæsar vetustissimum quemque, aut quibus clari parentes fuerant.* & Caius apud Dionem *lib. 59. Equitibus quibusdam in spem senatoriæ dignitatis lati clauum dedit.*

Rursus cauendum consilijs, etsi non lege, vt diximus, quamuis inter leges XII. Tabul. fuerit, patricij cum plebeijs connubia ne iungant ; ea enim coniunctio incendit animos plebeios, degeneres facit patricios.

4. *Idioma gẽtis seruetur.*

Sed & ad Reipublicæ dignitatem retinendam pertinet vsus vernaculæ linguæ, vt is non tantùm popularibus, sed & patricijs iubeatur. Leges, Senatusconsulta, Edicta nõ alio vulgentur, Responsa publica non alio dentur. Romani nec Græcis vnquam nisi latinè responsa dederunt, quin ipsos per interpretem loqui coëgerunt, non in vrbe tantùm, sed & in Græcia & Asia, quò Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur ; *indignum esse existimantes, illecebris & suauitati litterarum Imperij pondus & auctoritatem donari.* Val. *lib. 2. cap. 2.* Albertus Pius Belgarum Princeps, tametsi plurium linguarum peritus esset, & supplices alterius tantùm gnaros patienter audiret, non aliâ tamen quàm Latinâ, Germanicâ, vel Hispanâ respondebat.

5. *Et plerasq; cautiones quas Principes vsurpant.*

Iterum ad salutem patriciorum pleraque spectant, atque obseruanda sunt quæ ad salutem Regum, ne cœtus fiant, ne nimiæ largitiones, affinitates, excelsiora ædificia, ne quis quomodocumque emi-

emineat ipse ordo ne quomodocumque vilescat Magistratus, Senator, patricius, ne priuatis iniurijs, ne publicis supplicijs afficiatur, si quid plebs machinata fuerit, quò se efferat, statim isti nodo alius cuneus quæratur: summa Reip. negotia non nisi in ditionis Metropoli agitentur, ab ea vrbe illisque negocijs patricij quàm minimè absint.

6. *Summè cauendum, ne quis nimis emineat.*

Enixè, ne in regnum vertatur Aristocratia, oculos non auertere oportet à viris eminentioribus animo, genere, aut fortunis, in bellum eos ablegare, mox reuocare, præsenti honores vrbanos deferre, nec diu nec bis gerendos, plures nimium amicos terris aut animis discernere. Cæsar societatem cum Pompeio & Crasso inijt, *ne quid ageretur in Repub. quod displicuisset vni è tribus.* postmodum Cæsar ipse se extulit, *& vnus omnia, & ad arbitrium administrauit.* Sueton. *de Cæsare.* Tullius ad Atticum, quod prouinciam per annos decem vltra tempus legis, & postquam decretum est, vt ei succederetur, exercitum diutiùs haberet, quàm populus iussisset, inuito Senatu. & Senatusconsultum fuit ne cuius ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset, neuè quis reficeretur in annum tribunus-plebis.

7. *Discordiæ quando & quomodo alendæ?*

Cato olim, & hodie plerique politici existimarunt expedire discordias esse in Republica, factionesque ali. Liuius ait, *venenum esse Reipublicæ discordias Ordinum.* vtrumque rectè, si prudenter dirigantur & dirimantur. Nimia Cæsaris & Crassi & Pompeij coniunctio viam strauit ad perniciem Reipub. nimis postmodum erumpentes inimicitiæ Rempub. pessundederunt, illa tempestiuè solui debebat, & prudenter: hæ conciliari antequam in immensum excreuissent. tardius fuit cùm Cicero *lib. 9. epist. 11. ad Atticum* optat, *vtinam in hac miseria Reipub. politicum opus efficere & nauare mihi liceat?* & Balbus ad Ciceronem: *quòd si Pompeius & Cæsar coniungi possint, me satis vixisse putabo.*

CAPVT XXXV.

De statu Democratico asserendo.

1. *Summum in Democratia arcanum, vt nihil admittatur, quod libertati noceat.*

IN Democratica Rep. arcana non ita locum habent, cùm occulta consilia vulgari non possint. omnibus tamen hoc primum vsurpatur, ne quid admittatur quod libertati noceat. ne quid Princeps, ne quid optimates faciant, quod possint malè vertere. Inde Romæ edictum, ne quis vinctum aut clausum ciuem Romanum teneret: ne cui potestas foret ciuem Romanum interficiendi.

quæ

quæ lex sæpè renouata est, sæpè iam morituris salutem attulit. etiam tribunitia potestas, quæ à plebe iniuriam auerteret, summâ contentione obtenta, retentaque, & sacrosancta semper fuit; vt tribuni præsides atque libertatis custodes essent. vt creato Dictatore cessante omnium Magistratuum iurisdictione tribuni potestas maneret. vnde illud Liuij *lib. 3. plebs non est habenda aut habendi sunt tribuni plebis.* tantaque assiduitas tribunorum fuit, vt nec semel abnoctare liceret: tanta potestas, vt Tac. *lib 3. Annal.* dicat *summi fastigij vocabulum.* adeoque vt Cæsar occupato imperio dictaturam perpetuam sumpsit; ita Augustus suauiùs irrepens tribunitiam potestatem. quem secuti sunt successores. Hinc Alexander apud Lamprid. *Gratias,* inquit, *vobis ago de Cæsareo nomine, de Pontificatu maximo, de tribunitia potestate.*

2. *In eam rem tribunitio, similesve potestas habenda.*

Quæ apertè in Democratia fiunt, Aristot. *lib. 4. politic. cap. 13.* contraria fieri docet ijs, quæ optimates solent facere. *in populari,* inquit, *statu contra hæc alia excogitant. pauperibus salaria constituunt, concionantibus, atque iudicantibus: diuitibus autem ac patricijs nullam pœnam imponunt.* Iterum populares summam Comitiorum, Magistratuum, iudiciorum, atque armorum ad se trahunt, in comitijs enixè curant vt popularia suffragia præcellant, in Magistratibus, vt viri populares ijs imponantur. in iudicijs, vt sic veritati consulatur, vt libertas non corrumpatur. vt liberæ sint accusationes, non impunitæ tamen calumniæ. vt arma in manu populi sint, & in illis populi meditatio, atque exercitium. Rempublicam enim possident, qui arma.

3. *Contraria Populus quã Optimates grauiuntur via.*

Iterum in populari statu cauetur ne patricij nimium emineant: insignia, aut simulacra dignitatum nimia præ se ferant. vnde illud Liuij *lib. 3. non pudet lictorum vestrorum maiorem prope numerum in foro conspici, quàm togatorum aliorumque?* rursum ne in territorio nimias possessiones patricij obtineant, hinc illud: *Auderentne postulare, vt cùm bina iugera agri plebi diuiderentur, ipsis plus quingenta iugera habere liceret?*

4. *Ne quis nimis eminеat.*

Aduersus regna affectantes est illud Liuij *lib. 4. Libertatis, magna imperia diuturna esse non sinas.* Cæsar post decennale in Gallias imperium demandatum, Romanum inuasit. adeò excreuerat animus, vt sub fortuna priuati coërceri non posset. Iterum bella ciuilia parturire regnum solent, neque componi, nisi imperio ad vnum delato: abijsque adeò cauendum.

5. *Magna imperia diuturna ne sint.*

Porrò populi qui regnati fuerunt, quo minus sub veterem fortunam relabantur, iurare solent, se neminem regnare passuros. palatia

6. *Qui regnati fuerunt, iurant neminem regnare passuros.*

destruere, bona regia diripere, statuas frangere, imagines abolere, memoriam damnare, ita Romæ exactis Regibus vel oppressis ijs, qui regnum affectarunt. Liu. *lib.* 2. & 4. & *lib.* 2. *feud. tit.* 53. *de pac. tenenda.* & Ambros. 1. *offic. si tyranni aliquis imaginem habeat, nonnè obnoxius est damnationi?*

CAPVT XXXVI.

De mixto statu asserendo.

1. *In mixto statu omnes oculi intendendi ne quid supra alterũ increscat.*

POrrò in statu Reip. temperato, siue ex simplicibus formis mixto, venena & remedia non minùs miscentur, eoque diligentiùs in mutui amoris conseruationem incumbendum est, quo res mixtæ pluribus morbis, difficilioribusque curationibus sunt obnoxiæ, facilè soluitur temperies leui alicuius qualitatis excessu. Itaque cùm in mixta Republica aliquid oritur quo ex mixtis alterum supergredi alterum tentat, centum Argi oculi intendendi sunt. nam subdolè plerumque hæc fiunt. caudæ omnes Sampsonicarum vulpium colligandæ sunt. nihil omittendum est, quo aliquid impediri possit supra æquitatem instituti increscere.

CAPVT XXXVII.

De Consultatione.

1. *Augusta consultatio.*

RErum humanarum augustissimum esse Consultatione vti, scripsit Philosophus *epist. ad Alex.* quare inter augusta imperij negotia, & post tractatas rerum materias, de earum vsu, qui in deliberatione atque consultatione capitur, paucis dicendum. Itaque cùm multa cura summo Imperio insit, certum est Principem suâ scientiâ non posse cuncta complecti. assumi oportere & alios in partem curarum, & plurium consilia æstimari. rectè Otho apud Tacit. 1. *hist. æternitas rerum, & mea cum vestra salus incolumitate Senatus firmatur.* ad eamque proportionem dicendum de Iudicibus, Magistratibus, seu Rectoribus Prouinciarum. ad omnes spectat illud *Eccles.* 33. *Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*

2. *Rebus gerendis præmittenda.*

Ferunt Augustũ consilijs Mæcenatis, & Agrippæ per mortẽ orbatũ, multa memoriâ repetentẽ improuidè gesta, exclamasse; *Horum nihil*

nihil mihi accidiſſet, ſi aut Mæcenas, aut Agrippa vixiſſet. Quare & Titus Veſpaſianus *amicos elegit*, inquit Suetonius, *cap. 7. quibus etiam alij poſt eum Principes, vt & ſibi & Reipublicæ neceſſarijs acquieuerunt.* & rarò eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam ſuam ſunt vſi. & iam olim ob aſsidua Senatus & Magiſtratuum conſilia adagium fuit *Romanum ſedendo vincere.* Videamus itaque breuiter qui eligendi, quomodo audienda conſilia, & quibus acquieſcendum.

Amicos, inquit Suetonius, *elegit. nullum* enim *maius boni Imperij inſtrumentum, quàm boni amici.* Plin. *in paneg.* Fidos ergo, & præſentem Imperij ſtatum amantes. virtutes, doteſque, quas quis deſideret ſatis *lib.* 1. deſcripſimus, ſpeciatim id animaduertendum, ne nimia ingenia, acuta illa atque ignea ſumantur, nouandis quàm regendis rebus aptiora: paria negotijs, non quæ ſupra ſint: flexibilia, & quæ tempori aptare ſe poſsint. Temporibus parere omnes politici præcipiunt. *Faciet*, inquit Seneca, *ſapiens etiam quæ non probabit, vt etiam ad maiora tranſitum inueniat; nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit, & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtetur rei agendæ cauſa.* 3. *Ad eam amici adhibendi.*

Elegit, inquit Sueton. *amicos, quibus etiam alij poſt eum Principes acquieuerunt.* perperam enim agunt, qui initio Magiſtratus aut Imperij deceſſoris conſiliarios vel aſſeſſores repudiant. *Amicum patris tui ne dimiſeris. Prouerb.* 16. *Eccleſ.* 19. eos quidem intelligo, qui ita ſe geſſerunt, ita vixerunt, vt eorum probetur fides, ac integritas. liberos decet eſſe heredes, non modò facultatum, ſed etiam amicitiarum paternarum. non eſt amicitijs vtendum vt floribus, tam diu gratis, quàm diu recentibus. Præterquam quod anteceſſorum conſiliarij rerum geſtarum cauſarumque ſint gnari, quas qui ignorant, eumdem finem rarò attingunt. ex illis eadem Reipublicæ adminiſtrandæ facies, ex his noua apparet. in quibus duabus rebus magnum momentum ad continendum in officio ſubditos, aut ad nouandum animandos. 4. *Etiam veteres.*

Ingenia rurſus indefeſſa, quibus hoc perſuaſum, vigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia cedere: quibus aſsidua cura Reipublicæ moleſta non ſit. qui non exiſtiment negotium eſſe Principis, & otium Senatoris. *Vidiſti*, inquit Salomon, *Prouerb.* 22. *virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit.* 5. *Indefeſſi.*

Iterum ſenes, quibus etſi corpus annis infirmum, ingenium ſapientiâ validum ſit. quos experientia & rerum multarum vſus erudijt, atque effecit vt acutiùs quàm alij proſpiciant. qui morum 6. *Senes.*

animorumque prouinciæ sint gnari, sciantque, ad consilium de Republica dandum, caput esse nosse Remp.

7. Fidi. Qui eâ doctrinâ sint imbuti, de qua Plato *Epistol.* 10. constantiam, fidem, animi sanitatem, ego aio veram philosophiam esse, aliàs autem quascumque & aliò tendentes sapientias, si elegantias & argutias dixero, verè censeam appellasse.

8. Togati. Sed & illud ex Cassiodoro 3. *Variar. epistol. trigesima tertia, nihil dignius esse, si & Senatorio vestiatur honore, togata profesio.* & Plauti *epidic.*

——— hic erit optimus,
Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet.

Vnde mirum non est quòd Alexander Imperator adolescens, Syrus, alienigena, tam benè imperarit, qui tam multos Iureconsultos adhibebat consilijs, & imprimis Vlpianum, quem nunc parentem, *l.* 4. *Cod. locati.* nunc amicum vocat, *l.* 1. *Cod. de com. stip.*

9. Linguarũ periti. Linguarum etiam peritiam desiderem. *Linguarum enim diuersitas* inquit Augustinus *de essentia Diuina, hominem alienat ab homine.* & historiæ cognitionem. quæ verissima disciplina est, exercitatioque ad res ciuiles. conglobata quædam & coaceruata sapientia, hominumque multorum mens in vnum collecta. qui præteritorum meminerit, de futuris etiam rectiùs deliberabit. rectè Alexandro *fuit consuetudo*, inquit Lampridius, *in eius vita, vt si de iure, aut de negotijs tractaret, solos doctos, & disertos adhiberet: si verò de re militari, milites veteres, & senes bene meritos, & locorum peritos, ac bellorum, & castrorum, & omnes literatos, & maximè eos qui historiam norant, requirens*, quid in talibus causis, quales in desceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel externarum gentium fecissent.

10. Veritatis amantes. Nunc in ipsa consultatione optem eos qui veritatis sint amantes. Veritatem vt filiam Iouis venerentur. non vt blandiantur auribus: sed malint veris offendere, quàm placere adulando. qui, vt Epaminundas, ne ioco quidem mentiantur. quibus linguam non suspendat inclusam metus, qui non quæ potentibus placent spectent, corporumque vmbras imitantes, omnibus illorum dictis assentiantur; quibus denique consiliorum gubernaculum lex Diuina sit, qui veri copiam faciant, non perplexa, & quo ducantur inclinatura respondeant.

Veri-

Veritatis comitem ergo desiderem, libertatem, & constantiam. quâ non interdum alia atque alia decernant, nec vt eorum qui dominantur simultas aut arrogantia fert, ita bonum malumvè publicum existiment. non peruicaciam tamen admisero, quâ rationi meliori allatæ non cedant, aut rei mutationi. non est turpe cum re mutare consilium. melius est recurrere è medio cursu, quam malè currere. Constantia enim non est nisi in bona causa, & cui subsit veritas. quæ vbi deprehensa est, *nihil tam deceat*, inquit Cicer. *lib. 1. de off. quàm in omni re gerenda consilióque capiendo seruare constantiam.* sic tamen vt modesta & prudens moderatio adsit. sicut enim constantia non sinit hominem deprauari, sic peruicacia non corrigi: proinde sicut illa laudanda, sic ista est emendanda. 11. *Liberi.* 12. *Constantes.*

Iterum in dando consilio, *Omnes homines*, inquit Salustius, *qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet.* Affectus vt in plerisque sunt diuersi, ita iudiciorum discordiam & peruicaciam generant: 13. *Affectibus vacui.*

——— scissura domestica turbat
Rem populi, titubatque foris, quod dissidet intus.

Peruicacia porrò maximè consultantibus nociua est. boni, & prudentes sicubi ipsos errare contigerit, indicatæ veritati libenter assentiuntur. at vulgus ineptum contumacissimum est. at multi vulgi vitia habent. Augustum in Spirensi Senatu decretum; *A dissidijs vtrimque contumelijsque abstinento: paci & concordiæ mutuæ studento.* & rectè Plinius, *Singulis re integrâ dissentire fas esse; peracta, quod pluribus placuisset cunctis tuendum.* absint qui errare malunt & eam sententiam quam adamauerunt, pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia quid constantissimè dicatur exquirere. 14. *Non peruicaces.*

Nihil attinet dicere abesse debere pecuniæ studiosum, futurum perfidum Consiliarium, Iudicem irreligiosum, Magistratum quæstui & muneribus obnoxium. abesse debere & eos qui improuidi, & arrogantes cum securitate quidem decernunt, & in ipsa rerum administratione deficiunt. qui non meminerint Hermocratis ad Syracusanos, *Quoniam*, inquit, *Athenienses propediem huc sunt appulsuri, videte quâ ratione pro viribus, opibusque vestris ipsos honestissimè propulsaturi sitis: & cauete, ne per hostium contemptionem ab ipsis imparati opprimamini, neuè rumoribus, & nuncijs alicundè allatis fidem non habentes, rerum summam negligatis.* hæc pestis plerumque hodie potentissimos ludibrio exponit. 15. *Non cupidi.*

Cun-

16. *Festini lentè.* Cunctatorem & celerem prout & casus, & tempus expostulant amo. qui non inutili cunctatione agendi tempora consumat, nec audeat satis, nec prouideat: qui in gerendis negotijs non ignoret sequendas temporum oportunitates, & in occasione rerum desidiam, ac tarditatem omnem quàm diligentissimè fugiendam; & è contrario, cùm mora sine periculo esse potest, tutiorem esse cunctationem, ac tarditatem. Fabius ille Max. cunctando restituit rem. Aratus Achæorum Dux *in consilijs*, inquit Polyb. *lib.* 4. *segnis erat, in subeundis periculis timidus, quo factum est vt triumphis maximis omnem Peloponesum impleuerit.*

His igitur in rebus rursus valet prudentia, & illi sunt adscisendi, qui ex præteritis atque præsentibus rectè de futuris coniecturare norunt, atque in quamcumque partem futurorum incertitudo inclinauerit, solertia expedire consilia: & cæteroquin, quantum fieri humanitus potest,

Commississe cauent, quod mox mutare laborent.

Quod exactiùs obtinent, qui à pueris ad Rempublicam sunt formati, pridem in ea versati, pluribus cingulis vsi, gradatim prouecti, per Virtutis ad Honoris ædem ducti, qui alium post alium sibi Magistratum peperere, semperque in potestatibus eo modo agitauerunt, vt ampliore, quàm gerebant, digni haberentur: qui non tantùm res oculis visas, manibus tractatas norint, sed & gesta maiorum, atque historias domesticas atque externas: qui consiliorum atque euentuum commoda atque incommoda animaduerterint, quæ morâ, quæ festinatione consilia fuerint corrupta. vbi ergo, inquiebat Petrus Aldobrandinus, vrget temporis angustia, accelerandum non est, sed maturandum; illud enim inconsiderati est animi, hoc verò prudentis.

17. *Taciti.* Tandem & taciturnitatem omnimodo exigo; si enim magna pars est rei benè gerendæ nosse hostium consilia, tanta ex aduerso est ea celari. *Taciturnitas*, inquit Valerius, *optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum*: & Plinius, *Tempestiuum silentium* ait *rem esse sapientissimam.* Sanè diligentiùs tuenda sunt deposita verborum, quàm pecuniarum. pauci sunt qui auro corrupti deposita arcana suorum Principum prodant: multi qui incuriâ, indiligenti custodiâ, de illis imprudenter dissertando, dum sermones ab alienis auribus capi possunt, vel chartas arcanas infidis ministris fidunt; ex quibus alij per plures interpositas personas, auro corrupti ea tanquam rerum nouarum curiosi dumtaxat expiscantur. Absint ergo à conuiuijs de arcanis colloquia. Vino redun-

redundante nẽ secretum quidem onerati continent. quod suum alienumque est, pariter effundunt. Optimè Diuus Ambrosius, *De Elia & ieiunio, cap. 17. Plerique*, inquit, *vino vtuntur vt eculeo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia.* ita fecêre Crassus, Bonosius, atque hodiè nihil est frequentius.

Eumene Rege in Senatu Romano audito, cùm de toto bello aduersus Persen deliberatum esset, in præsentia nihil, præterquam fuisse in Curia Regem, scire quisquam potuit. Bello denique perfecto, quæque dicta ab Rege, quæque responsa essent emanauere. quot hodie vbique rimæ! auriculas asini quis non habet!

Alterum quod prodendis consilijs occasionem dat, est consultorum discordia, dum inuicem animis & sententijs dissident, & quique apud amicos de alteris conqueruntur.

Tertium est, vt quantacumque sit communio diuini humanique iuris maritum inter & vxorem, nullatenus tamen cum hac ille arcana Principis communicet. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodias claustra oris tui.*

Deuenimus nunc ad eum, qui consultatione vtitur, Magistratum, Iudicem, Principem. eius partes sunt ita se exhibere, vt consultos non habeat tamquam pædagogos, non eorum arbitrio regatur, non aliorum consilia dumtaxat otiosè audiat, sed ipse quoque de rebus diligentissimè cogitet, examinet consilia, & non citò facili credulitate ad falsa prolabatur. non tam quis dicat, sed quid dicatur expendat. 18. *Cõsultans.*

Quandoque est olitor non importuna locutus. & aliquando sapientissimi falluntur; contemptus dat optimum consilium.

Libertatem porrò non concedat tantùm sed iuuet, vt maximè iuuenes animet, verecundioresque, ne seniorum antiquati cedant, néue pudore vitioso illis contradicere nolint, & minùs sint libera eorum suffragia. propositâ libertate vniuscuiusque sententiam certò cognoscat, collaudet etiam honoretque benè consulentes, nec alios ignominiâ afficiat, aut culpet. defuturi sunt qui suadeant, si malè suasisse periculum sit. Augustus seriò omnes cohortabatur, vt suum sibi consilium aperirent, annuens eis omnem libertatem. Hadrianus etiam non ægrè ferebat admoneri, & corrigi, vel ab humili persona. sic vt præter sententiam etiam subitò ac fortuitò iuuaretur. 91. *Libertatem iuuet.*

Assentatores, & quos videt non ex animi sui sententia suadere, dissuadere; sed adulandi certamine, vnaque contentione, quis 20. *Assentatores oderit.*

quis blandidiſsimè fallat ; æſtimet in conſilio Reipublicæ perniciem maximam adferre ; patriæ virtutiſque inimicos, vt coruos eſſe. illi mortuorum oculos, hi viuorum animos ac mentes perdunt, & excæcant. claudendæ aures adituſque ijs, quibus omnia potentiorum honeſta, atque inhoneſta laudare mos eſt. Denique ſuſpectos habeat, qui alios arcent. Principes perdunt, qui eos à populo ſemouent, qui ſoli internuncij ſunt, aliud quàm reſpondetur ſæpè referentes, claudentes Principem ſuum, & agentes ante omnia ne quid ſciat.

In aſſentatione credat Theophraſto, turpe colloquium eſſe, & obſequium omne aſſentatorum vtilitatis gratiâ inſtitutum; quos & Socrates dicebat, vt lupos canibus, ſimiles eſſe amicis: diuerſa tamen ſtudia ſequentes : & Diogenes vt ſepulchra, quæ ſolum amicitiæ nomen inſcriptum habent. quos Terentius deſcribens optimè aſſentatorem ita loquentem facit poſt cætera;

Quidquid dicunt, laudo : id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Negat quis ? nego : ait ? aio : poſtremò imperaui egomet mihi
Omnia aſſentari : is quæſtus nunc eſt multo vberrimus.

Is vſus etiam nunc eſt frequentiſsimus : pauciſsimi Principes ſatis hoc genus hominum noſcere, vitareque potuerunt. non Alexander, non Cæſar, non Craſſus, non alij magnis illis ſimiles. quiſque ſibi eſt indulgentior ; & quamuis ſuorum vitiorum conſcius, palàm tamen laudari amat. Ioannes Papa XXIII. cùm plus æquo laudaretur, Scio, inquit, me ludi, ſed falſa quoque laus me delectat. ſed multi adulatorum conſilijs in præcipitia acti ſerò eorum laudes ſunt deteſtati ; prudentes tempeſtiuè. Auguſtus vt peſtem reiecit. Iouinianus teſtatus eſt, ſe deprehendiſſe, non eos Deum colere, ſed purpuram. Alphonſus nihil magis eſt auerſatus, quàm adulatores. Conſtantinus tineas, & ſorices Palatij appellauit. Tiberius ſummè odit. Penſennius Niger laudes audire noluit ; Viuus, inquit, volo placere ; mortuus etiam laudari. Attila carmen in ignem coniecit, quo poëta pro more originem eius ad Deos retulerat. Igitur Conſultans Principum laudatorum exemplo genus hoc hominum hoſtiliter amicum cane peius & angue oderit, & à veris amicis diſterminet: hos quidem, vt in rem Conſultantis & publicam conſulentes, æſtimet, obſeruetque ; illos autem, vt in rem ſuam, quæſtumque mendacij.

21. *Publicum bonum ſpectet.*

Præſeferat ſemper in omni deliberatione Conſultans honeſtatem, virtutem, bonum publicum. ea omnino deliberanda non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio. ſalutem Rei-

Reipublicæ tueri nulli magis conuenit, quàm Principi. ita se ostendat Rempublicam gerere, vt sciat populi rem esse, non propriam.

Ad hæc numquam Consultans demonstret indignationem aduersus eos, quorum bona consilia successu caruerunt. solus Deus rerum exitum in potestate tenet. sæpè praua magis, quàm bona consilia prosperè eueniunt. vulgus eorum fidem qui in dandis consilijs, & in gerendis rebus solent versari, ex euentu solet æstimare. 22. *Nulli indignetur.*

Tandem auditis consultorum consilijs iudicium suum Consultans ipse suspendat, gnarus eam esse regalem virtutem celeriùs necessaria sentire, & tardiùs in verba prorumpere. rarò admodum quid facturus sit præ se ferat, nec sermone tantùm celet : ipso aspectu & vultu non reuelet sua decreta. quid facto opus sit, cum multis deliberet : quæ agere voluerit, cum paucis communicet. & vbi optimum ex omnibus consilium ceperit, apud se solum teneat, ne aduersarijs hoc indicetur, & insidijs eorum appetatur. Concilio soluto, si res moram patiatur, Consultans rationes vtriusque sententiæ memoriâ repetat, ac ruminantium animalium instar, iterum, iterumque mandat, digerat, concoquat, 23. *Dicta expendat.*

Per noctem plurima voluens.

Nox dabit consilium. antelucana cogitatio declarabit, quid bono publico magis expediat. Non tamen à consilijs facilè abscedat eorum, quos pridem expertos, sagaces, fideleſque cognouerit. elegit, inquit, Seuerus amicos, quibus etiam post eum Principes acquieuerunt. acquiescat, nisi melior omnino ratio secus suadeat. 24. *Deo commendet.*

Et vt veteres etiam Deos in consilium adhibebant, auguria, & auspicia sectabantur, ita & Christianus sapientiam à Deo expostulet, & Christianè illud ethnici sectetur ;

si consilium vis ;
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris.

Deum inuocet, vt consilia optima inspiret, dirigat, prosperet. apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. ipse dat mortalibus sapientiam, & ex ore eius prudentia & sapientia : ille quem voluerit spiritu intelligentiæ replebit, & tanquã imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & diriget consilium eius, & disciplinam; sine illo sana consilia in finem insanum desinunt. manum inijcientibus fatis hebetantur sensus hominum. cogitationes mortalium timidæ, & incertę prouidentiæ nostræ : Deus autem dat consilia magnifica, & recta : qui confidunt in illo, intelligent veri-

tatem : à peccatis puri expectent quod *Iudith cap.* 5. Achior ad Holofernem ait, *Non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.*

CAPVT XXXVIII.

Monita Miscellanea.

1. *Omnibus diuinæ apprecatio præmittenda.*

INstruximus hactenus Iudicem variâ disciplinæ supellectile, siue decernat vt Iudex, siue ordinet vt Magistratus, siue consulat vt Senator; omnemque in legitimos ordines commeatum digessimus. supereſt vt quemadmodum exercitum lixæ, calones, aliaque id genus confusa turba sequuntur ; ita hîc extra ordinem Miscellanea monita varij generis subiungamus : quæ si exactè singula pertractanda forent, in immensum voluminis oceanum excurrerent. Reliquimus ergò mox auguste consultantem, cum summo Numine. id rursùs repetendum est. finis omnis atque initium à Deo sumendum. ideo ille Alpha est & Omega. omni ergo in deliberatione, omni in actione eum sibi proponat, inuocet, veneretur. per eum *Reges regnant & legum conditores iusta decernunt.* Rectè Cambises ad Astyagem : *Dei esto amicus, in eundem pius, nihilque aggrediaris, nisi Diuino Numine implorato. imbecillis enim est & hebes mortalium natura. nihil autem Dei sapientiam latet. omnia ex sententia eis cedunt, quibus illa præsto est. oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.*

2. *Norit qui regit seipsũ quo iure præsit.*

Post diuina principia, inter humana imprimis Nosse se ipsum oportet, quo iure præsit, imperet, regnet : optimo, maximo, an restricto. cuius ob rei ignorantiam incuriamve, multi se atq; Remp. perdiderunt. neque res eget exemplis è cœlo descendit γνῶτι σεαυτον. Noscenda natura vulgi est, & quibus modis temperanter habeatur: noscendus populus cui quis præest, quibus moribus, quibus legibus, quibus fœderibus contineatur, quos domi vereatur, quos foris comiter obseruet. cum populo ita agendum, ne quid ingenio eius displiceat. affectanda eius beneuolentia, in Principem statumque publicum prompta inclinatio, & amor. eâ tamen temperie, vt ne aut reuerentia terrore, aut amor humilitate captetur. ita habeatur vt pareat, non vt seruiat. beneficentiâ mulcendus est, tantaque indulgentiâ, quantam legum benignitas permittere possit.

3. *Norit quos regit, placeat.*

4. *Salua authoritate.*

Inter hæc tamen, eâ viâ incedendum est, vt existimatio, auctoritas, atque vis Imperij nullatenus remittatur : vt facilitas non

non minuat reuerentiam, humanitas dignitatem, vel benignitas Imperij Maiestatem. etenim illa salutis est tutela. oportet metuant Principem subditi, non oderint, sed venerentur admirenturque. metuant seueritatem: careant illecebra peccandi spe impunitatis, abstineant à prauis ob turpitudinem, ob supplicia, & pœnam. non tamen ita frequentem, vt crudelitatis speciem præ se ferat, sed vt ex parcitate animaduersionum pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat. Ita constantibus legibus moribusque, vt non indies vertantur, & euertantur. nihil enim magis ad contemptum legum pertinet, atque imperantium; quàm frequens mutatio. non coalescit planta quæ sæpiùs transfertur. non leges atque imperia veneratrices in animis subditorum radices figunt, quæ quod iusserant, vetant; quod vetuerant iubent: nisi quando forsan liqueat nociturũ priscum rigorem, & nimiam seueritatem, atque tunc sensim agant, atque pedetentim quædã ex tempore disponendo, quædam in tempus reijciendo. Mores etiam atq; virtutes in eo qui præest constantes mirificè ad venerationem faciunt, præsertim dum prouidentia accedit, & læta successibus fortuna, atque augusta corporis species, aut saltem augusti oris compositi gestuumq; grauitas quam obuii, non vt acerbam metuant, sed vt Imperio dignam vereantur. quæ non in omnes conuentus ingeratur, sed cuius vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia sæpiùs tueatur.

5. *Quibus modis, & moribus.*

Comitatus etiam atque familia splendeat. non quidem vt fastuosus superbiat, sed supra vulgi sordes emineat; habitu imprimis atque vestitu decoro. natalium etiam atque generis splendore emineat. neminem enim excelsi ingenij virum humilia delectãt, & sordida. sint tamen qui ita maiorum factis glorientur, vt virtutem imitentur. quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? *In amicorum legendis ingenijs damus operam, vt quàm minimè inquinatos assumamus.* Senec. *de tranquil. cap. 7. Duo sunt quæ ab egregijs Principibus expectantur; sanctitas domi, & in armis fortitudo, vtrobique prudentia.* Aurel. *in Traian. A domesticis*, inquit Cassiodorus, 10. *Var. epist. 5. Velis inchoare disciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando tuis cognoscaris excedendi licentiam non præbere.* quæ non vidit omnis ætas Reipublicæ mala, dum quò sæpiùs, eò apertiùs delinquunt marcida quædam Aulæ mancipia? magni liberti, magni eunuchi, & sub his numerosi nequitiarum asseclæ magnas sæpissimè strages dederunt.

5. *Comitatus splendeat.*

Assiduas etiam aularum pestes, qui præsunt, fugent qui, eos, qui virtutibus antecellunt, inuidia premunt; specie amicitiæ dolum parant: supplantatores, & funambulos simplicitatis alienant. quibus

6. *Absint aulicæ pestes.*

ad reprehendenda aliena facta & dicta ardet animus. qui secretis criminationibus infamant ignarum ; & quo incautior decipiatur, palàm laudant.

7. *Quales Magistratus eligat?*

Sed imprimis in magnis Magistratibus, qui circa Principem, aut in Principalibus negotijs versantur, eligendis spectanda est generis claritas. *Tuli*, inquit Moys. 1. *Deut. de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, tribunos, centuriones, & quinquagenarios, & Decanos. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ. Parab. c.* 3. Solon Areopagum ex ijs constituit, qui honesto loco nati essent, & egregium virtutis & temperantiæ suæ specimen præbuissent. non tamen excludendi sunt noui etiam homines, quos virtutes in excelso statuunt. nam apud *maiores virtutis id præmium fuit, cunctisque ciuium*, inquit Tacitus, *si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus.* Ventilabrum est seditionum videre malè collatos Magistratus. *Malum est*, inquit Vopiscus in Tacit. *habere Imperatorem, qui eos faciat Consules, Duces, Iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit. Est malum*, inquit *Eccles.* 10. *quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis ; positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum : vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos. Regnum Romanum*, inquit D. August. *tam diu perseuerauit, quàm diu sapientes regere permiserunt. sed dum iuuenes inexpertes elegerunt, tamquam iustitiam ignorantes, acceptores personarum facti sunt, & iustitiam perdentes, dominium orbis terrarum amiserunt. Iuuenes ergò imprudentes constituendi non sunt Duces, vel Ecclesiarum Pastores, ne ipsi simul cum populo pereant.* Tales enim si præsunt, *non solùm præterita, & futura non cogitant, sed aures etiam obturant, ne quod verum & bonum est, audiant.*

8. *Tutiora eligat.*

Iterum qui præest, aut ei consulit, omissis præcipitibus, tuta & salutaria capessat. non ambiat quod multi inuideant, plures etiam concupiscant. non durat, nec ad vltimum exit nisi lenta felicitas. quidquid excesit modum, pendet instabili loco. non ambiat quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Abraham Bascha deprecatus eminentiores dignitates Solimanum rogabat, vt moderatiorem fortunam illi impenderet. modicis rebus longius æuum est.

9. *Non sit credulus.*

Rursus qui communem hominũ sortem excellunt, æmulationi obnoxios se sciant. credant neruos esse atque artus sapientiæ non temerè credere. fraudis atq; insidiarũ & perfidiæ plena sunt omnia. diffidant ergò semper ignotis, & vix dũ notis fidant. Ita tamen se habeant quasi maximè fidere videantur. detecta enim diffidentia repudiũ est amicitiæ. quod maximè periculosum est, si diffidere videaris,

non

non his illisvè personis, sed integrè cuipiam nationi. Vtrumque in vitio est, & omnibus credere, & nulli. itaque simules oportet inuitus, & dissimules cum dolore. Agesilaus sese ita assuefecerat, vt metuens hilaris videretur: secundisque in rebus longè timidissimus esset.

Sed & alij Principi necessariam custodiam assignant. nec censent maiestatem sine viribus tutam. stipatores exigunt qui somnum eius nocturnis excubijs muniant, latera obiecti circumfusique defendant, incurrentibus periculis se opponant: sed fidissima est custodia Principis ipsius innocentia. hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. 10. *Princeps custodiam habeat.*

Non sic excubiæ, non circumstantia tela,
Quam tutatur amor.

Amorem ergo apud populares, metum apud hostes quæramus: amor aduersus vim externam, aduersus domesticas insidias æquè valet, arma aperta palam vites, fraus & dolus occulta, eoque ineuitabilia, nulla vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perijsse expetit. Quin etiam qui puniendi causam habent, modū habeant. nec ijsdem de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. nec frequens sit vindicta, vt paucorum odium reprimat, omnium iritet. Tributa noua populum non decorient. vetera sine auaritia & crudelitate tolerentur, neque nouis acerbitatibus ad inuidiam vertantur. pecuniæ non illudatur, nec per turpitudinem qui præsunt abutantur. Alex. Seuerus aurum & argentum rarò cuiquam nisi militi diuisit. at hodie milites sunt mendicabula, aurum & argentum nonnullibi deriuatur ad alias Reipublicæ sanguisugas. *Sæpè*, inquit Salustius ad Cæsarem, *iam audiui, qui Reges, quæ ciuitates, per opulentiam magna Imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant. Fiunt*, inquit Aristoteles, 5. *polit. mutationes, cùm homines sua consumunt prodigè viuentes*, adde & largientes. 11. *Sed magis affectum populi. Quis?*

Et quoniam præmia bonorum, malorumque, bonos ac malos faciunt; bonorum præmia numquam omittantur, numquam malorum. præsertim in bello, vbi peccare bis non licet. frustra lamentis repetuntur florentes exercitus, classes, legiones, inediâ, incuriâ, ignauiâ deperditæ. in causas inquirendum, & sæuiendum. militaria delicta mortalia sunt. ex puncto pendet immensitas rerum. numquam ergo impunita sint; nisi fortè ex clementia, cùm citra Reipublicæ periculum atque impunitatis spem trahi in exemplum non possunt. qui enim Reip. ex delicto illatam iniuriam non punit, nouam prouocat.

Odium refert qui præest, si merita non remuneratur. contemptum etiam, si pœnas noxijs non irrogat. exinde nascitur facultas faciendi quod cuilibet visum. quæ non potest comprimere ingenitam singulis hominibus prauitatem.

13. *Solicitus sit.* Nihil porrò vehementiori impetu Imperia in ruinam agit, quàm incuria: si qui præest leui auditu quamuis magna transmittat, abundè ratus, si præsentibus fruatur, nec in longius consultans. tempus otio, aleæ, luxui, & saginæ dispartiens; lusus in medias noctes, somnos in medios dies protrahens. *Solutè viuentes*, inquit Aristoteles *lib. 5. politic. cap. 10. despicabiles fiunt, & multas oportunitates præbent hostibus.*

14. *Imperiorum ruinæ, causa, indicia.* Quamuis etiam periodi sint ortus interitusque Imperiorum, vt sæculares mutationes obseruauit Chokier *polit. lib. 6. cap. 1.* diuino tamen nutu digeruntur. qui & solet prænunciâ mittere discordiam. solet malum extremum discordia præcedere. ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps est. solent deesse bona consilia, aut à discordibus inuicem destrui. per eam res maximæ dilabuntur. oderit discordiam quisquis imperium amat. *Haud leue*, inquit Tacit. *2. Annal. decus Drusus quæsiuit, illiciens Germanos ad discordias.* quâ eâdem arte multi hodiè aduersus vicinos vtuntur. dum credimus discordias ex se ipsis nasci; serunt sapientes Duces, & multo precio emunt hostium discordias: dum sciunt, ne minimam quidem nationem posse ab aduersarijs deleri, nisi proprijs simultatibus se ipsa consumpserit.

Iuxta hos, *Mali*, inquit rectè ille, *dæmones sic implicuere nostras mentes, vt relictis veris hostibus, quos longa pace frui permittimus, in nos nostrorumque membra armatas, & sanguinolentas conuertamus manus.*

15. *Curetur domi concordia, fortitudo foris.* Duo sunt, inquit Polyb. 6. quibus omnis Respub. seruatur: in hostes fortitudo, & domi concordia. in hac quies, tranquillitas, salus; in illa Reipub. tutela, hostium propulsatio, vindicta, etiam pomerij prolatio consistit. vtraque prudentiam exigit, hæc togæ, illa sagi. hæc boni patrisfamilias prudentiam quadamtenus spectat, illa Ducis. altera quidem semper alterius indiga, sed *virtus militaris præstat cæteris omnibus: sacra prophanaque omnia latent in præsidio, ac tutela bellicæ virtutis.* Militaris ergo prudentia ambabus vlnis amplexanda, quæ principiò omnem temeritatem reijcit à bellorum initijs, progressu, & fine: vt nequid in eo suscipiendo, gerendo, finiendovè *Prudentia in quibus?* inconsultò agatur: non generatim tantùm, sed in quolibet etiam actu, & scena. necubi desint consilia, apparatus, arma, pecuniæ, commeatus: disciplinam non potest seruare ieiunus exercitus:

tus: mendicitas ad omnem desperationem vocat armatos. non miles, non centurio, non tribunus officio fungitur, cui deest annona. quibus vt ad populandos, non iam dico finitimorum, vt Liuius *lib.* 28. sed suorum, agros, tectaque vrenda, & capienda pecora aliqua vis sit: ita in acie ac signis collatis nulla est exercitus lingua, quàm manu promptior: prædator è socijs, & ipse præda hostium.

Qui & hodiè ita habetur, vt quæ olim de disciplina & dilectu regulæ erant, philosophicæ scholæ dogmata nunc videantur. Infames militare non poterant: hodie quorumlibet criminum damnati multos numeros faciunt. disciplinam vix non omnes aut aspernantur, aut contemnunt. Alexandri Seueri *apud Lampridium* non seuerum iam iudicium, sed phantasma arbitrantur. *Disciplina*, inquit, *maiorum Rempublicam tenet: quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & Imperium amittemus.* Ita verò accidit illis Romanis. Repetat nunc memoriâ quisque suæ gentis disciplinam maiorum, atque an ab ea defecerit circumspiciat; & quid porrò in procinctu esse possit auguretur. 16. *Disciplina.*

Sub disciplinam igitur reuocandi sunt Legati, Tribuni, & quicumque militibus præsunt, metatores, atque ipsi milites. puniendi contumaces, emansores, desertores, transfugæ, proditores, seditiosi, qui in acie loco cedunt, se dedunt, arma amittunt, alienant, excubias deserunt, minùs rectè agunt, locum cui præsidio impositi sunt, amittunt, hostibus dedunt, ducem non protegunt, eius dicto non parent, furtis alijsque delictis militaribus se maculant. in eos iudicia, & pœnæ militares exercendæ. quibus de rebus omnibus, totaque disciplina militari optimè Aiala *tot. lib. 3. de re milit.* 17. *Quoad omnes.*

Sed quoniam milites, inquit Vegetius *l. 3. cap. vlt.* pœna & timor in sedibus corrigunt, in expeditionibus spes & præmia faciunt meliores; etiam præmijs, priuilegijsque milites animandi sunt. de vtrisque iterum rectè Aiala *ibidem cap. 7. & cap. 20.* & missione honestâ post emerita plurium annorum stipendia. *de qua idem cap. 6.* qui olim fuerant extensi ad annum 11. deinde 16. demum 20. quando erat coacta militia, & delectus. causaria missio hodiè magis in vsu est, & pro annis, & meritis stipendiorum incrementa, & honores. 18. *Qualiter.*

Vtraque prudenter dum pro meritis. sed admodum disciplinæ, & ærario illuditur, dum sine examine tribuuntur. dum quis in vnum diem centurio creatur, in annum signifer, quin & tribunus sine mili- 19. *Defectus.*

te: vt illis nominibus stipendia reciproca cedant, adeò vt numerus huiusmodi missorum in immensum creuerit alicubi; decreueritque ærarium, vt numeri militum ali non possint, sint cohortes in quibus sint, si non plures, numero æquales huiusmodi missi cum gregarijs, atque illorum multiplicatâ gente, non magnificata est horum lætitia. vbi isti magni manduci faciunt, vt grex ouium pascuo careat. neque tamen cùm ad pugnam ventum est, triarij isti vim omnem prælij excipiunt; sed in eos inclinata recumbit, qui corpus famelicum vix trahunt, manus ita debiles habent, vt conserere non dicam, sed mouere vix possint, corpore toto nudi, armis vacui, cædi idonei. & mirantur ignari vnde tanta auri vis tam steriles belli effectus pariat; & frustra dolent illi Principes, qui Regium non putant tantas summatim subducere rationes. miranturque si legunt aut vident extremos hominum ex despectis angulis orbis antrisque egressos, dum alio instituto, aliâ disciplinâ vtuntur, supremorum monarcharum conatus supergredi.

20. *Quales Duces requiri? quid curare debeant bello gerendo, finiendoq; summatim.*

Non pace, non bello res prosperè cedere possunt apud quos quæ diximus vitia: & duces contemnendis quàm cauendis hostibus meliores. sed ij exiguntur quos nullum belli genus non exercuerit: qui nouerint quantis belli neruis opus sit, quantos intendere possint, vnde & quomodo illi haberi quos in vsus & ad quã rationẽ impendi. quàm æquè quam æqualiter census agi, & pecunia imperari, & impensa populo probari, oculisque subijci. qui sciant quam promptè apud eas gentes pecunia conflatur, vbi ipse populus, eum cui maximam fidem rerum suarum habet, ipse deligit: cuique potestas omnis æstimationis summæque faciendæ, corrogandæ, & erogandæ permittitur. qui sciant quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendovè bello modus, qui milites habeant, castigentque vt liberos, & ab illis habeantur, & timeantur vt patres. qui vnum suum seruare malint, quàm mille hostium perdere (vt in Africa Carolus V. aiebat) qui tempestiuè in hyberna eos & æstiua deducant, curentque ne in compitis moriantur (vt Alexander Magnus militem in via deficientem suis ipse vlnis sustulit) qui exerceant legiones, etiam sine bello; nec disciplinam modò, sed exemplum etiam à se peti volunt: qui rumores non curent, sed malint eos sapiens hostis metuat, quàm stulti ciues, militesvè laudent: non vt hodiè multi videri malunt rem benè gerere, quàm gerere; magis occupantur corrogandis de re à se vt benè gesta testimonijs, quàm re bene gerenda: qui militem exerceant ad robur & virtutem, vt norint tractare arma, ambulare celeriter, &

æqua-

æqualiter locum non deſerere, ordines non turbare, inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrere, ferre pondus, ſolem, pulueremque, annonam pariter & arma, foſſam ducere, & ſudes ſcienter figere, quęcumq; euenire in acie atque pręlijs poſſunt, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere. ferre cibaria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre ſi quid ad vallum: miles centurioni, centurio tribuno obſequi, ad nutum regentis, ſine tumultu reſpondere. qui præſcribere ſciant in itinere vel acie incedendi ordinem, legitimum ſpacium quo miles diſtet à milite, qui non conglobent agmen, aut laxent. pro gradu leuioribus auxilijs, equitibus & peditibus loca oportuna deputent, centurias, & contubernia diuidant: luxum vitent, iactantiam ac linguæ ferociam, ignauiſsimi cuiuſque teſſeram: qui militem cogant vti cum prouincialibus iure ciuili: qui cùm diuerſarum gentium agmen ducunt omnibus ijdem ſint, nec cauſam præbeant, aut tolerent, quâ inter illas diſcordiæ ſuper viribus, meritis, prærogatiua, ordine excitentur; ſed omnia ea aut gradus, aut numerus ſtipendiorum, aut ſors, aut vices, aut æquæ omnibus conditiones, niſi fortè non æquo iure regnentur, definiant. alioquin credat eum, quem poſt-habuerit, pro ignominia id habiturum; Ducemque, Tribunum, Centurionem facilè deſeri ab eo, qui ſe credit contemptum, non obſequi ad imperia, non pugnare.

Qui gnarus ſit omnium temporum in bello habendam rationem. vbi facto magis, quàm conſulto opus eſt, quàm noxiæ ſint lentæ deliberationes; vt ex decreto bellum geri non poſsit; nec in vrbe ſciri, quid armato gerendum ſit. quàm ſæpè occaſio amplius iuuet, quàm virtus. quàm caſu oblata flectenda ſit ad conſilium. quàm nemo celeriùs opprimatur, quàm qui nihil timet. quàm nihil tam leue ſit, quod non magnæ interdum rei momentum faciat. qui ſuum & hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam regionis nouerit: & ante omnia hoſtium Imperatoris ingenium, & gentis quam in bellum ducit. qui norit quando pugnare expediat, quando tergiuerſari, quando domi bellum excipere, quando in hoſtilem agrum inferre; quando magno clamore, & concitato curſu pergere; quando loco manere, & impetum excipere. quando cedendo nimis progreſſum per tædia ac moras: quando ipſe non commeatum, non ſupplementum, non pecuniam habens (cùm fortiſsima conſilia tutiſsima ſunt) vi ac manu conari, vel cum multis rebus ſuperior eſt. alioquin quando nulla cogit res, non ſe committere fortunæ. quamuis oporteat bono ſemper eſſe animo Imperatorem in rebus ambiguis, etiam & aduerſis. ſpem vultu etiam ſimulare, læta nuncia in vulgus ſerere, in conflictu etiam fauſta quamuis falſa

incla-

inclamare. & nihil omninò exercitui, nonnullum metum hostium incutere, exercitum Numini Diuino reconciliare. nihil agere periculi tentandi gratiâ. milites suos secundùm hostiũ copias instruere, habere seorsim delectos qui fessis & laborantibus opẽ ferant: habere in occulto insidias: familiares cum familiaribus, notos cum notis collocare, splendidè instructa acie procedere, & iam ante secum constituere, quem cui in prælio opponat: ordines numquam soluere: ipsum manus non conserere, sed ad omnia intentum, vbique prouidere, angusta loca occupare, si inferior est equitatu: plana, si potior. militem non nisi pransum & curatum committere: & discretis nationibus, vt ipsa contentione decoris accedantur. aciem prior instruere, atque ita vt auersum solem & puluerem habeat. aduersus inopinata oculis auribusvè subiecta mox solerter prouidere: ore, vultu, gestu hortari, animare: nimium metum depellere: occurrare pauentibus, retinere cedentes, tardos impellere, nimiùm se diffundentes restringere: fugienti hosti viam aperire: non pertinaciter instare: ne vel tunc fortiùs ex necessitate resistat, & aliàs faciliùs acie cedat: non vti victoriâ nisi prouisum fuerit, ne ipse vincatur: non omisso hoste spolia consectari: obtentam victoriam prudenter prosequi, non degenere aliquo consilio, ignauâ, vel ignarâ arte quippiam aggredi, cuius infelix successus illius cursum sistat, victoriæ famam minuat, vnde cætera pendent. etiam modica damna famam partæ victoriæ lacerant.

Victor ergò cautè progreditur. victus marte aperto, ad stratagemata se vertit, ad belli furta, dolos, & fraudes militares. nec prælij vnius euentu paueſcit. reciprocæ sunt fortunæ & pugnantium vices. contra fortunam strenuè insistit spei, vires iuxta, & circumsitas inspicit. loca aliqua munita copijs & commeatu firmat distinendo hosti, dum noui dilectus, noua quæruntur auxilia, & dum vult pacem, bellum adhuc parat.

Vult autem quisquis bonus est Imperator, siue victus, siue victor, dum æquæ conditiones haberi possunt: dabit accipietque quisquis erit iustus. qui non dederit, qui non acceperit, memoriâ repetat, & maiorum, & nostrâ ætate fuisse victores, qui æquis conditionibus & cum laude poterant bello defungi, qui postmodum etiam plures post annos reparatis electorum viribus, & fœderatorum auxilijs vrbibus ipsi prouincijsque victis pulsi fuerunt.

Ideoque nec vnquam vna cum gente tot annos bella gerit, vt illa non notas antè vires introspiciat, cum finitimis & dissitis fœdera contrahat, contumax ipsa & armis exercita seruitutem abnuat, dominatum excutiat, libertatem vindicet, non timida iam amplius

ipsa,

ipsa, sed timenda fiat: non de penatibus solicita, sed iam alieni cupida: non domi iam sua tuendi, sed aliena inuadendi consilia agitet: non secum tantùm habitet, sed & alios Principes atque Respublicas vicinas remotasque toto orbe solicitet, ac vndequaque motis armis vires distrahat, à se auertat: vt iam de postliminio desperatio, de præsenti statu defendendo metus succedat.

CAPVT VLTIMVM.

Parenesis ad Iudicem, Magistratum, Senatorem.

IVdicis, Magistratus, Senatoris difficile est officium, functio ardua, munus *periculosæ plenum opus aleæ*. Noli ergo *quærere fieri Iudex, si non ualeas uirtute irrumpere iniquitates. Eccli. 7.* Nosce te ipsum: *& quid ualeant humeri, quid ferre recusent.* noli quærere, affectare, ambire honorem, cuius oneri non sis ferendo. nosce vires tuas, & muneris grauitatem, ne impar suggressus fatiscas, collidaris, opprimaris. examina te ipsum, an valeas *uirtute irrumpere iniquitates.* virtute, inquam, omnigeniâ, quam *lib.* 1. in multas sectiones partiti sumus; præsertim *in cap.* 5. quo in Iudice vniuersalem exegimus: & deinceps explicuimus. an tibi suffragetur consilium Iethro, Exod. *cap.* 8. Moysi datum, vt in subsidiarios Iudices assumeret sibi *uirtutis uiros*, eâ adeò præditos atque perfusos, vt ab ea denominationem mereantur virtutis: an tibi ea suppetat, quæ irrumpere valeat iniquitates: etiam vniuersas, quacumque parte virtutibus Iudici necessarijs, iuri, iustitiæque possint aduersari. Multæ eæ sunt virtutes, multæ iniquitates. multas *lib.* 1. virtutes exegimus, vt meritò ijs omnibus præditus à præcone proclametur, *Quis est hic, & laudabimus eum?* multæ iniquitates non tantùm singulis Iudicis virtutibus plures oppositæ, quas ipse vincere debeat: sed & quæ in alijs hæreant: *Totus* siquidem *mundus in maligno est positus*: quas in alijs Iudex debeat irrumpere.

Multæ sunt Iudicis actiones. plures his libris tetigimus, nec tamen omnes: generalia axiomata dedimus, & multa quidem; nec tamen omnes actionum regulas complexi sumus: sed generales iterum dedimus: quantus descensus est ad omnes species actionum, easque omnium negociorum singulares? quas vt infinitas non minus est impossibile pertractare, quàm inuidiosum, quæ experientia poterat subministrasse, attingere. à quo vel eò magis abstinuimus,

mus, rati veritatem in genere dictam satis odij parere, & si singulares multorum errores non refricaremus. difficilis est ergo functio Iudicis, infinitis etiam tricis impedita. *Noli* ergo *quærere fieri Iudex, si non ualeas uirtute irrumpere iniquitates.*

Quod si verò non ambitione tuâ, vt vulpes irrepseris, vt regnares vt leo, sed virtutum radijs clarescentem alij *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis*; Eccli.c.32. quale illud de Traiano Plinij elogium *in Paneg. unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat.*

Rectorem, inquam, *te posuerunt*, noli procaciter subtrahere te Reipublicæ, cui natus es, defodere talentum tuum in terra, sed admitte inuitus honorem, atque administrationem: at non tui, verùm Reipubl. causâ: In admissam omnibus neruis, omni corporis animique contentione incumbe rectè obeundam. semper animo tuo hoc præcine, quod Romanis sacerdotibus inculcari solet, *Hoc age.* quod Ecclesia in Ordinatione monet sacerdotē, *adimple ministerium tuum: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.* Noli extolli: semper repete illud Flori *lib.* 1. *c.* 7. quod eorum qui in potestate sunt *crudelitate grauior est bonis superbia.* quæ in ijs ipsis etiam vniuersa vitia, & iniquitatem significat. Vnde Romani Tarquinium vt Regum suorum vltimum, ita deterrimum *execratione postremâ hoc damnauerunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, auaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore uecordem, uocauerunt superbum: & putauerunt sufficere conuicium.* nempe in eo, qui Magistratum gerit, omnium vitiorum indicium. Noli ergò Magistratui impositus extolli, noli superbire: esto sicut vnus ex illis quibus præsides, non comes tantùm, benignus, & facilis moribus: sed viue etiam communibus eiusdem iuris regulis: patere legem quam tuleris: quidquid in alium iuris statueris, eodem ipse vtaris: eadem æquitate negocia tua compone, quâ in alijs definis: in omni actione tua nihil lege sit solutum: iudicia sint iusta, administratio ex re & salute publica, consilia pro veritate: vt quâ iudicijs præfectus es; omnibus æquam lancem serues: quâ Magistratui impositus; rem vt publicam, non vt tuam administres: quâ Regum negocijs, Principum consilijs adhibitus; recta, honesta, vtilia, salutaria liberè constanterque consulas. certus quod alioquin aliquando *recidet in auctorem scelus*, si consilio tuo fuerit, si vitio oppressa, suppressavè veritas, violata salus publica, devirginata iustitia.

Iterum Ianitores suos atque Ostiarios his verbis compellat, creatque Ecclesia, *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem, pro ijs rebus quæ his clauibus recluduntur.* clauibus potestatis tuæ spiritualis, sæcularisvè fortu-

fortunæ publicæ priuatæque continentur, salus publica recluditur & singulorum. sic res has tracta, sic negocia gere, sic age, quasi rationem Deo redditurus. *qui enim custodierint iusta iustè, inueniēt quid respondeant.* Sapient. 6. magna securitas iustorum Iudicum, inuenire quid respondeant, quando alij dicent montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super Throno, & ab ira Agni.* Apocal. *cap.* 6. Quòd si *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die Iudicij*: Matth. *cap.* 12. quanta erit danda de potentibus illis, & magnis verbis; *do, dico, addico, absoluo, condemno, præcipio, permitto, veto, sic volo, sic iubeo, sic placet*; quibus fortunæ, vita, salus publica, priuataque datur, aut euertitur? In his olim si iusta iustè custodieris, inuenies quid respondeas, quam rationem Deo sis redditurus: sin minus; montes rogabis, & petras, vt super te cadant, sed frustrà. *Discite* ergò *Iudices finium terræ, præbete aures qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est vobis à Domino potestas, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Sap. 6. quando *in igne Dominus diiudicabit*: Isaiæ 66. quando *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*: quando *occumbere faciet Dominus robustos*: Ioel. 3. quando *vlulabit Moab ad Moab*: Isaiæ 6. quando *labor stultorum affliget eos*: Eccl. 10. ignis in furore Dei succensus *deuorabit terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet*: Deuter. 32. quando *Deus vltionum* Psalm. 93. exurget in iudicium, tam tunc seuerum, quàm nunc *misericordia* eius *plena est terra, & miserationes eius super omnia opera eius*: Psal. 144. quando *horrendum erit incidere in manus Dei viuentis*: Heb. 10. quando *irregressibilis erit eius sententia & immutabile iudicium, & stabit damnationis immobile constitutum*: quando iniusti, verme eorum nunquam moriente, Isaiæ 66. habitabunt *cum igne deuorante, cum ardoribus sempiternis*: Isaiæ *c.* 33. atque ex aduerso *nimis honorificati* erunt *amici Dei, nimis confortatus principatus eorum*: Psal. 138. quando iusti circumdabuntur *diploide iustitiæ*: Baruch. 5. & *fulgebunt sicut Sol*: Matth. 13. qui iustam rationem dederint, *super omnia bona constituentur*: Matth. 24. quando eis *qui vicerint* dabitur *sedere cum* Christo *in Throno* eius. Apoc. 3. quando *aperientur portæ, & ingredietur gens iusta*: Isaiæ *cap.* 26. quando erit *opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ, & silentium & securitas in sempiternum*: Isaiæ *c.* 32. quando is, ad quem causa viduæ, causa Ecclesiæ ingressa fuerit, qui intellexerit *super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*: Psal. 40. quando qui esurierunt & sitierunt iustitiam

saturabuntur: eorumq; qui persecutionem passi fuerint propter iustitiam, regnum erit cœlorum: *Matth.* 5. quando Deus largissimus retributor, *mensuram bonam & confertam, & coagitatam dabit in sinum* iustorum: *Lucæ* 6. O ter felicem tunc, ter beatum, qui ita hîc egerit, vt redditâ Deo Iuris inter litigantes dicti, administratæ Reip. consiliorum, quà bello, quà pace Principibus datorum ratione, inueniet quod respondeat, cum Regio Propheta *Psal.* 118. *Feci iudicium & iustitiam*: & cum fiducia non tantùm cum D. Paulo 2. *Tim.* 4. sed securitate sempiterna poterit concludere; *Reposita est mihi*

CORONA IVSTITIÆ, *quam reddet mihi*

DOMINVS IN ILLA DIE

IVSTVS IVDEX!

INDEX RERVM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A.

Aaronis Rationale, 68
Abbas statim à professione nulliter electus, 57
Abbatis S. Vedasti laudabile exemplum quo pauperibus frumento opitulatur, 278
Abdicatio liberorum, 174
Abolitiones criminum concedere ad Principem spectat, 317. Quando fiebant, ibid.
Academiarum incommoda curanda à Principe, commoda augenda, 331
Academiarum institutio, 185
Academiarum erectio ad Reges & Pontificem pertinet; 319
Accusati criminis non possunt esse Iudices, 3
Accusatio Magistratus breui terminanda, 158
Accusatis vsque ad sententiam dignitas seruatur, fol. 157
Accusatorum non probantium, tergiuersantium, desistentium, calumniantium in criminalibus pœna, 214
Actio adilitia quando competat, 284
Actionis nomen an etiam edendum sit, 142
Adæratio bonorum, 415
Adoptio rara hodie, 174
Adoptione mutari familia citra Principis assensum non potest, 318
Adrianus Imp. multitudinem legum resecare destinauit, 163
Populo placando exactiones remisit, 413
In Iudices inuigilat, 126
Senatoribus interdixit vectigalium conductiones, &c. 249
Aduocati iureiurando compescantur ne improbis patrocinentur, 122
Reipub. vtiles vt milites, 282
Malignantes coercendi, 122
Aduocatos pupillis & pœperibus det Iudex, 129. 292. 120
Adulatoribus inimicus sit Iudex, 71
Adulterarum pœna grauiores quam virorum ex circumstantiis, & quare? 211
Adulteri à Sept. Seuero puniti, 44
in Adulteros pœna rectè lata, 189
Ædes priuatæ reparari iubenda, 286
Ædificia tam priuata quàm publica quomodo curanda, 280
Ædificiorum fauor, 284. ac modus, ibid.
Ædiles sternendis reparandisq; viis creati, 280. pontibus curandis, ibid.
Ægyptiorum Iudices erant Sacerdotes, 2
Ægyptij in otiosos inquirebant, 130
Ægyptij Reges quale iuramentum à Magistratibus exigebant, 23
Ægyptij vacuas sedes in iudicijs Angelis relinquebant, 74
Ægrorũ cura Iudici & Magistratui habenda, 299
Ælius Cratus Belgicæ Legatus C. Veterem deterruit, ne Mosellam cum Arari fossa connecteret, 278
Æquitas artem non remouet aut leges, 19. quid in Principe eiusq; concilijs supremis? & qualis, 19
Æquitas nulla facilè contra leges admittenda, 161 an summus Tribunalibus permissa? ibid.
Æquitati non contraria semper subtilitas, 18. sed calliditas, 19
Ætates quando Romæ discretæ legendis Magistratibus, 88
Ærarij fons perennis, agri, nemora, possessiones, fol. 412
Affectibus iudicia non obsequantur, 26
Affectus obcæcant, 27
Affectuum praui effectus, 27
Africanus honores fugit, 88
Agesilans Thebanos emisit, 356
Agoranomorum Athenis officium, 282
Agricolæ laus, 45. 252
Agricolarum nomen Romanis gloriosum, 274 Eorum priuilegia, ibid. & seq.
Agricultura maximè Romanis curiæ fuit, 269
Agriculturæ osores Thraces fuerunt, 269
Agriculturam exercere nobiles possunt absque præiudicio, 181
Agricultura veterum diuitiæ, 269
Eius cura, 274
Agri inculti ad culturam redigendi, 269
Agrippinæ inclementia, 45
Albanus Dux bellum celeriter agebat, 356
Albanum Tullius monebat, non tam cogitandum de sancienda in præsens amicitia quàm ne relinqueretur vlla in posterum bellandi materia, fol. 378
Albertus Pius quo idiomate vsus fuerit, 435
Henrico IV. remittere Condæam renuit, 388
Curat examinari latum introitum, & probat, fol. 326
Missum ad Batauos à Turca interceptum dimitti iussit innoxium, 262
Pacificator inter Hispaniam, Galliam, Belgicam, 378
Alberti Pij cum Batauis inducia, 389
Aleæ lusus prohibendus, 130
Alexander consilio Vlpiani frequenter vsus est, 306

Alexander Magnus celeritate vsus, 264
Assentatores vitare non potuit, 444
Latronum legatos admisit, 405
Asiæ imperium vno prælio rapuit, 281
Quare tam feliciter imperarit, 440
Quorum consilijs vsus, 440
Eius erga Pontificem Iudæorum reuerentia, 13
Eius in bello conficiendo celeritas, 356
Eius potentia, 265
Aloſtenſes validos mendicantes munienda vrbi impendunt, 239
Alphonſus parſimoniam Regum laudat, 412
Alphonſi Arag. Regis dictum, 20
Sophiſtas à foro arcet, 124
Alpini reprehenſi quòd Annibalem tranſire permiſerint alpes, 352
Amandatio ſpecie honoris Athenienſium oſtraciſmo ſimilis, 403
Ambitio alleganda, 87
Ambientes remouendi, fugientes admouendi honoribus, 88
Ambitioſorum ſpes ſeditiones cauſat, 220
Ambiguitas à lege abſit, 165
D. Ambroſius Theodoſio ſuaſit, vt pœna eorum quos ſupplicio Princeps affici iuſſerit differatur in 30. diem, 409
Amicus pro amico Iudex vſque ad aras, 27
Ancus Politiorum vrbem Latinorum cepit, hoſteſq; in ciuitatem accepit, 379
Angaria quid? 264
Angelos iudicijs præeſſe crediderunt Hebræi, 74.
Animaduerſio in iudices, 156. 159
Animi relaxationes an & quæ laudandæ, 301
Cum Macedonibus fœdus iniit, 384
Annatæ Pontificiæ, 89
Annibal vnius diei mora victoriam corrupit, 356
Annona abundans indulgentia tributorum populi blandimenta, 272. *Summè curanda*, 272
Reipublicæ coemenda, 277
Eius cura magnis viris demandata, 273
Eius diſtributio prudenter facienda, 279
Annonæ populares quæ, 273
Annonæ Præfectura, quanta apud Romanos, 273
Annonam etiam Epiſcopi curant, 277
Eam qui intra prouinciam emunt aut vendunt obſeruandi, 276
Antiochi deſperabundi vox, 66
Eius ad adulatorem reſponſio, 308
Anthenodori monitio Auguſti, 36
Antigonus Ætolos erumpentes fugere permiſit, 356
Antonini in Iudices cura, 126
Antoninus ſucceſſorem nulli bono iudici viuenti dedit, 97
Antonini Philoſophi Imp. clementia, 44
Antonius Faber laudatus, 62
Antuerpiæ vnde tanta adium pulchritudo, 280
illic propoſita præmia ijs qui de noua meſſe primitias venum primi adportant, 274
Antuerpienſis Senatus cura frumenti, 277
Circa peſte laborantes, 299
Quid contra meretrices ſtatuerit, 190
Antuerpienſis Magiſtratus quomodo creetur, 95
Apparitores quo numero alicubi olim, 256. *Eorum delectus, ibid.*
Appellatio, 117
Friuolæ reſcienda, 148
In criminalibus ſemeſtri terminanda, in Belgio non recipitur in criminalibus apud ſaculares, ibid.
Appellatio iuris remedium, & quæ in illa obſeruanda, 147
Appellationi affinis ſupplicatio, 148
Appellare à quibus non liceat, 148. *à minimis non appellandum*, 148
Appellatione pendente ab interlocutoria ſuper principali interim procedi vtile Reipub. 130
Appius eloquens, 50
Apprehenſionem quando permittant edicta? fol. 154.
Aquæductus bene curandi, 278
Per ædiles, 280
Aquilæ hieroglyphicum iuſtitiæ, 16
Arbiter an Iudex eſſe poſſit in cauſa ad tribunal ſuum ſpectante, 63
Arbitri Imperiti ſi malè iudicarint iure non reformatur, 53
Arbitros eligi quomodo conſultum, 63
Arbitro vno omiſſo cur ſententia irrita ſit, 35
Arbitrium belli ac pacis nota ſupremæ poteſtatis, fol. 311
Arbitrium Reipub. penes Principem ſolum ſit etſi plurium conſilijs vtatur, 429
Arcana cum miniſtris non communicanda, 254
Arces & muratæ vrbes an Reipub. expediant? in Belgio bellum ſuſtinuerunt, 281
Archidamus Rex ad concordiam litigantes quomodo coegerit, 121
Archidiaconorum dignitas, 201
Archiepiſcoporum & Metropolitarum præcellentia, 200
Areopagitæ cæci erant, ſeu de nocte iudicabant, 29
Argenti fodinæ, 269
Inter regalia cenſentur, 316
Ariſtides & Themiſtocles inimicitias in cauſa publica remiſerant, 405
Armanniæ quid? 318
Arma in ſuperiores vix vnquam iuſta, 235
Armis plebs abſtineat, 231. *habere plebi, fabricare non licet, non tractare, ibid.*
Armorum & quidquid eò pertinet penes Principem eſt diſpoſitio, 318
Artes liberales Reipub. vtiles & quæ, 184
Artes mechanicæ curandæ, 229
Artifices admittebantur ad Decurionatum, 248

Non sunt infames, *ibid.*
Asdrubal à Scipione victus, 353
Asiaticus Vitellij Libertus, 252
Assentatores odiendi, 443
Assessor peritus sit, 51
Iudici Theologo necessarius, 5
Assessores liberaliter habendi, 255
Depositio Magistratu per 50. dies in prouincia commorari debebant, 158
Assessores & pedanei Iudices exacti iurisperiti sint, fol. 52
Vni Iudici tantum assideant nec in causa in qua fuerunt aduocati, 255
Astyages quæ filio mandata dedit, 348
Athenienses præstito iuramento iudicant, 2
Illorum exitium quod? 379
Rastra, vomeres, aratra, vendi aut violari prohibuerunt tempore messu, 275
In victas ciuitates imperium non sumpsisse constat, 378
Attilæ carmen in ignem proiecit, quo poeta originem eius ad Deos deducebat, 444
Auaritia omnium malorum mater à Iudice abesse debet, 33
Auarus cur Iudex esse non possit? 34
Augusta an legibus soluta? 308
D. Augustinus fuit iudicijs occupatus, 3
Augusti liberalitas erga Magistratus, 156
Augustus dicere solitus illis quibuscum agebat, se esse bonæ fidei, 364
Illius potestas non pro libitu fuit, 325. *obtinuit 20. Senatores, quibuscum deliberata perinde essent ac si à toto Senatu probata, ibid.*
Principis nomine Imperium accepit, 295.
Tribunitia potestate imperiū sibi firmauit, 437
Assentatores vt pestem fugit, 444
Mœcenatis & Agrippæ consilio vsus, 437
Consilia libera expetebat ab omnibus, 443
A trigesimo ætatis anno Iudices adlegit, 85
Biennio continuo post adeptum imperium pedem vrbe non extulit, 432
A comitate laudatus, 65
Caracotæ latronum Duci fidem seruauit, 364
Cum Ægyptus primùm sub Regibus esse desijt, nouitate securium & fascium eum populum perterrefacere noluit, 294
Non habentibus vxorem cum reliqua supellectile qua missos iudices instruebat concubinas dedit, 253
Nulli genti bellum sine iustis & necessarijs causis intulit, 342
Aurifodinæ, 269
Inter regalia censentur, 316
Aurelianensium & Burgundiorum Ducum odia, in ipsas Prouincias transmissa, 378
Authographa exemplaria vt probent, 156
Auxilia infidelium an licita, 365

B.

Bacchanalia prohibita, 309
Bartolus à Perusinis deputatus ad Carolum IV. Imp pro confirmatione priuilegiorum, 168
Bastaga vnde? 264
In Batauia Magistratus quomodo creetur, 96
Batani mercimonia & artificia curant diligenter, fol. 230.
Reip. suæ prosperitatem aquæductuum ac portuum cura diligenti stabilierunt, 278. 279.
Non patiuntur aliquem publicè mēdicare, 239
Belgæ stylum præscriptum aut ordinandum seruant, 151
De Principibus benè mereri soliti, 258
In priuilegia perstantes, 170
Habent Principes ex successione non electione, nisi fortè ante Romanos, 327
Absurdè dicūtur subditi partitij à Besoldo, 327
Belgici mores circa Magistratus & functiones, 53
Belgium nunc schola Martis, 281
Belgicorum tumultuū de causis quid censendū? 237
Belli fœdera, 384
Belli ac pacis arbitrium supremitatis nota, 311
Belli consilijs qui interfunt & eius iniustitiā agnoscunt nec proprio Principi possunt militare, 361
Belli quæ causæ iustæ, 341. 343. *quæ culpabiles, ibid.*
Bello necessaria tempestiuè paranda, 356
Bellum iustè suscipiendum, iustè gerendum, iustè finiendum, 340
Bellum iustè gerendum, quot modis iniustè geratur, 346
Iniustè geritur si illicitis medijs, 365
Bellum offensiuum examinandum an iustum, 342
Bellum non animi causa gerendum aut militiæ exercendæ, 342
Bellum omne pacem respicit vt finem suum, 341
Bellum non iustè indicit qui superiorem habet & magis si vterque, 346
Bellum respectu hostium quando iustum, 363
Celeriter gerendum paratis necessarijs, 356
Bellum iniustum respectu modi, 372. *iniustum ex nimia sæuitia*, 373. *ex verborum contumelia*, 373. *iniustum respectu finis*, 374. *si cum finiri potest æquæ conditiones non acceptantur*, 375. *si petatur quod supra debitam restitutionem pertinet, ibid.*
Bellum non sine iusta causa indicendum, 342
non ad augendum Imperium, 343. *non ad nomen comparandum, ibid.*
Bellum iniustè geritur ex modo si non indicatur, 372.
Bella ciuilia regna pariunt, 437
Bellum quando non necessariò indicendum, 372
Belli iustitia an dolum permittat, 368
Belli successus iniquus propter iniquas cōsilia, 367

Bendes d'Ordonnance quæ vocentur in Belgio, 270
Beneficiorum pluralitas olim ignota, 203
Vetita quibus pœnis? ibid.
Beneplacitum an morte exspiret, 97
Benignitas in Iudice, 46
Bergizoma à Marchione Spinola obsessa, 281.350
Bibliorum lectio vernacula cur prohibita, 188
Bironius accusatus in iudicio sedit, 157
Bona causa melior sub Iudice quam arbitro, 63
Bona vacantia, nullius, Principi competunt, 316
Boni Principes voto expetendi, qualescumque tolerandi, 237
Boni superiores felicitas Reipub. 11
Bono ciui an & quando in partes eundum? 234
Bonorum Ecclesiasticorum pars quarta in reparationem olim sacrarum ædium destinata, 280
Bonosio consilia secretiora ebrietate prodita, 443
Bonus ciuis si sedandæ seditioni sufficit miscere se debet, 232
In Brabantia seruus libertatem acquirit. dominorum & seruorum respectus & potestas, 175
Brabanti quomodo Ludouico XI. restiterint? 265
Extra prouinciam ne vocentur, 340
Brabanti Duci Reipub. impari surrogarunt Dictatorem, 41
Brabantiæ potissima priuilegia, 325. 326
Breuitas in legibus sit, 164
de Breuitate & iudiciorum ordine. 131
Brephotrophium, 291

C.

Calliditas æquitati contraria, 19
Caligula sibi iurisdicendi auctoritatem soli vindicauit, non sine Reip. damno, 161
Calumnia absit à lite, 113
Calumnia quid? 361
Camera Imperij, 339
Camillus in Tusculanos armatus, benignè excipitur ab eisdem, 259
Campanæ pulsus cum supremitate excipi solet, 307
qui permissus? ibid.
Cancellariorum officium vnde? & nomen. 23
Candidati proclamandi ante electionem, 96
Canonici ad veterem innocentiam reuocandi, 202
Captiuus inuentus ditior lytri pactum non rescinditur, 392
Si moriatur an lytrum exsoluendum, 393
Captiuis testamenti factio est, 392
Captiuos qui eripiunt puniendi, 284
Capitula ad synodos vocantur, decisiuam vocem non habent, 199
Captura quæ vetita? 130
Capitula morum quæ? 199
Carcer & tortura mitigandæ, 245
Carcer ne sit diuturnus, 129
Carcer per se infamat, 153. præsertim quoad Clericos, 154.
Carcer priuatus prohibitus, 284. quibus permissus, ibid.
Carcer publicus sit, non priuatus, 215
Carceres publici, priuati, Monastici, 283
Carolus Audax ob Ludouici XI. perfidiam Artesiam & Flandriam liberas vindicat, 235
Parlamenti Mechlinienſis institutor.
Carolus Magnus scholarum præfecturam sacerdotali ordini attribuit, 183
Caroli Magni Iudicum cura; 126
Ipsi spata nuda præferebatur, 313
Carolus V. Imp. Nobilitatem pro meritis semper æstimauit, 270. eius in causis criminalibus prudentia, & quomodo procedendum, 214. præcedente infamia, ibid. qui non potest accusare, ibid.
Gandauensibus priuilegia ademit; 236
eius in bello conficiendo celeritas, 356
cauit ne quis in loco originis officio Senescalli præpositi Iudicis aut Baillini fungeretur, 82.
Carolus Comes Flandriæ Stratanos & complices nobiles vt plebi succurreret frumenta iusto pretio vendere adegit. ideo occisus, 275
Carolus Sapiens in Iudices inuigilat, 126
Cardinales Pontifici assident, 200
Cardinales iuniores muti donec eis os aperiatur, 85.
Carthaginensis Senatus legem sanxit qua conuiuarum numerum sumptusq; restrinxit, 258
Castitas, 186
Castitatem promouet fauor matrimonijs factus, 191
Castra munienda, 354
Casus in quibus Iudex ex officio procedit, 152
Casus pro amicu, 24. 27
Catilina seditiosus decocto patrimonio, 222
Cato discordias esse in Rep. iudicabat expedire, 436
Causæ pleraque hodie de plano & ad formam Clem. sæpè expediri possunt, 136
Causarum concinnatores coercendi, 122
Causæ principali termini breues præfigendi, 136
Causidici non multi sint sed boni, 125
Celenus Frisijs rebellionis causam dedit, 227
Celeritas summum momentum rebus prosperè conficiendis, 264
Censores corrigant mendacia litigantium, 122
malos mores corrigant, vnde lites, 127
eorũ nota aduersus vitia litiumq; causas, 116
examinent Tragœdos, Comœdos, Cantores, &c. fol. 187
Centurio qualis legendus, 356
Ceretes fractæ fidei excusati, 365
Cessiones actionum cohibendæ, 118
Cessio bonorum speciem rei iudicatæ habet, 150
Cetegus consumpto patrimonio seditiosus, 222
Cæcinnæ inclementia, 45
Cælibatus pœnæ rectè abrogatæ, 191

Cæpolla litigantes in carcerem compingere Iudici permisit donec conuenirent, 121
Cæsar peccauit quod Pompeio æquas conditiones pacis dare vel accipere noluerit, 396
Cæsaris eloquentia laudata, 50
eius laus, 52
celeritatem in bello conficiendo supra ceteras virtutes coluit, 356
Bellaudunum capit ne quem post se hostem relinqueret, 352. post decennale in Gallias imperium demandatum Romanum inuasit, 437
occupato imperio dictaturam sumpsit, 437
assentatores vitare non potuit, 444
eius cum Pompeio, & Crasso societas, 436
Pompeium arctè obsidet vt eius auctoritatem minueret, 349
Cætus nocturni vitandi, 230
Chiliarcha qualis legendus, 356
Chinenses Tartariam muro à suo imperio separarunt, 380
Christianæ Religionis excellentia, 333
Chore-episcopi qui olim, 201
Cicero cur in exilium missus, 100
eius in seditione consilium, 232
eius in inquirendo diligentia, 121
eius Comitas, 65
eius laus, 52
Ciconia Hieroglyphicum iustitiæ, 16
Circumstantiæ pœnas alterant, 210
Ciuium variæ ordines, 176
Cyro & eius proceribus arma reseruata, 231
Clamantes è loco iudicij eliminandi, 124
Claudius Cæsar dicere solitus non ita de pulice sicut de fera sumendam esse vindictam, 294
Claudij Imp. annonæ cura, 274
Clementia exercenda non promiscuè, eius laus, 43
Clementia Romanorum à Rhodijs laudata, 45
Clerici sint irreprehensibiles, 195. & seq. sobrij, prudentes, ornati, sine affectione, hospitales, &c. illis mendicare prohibitum, 240
accusati non suspenduntur nisi priuilegiatis casibus, 158
vnus duo beneficia residentiam exigentia habere non potest, 110
Clerici cur olim liberaliùs viuentes, 90
olim magnis officijs adhibiti, 83
residere tenentur in Ecclesia sua, 108
à spectaculis, choreis absint, 118
Clerici conciliis adhibiti, 83
Clerus ad veterem innocentiam reuocandus, 202
Clodouæus Hormisdæ & Sedi Apostolicæ coronam auream misit quasi submissionis tesseram, 320
Coloniæ ad Reipub. potentiam faciunt, 271
Collegia artificum Reipub. vtilia, habeant idoneæ statuta, 182
Collegia & societates ciuicæ in Belgio, 231
Collegia artium fouenda, 298
Collegis intestatis quatenus succeditur, 89
Comœdiæ Latinæ probantur, nec vernaculæ reijciuntur pudicæ, cautæ, 188
quælicitæ, 188
Comœdi & histriones coercendi, 187. à censoribus examinandi, ibid.
Comitatus olim quid? 337
Commeatus à Duce exercitus prouidendus, 352
Commendationes quomodo recipiendæ, 66
Commodus Perennium pœna capitis affecit quod nummos publicos sua imagine signasset, 313
Comites Legatis magno numero dabantur apud Romanos, & quare? 338
Iudicibus in Prouincias missis, ibid.
Commeatus abundantia mirè ad Reip. potentiam facit, 270
Commeatus quomodo concedatur, 393
Commeatus militi parcè dandus, 358
Commeatuum, annonarum pro Rep. cura, 271
Commentariensis probus, diligens, 283
Comitiorum cogendorũ auctoritas Regia est, 319.
Comitia tumultuantis populi periculosa, 131
Comitia indicenda prudenter, 233
Comitia Belgica, 235
Comites initio sine tempore à Regibus præficiebantur gentibus, 97
Communitas nulla sine præmijs & pœnis stare potest, 242
Compromissum finiendarũ litium remedium, 131.
Concordiæ studiosus Iudex & quomodo? 60
Concordiam etiam priuatam curant leges, 61
Concordiam inter consanguineos in Gallia Iudices tentare tenentur, 62
Concussiones ne fiant sub prætextu transitus prouideat Dux, 358
Concussionis periculum cum in voluntate Regia omne ius, 161
Concussio quid? 361
de qua Concussione loquitur S. Ioannes, 361
Condila Princeps in Brabantia tuta, 388
Condemnatio temere litigantium aduersus lites remedium, 118
Condisalni Cordubensis encomium, 340
Confessio in iure facta speciem rei iudicatæ habet, 150
Confusio populorum periculosa, sed cautè facta vtilis, 221
Coniugum societas & mariti potestas, 174
Conanus Scotorum Rex qualiter accusationes admiserit, 128
Connubia patriciorum cum plebeijs, 435
Consanguinei in pœnam vocari non possunt ob aliorum reatum, 217
Consilia secretiora quomodo prodantur, 443
Consilia communia salutaria & facilioris executionis, 198
Consiliariorum dotes, 339

Consistorium vndè? 306
Consuetudines veteres examinanda, 127
Consuetudines irrationales litium causa, 115
Consuetudo qualis esse debeat, 172
Consultatio rerum humanarum augustissimum, 437. Rebus gerendis præmittenda, ibid. Ad eam amici adhibendi, & qui, 438.
Constantinus aditu facilis, 65
Christianis templa & Christi cultum permisit, 309
Eius victoria in signo Crucis, 367
Constantia S. Thomæ Cantuariensis, S. Stanislai, 21. Galbæ, 22.
Contemplatum ad eremum actiui ad populum idonei, 39
Contumeliæ quando bellum reddunt iniustum, fol. 373
Conuentus Parochorum, 199
Corbulonis laus, 348
Coronæ variæ in præmium datæ, 243
Corruptorum iudicum pœna, 34
Correctio modica competit viro, 175
Crassus vino consilia secretiora inquirit, 443
Creditorum prærogatiuæ, 150
Crimen fœcundum quod inultum, 213
Criminis alieni pœnas nullus luit nisi in causa Maiestatis, 218
Criminalis causa biennio finiatur, 129
Criminis accusati non possunt esse Iudices, 3
Cultus olim Regius hodie vilium vestis, 297
Custodia sit decens iuxta personarum & delicti qualitatem, 154
Cura annonæ in quibus consistit, 273
Curator aluei & riparum Tyberis, 285
Curatoris Reipub. officium, 102
Curatoris Calendarij officium, 103
Curiarum Ecclesiasticarum promotores, 208
Curiosi qui? eorum officium, 207
Curio consumpto patrimonio seditiosus, 222
Eius infelix prælium vnde, 353
Cursus publicus regali numini reseruatus, 318
Quibus iure permissus, 264. hodie exactior, ibid.

D.

Damnorum nomine sumptus in pactum non veniunt, 378
Daniel Ægyptiorum & Chaldæorum scientijs eruditus, 50
Dardanarij compescendi, 275
Darius fusus Alexandro partem imperij qua citra Euphratem erat obtulit, 380
Eius constantia, 259
Dauid magnos viros agriculturæ præfecit, 274
Saulis parricidas Isboseth occidi iussit, fol. 251
Dauid vltus est iniuriam Legatis suis ab Anonillatam, 261. à Rege Ammonitarum, 262
Eius potentia, 265. diuitiæ, 266
Debitores prodigi durius habendi, 127
Decorum maximè Iudex seruet, 293
Decori commendatio, 92
Decemuirorum ad Patres monitio, 433
Decuriones quo ritu creati olim, 94
Decuriones maiores 25. annis, 85. Minores suffragium non habent sed sportulas, ibid.
ad Decurionatum qui admitti, qui cogi poterant, fol. 248
Decurionibus quæ prohibita, 249. Quæ eorum onera, 249. Priuilegia, ibid.
Decuriones cur olim prodigi, 90
Defensio iusta vim pellens priuato etiam licita, 341
Defensio proximi obligatoria, 342
Defensores de quibus cognoscebant, 101
Definitio Iudici incumbit, 109
Delatores domestici puniuntur, 208
Delatores compescendi, 129
Delatores quales admittendi, 129
Delectus militum commoda & incommoda, 357
Delicta militaria quæ? 362
Delicta occulta non anxiè inquirenda, 245
Delictorum adeoq; litium causæ præscindendæ, 130
Demetrius Cynicus in insulam relegatus quod de Rep. parum cautè disputaret, 231
Democritus beneficia & pœnas Deos in hoc mundo constituit, 243
Democratia nihil libertati noxium admittit, 436
Democraticus status quibus asserendus, 436
Desdignerius ab orandis causis ad Martis labores & honores euectus, 53
Detractorum consortium oderit Iudex, 69
Detractionis mala, &c. 69. Remedium, 70
Deus pro Ecclesia sua zelotypus, 13
Deus iustus, iustum Iudicem dignatur placido aspectu, 14. Mansuetos dirigit, 25
Dignitas filiorum Magistratuum quando parentibus cedat, 104
Dignitas seruatur accusatis vsque ad sententiam, 157. In quibusdam locis suspendit praxis, ibid.
Dignitatis respectum & opinionem retineat Iudex, 66
Dignitas Iudicum nullibi tanta quanta in Imperio Romano. 1
Dignitas requiritur in Iudice Ecclesiastico, 5
Dilationes litis instructiuæ sint peremptoriæ, 136
Diligentia Iudicis qualis & quanta, 55
Diocletianus Cassij liberos honoribus auxit, 217
Diogenes assentatores vt sepulcra æstimabat, qua solum amicitiæ nomen inscriptum habent, 444
Discordiæ quando & quomodo alendæ, 436
Disciplina militaris qualis esse debeat, 357
Tam ad Ducem quam ad militem spectat, ibid.
Officium in ea Ducis, 358

Dis-

Dissidia Christianorum imperij Turcici aucti causa, 271
Distributiones propter officia assignantur, 195
Distributio annonæ prudenter facienda, 279
Diuinationes vtroque iure prohibitæ, 432
Diuitiæ Dauid, Salomonis, Iosaphat, Ezechiæ, Ægypti Regum per Ioseph, 266
Diuitiæ iustæ, 266
Periculosæ, 79
Sæpè litium causa sunt, 112
Diuitiæ & feuda multis in locis nobilitant, 179
Diuitiarum cupiditas reprehenditur, non facultas, 266
Dolus quid? 73
Dolus bonus stratagema, 73
Dolus absit à lite, 113. *an & bonus quem quidam volunt, ibid.*
Dolus verborum in contractu cum hoste non licitus, 368
Dolum an belli iustitia permittat, 368
Domanium quid? 316
Domaniorũ alienatio quæ incommoda pariat, 413
Domestici nisi in crimine maiestatis denuntiantes puniuntur, 208
Si deliquerint à Iudice grauius puniendi, 253
Dominatus maris, 315
Dominationis flagitia, 40
Domitianus detractores castigat, 70
Domitiano mortuo Senatus lætitiæ signa demonstrat, 228
Dotes immensæ prohibendæ, 128
Drusus Frisijs tributum imposuit coria boum in vsus militares, 227
Germanos ad discordias illexit, 450
Druides Gallorum Iudices, 2
Duces de quibus possint stipulari, 383
Quales requirantur, 452
Duces, Comites, Marchiones cur statuunt suos hodie Iudices, 109
Duces initio sine tempore à Regibus præficiebantur gentibus, 97
Ducis officium militari in disciplina, 358
Duella ad probationem non admittenda, 131
Duumuirorum officium, 102
Dux exercitus quæ facere debeat, 348. *& seqq.*

E.

EBrietas litium causa, 112
Pœnam vt non excusat, 110
Ebrietatis incommoda, 42
ex Ebrietate natæ lites concordia vt transigendæ, 120
Ebriosi ab officijs Imperij excluſi, 120
Ecclesia non committenda conductitijs sacerdotibus, sed proprijs, 108
In officio charitatis quatenus cogat, 61
Exercet iudicia inter suos, 195
Reuereatur Iudex, 293
Ecclesiam illustrat monachorum varietas, 204
Ecclesiæ alicui non adscriptus non admittendus ad ordines, 203
Ecclesiarum regularium vtilitas, 203. *& quarum, ibid.*
Ecclesiastica officia ritè peragantur, 194. *& à quibus, ibid.*
Ecclesiasticus Magistratus quomodo in reformationem incumbere debet, 192
Ecclesiasticus extra res sacras an assumendus Iudex, 82
Ecclesiasticus Iudex debet esse in dignitate, 5. *in Synodo designatus, ibid.*
Edicta Belgica aduersus frumentarios varia, 276
Educatio & institutio in Regijs quam potens, 337
Electio officiorum ad Principem pertinet, 94
Electio Magistratuum ad Principem pertinet, 94. *nisi in minoribus, aut municipijs, ibid.*
Electiones specie recusantium ambitæ, 425
Eligi arbitros quomodo consultum, 63
Eleemosynarum largitio non rectè vetita, 240
Eleonia quid? 277
Eloquentia iurisprudentiæ socia, 50
Emancipatio, 174
Emanuelis Lusitaniæ Regis clementia, 245
Eminentia nimia cauenda, 436
Eminentiã nimiã Democratia non admittit, 437
Epaminondæ pro Repub. sollicitudo, 50
Epaminondas veritatis amans, 440
Epikeia quid? 40
Episcopi electi mox confirmari & consecrari debent, 108
Adlaborare debent vt bella componantur, 369
A Sede Apostolica iudicantur, 159
Episcopi consilio Capituli vti debet, ex eius defectu incommoda, 199
Episcopi circa iudices vigilare iubentur & Principes certiores reddere, 160
Iudicia tractant, 3
Etiam annonam curant, 277
Episcopi vocabantur qui pani ceterisq; venalibus rebus præerant, 277
Episcoporum Euthroniasticum quomodo solui & druidi solitum, 89
Episcopus demandare potest, vniuersam iurisdictionem Vicario suo seu Officiali, 109
Episcopus ordinandus norit diuinam scripturam & sacros canones, 49
De propria Ecclesia sumendus, 81
Episcoporum est curare concordiam, 61
Equiti Romano cur Ægyptũ ingredi nõ licuit, 431
Eruditionis nouerca negligentia, 56
Euangelij liber in iudicio seruabatur, 108
Eumolpi Petroniani potentia, 269
Europæorum Reges cur ceteris digniores, 321
Excommunicatus non potest esse Iudex.

Exem-

Executio rei iudicatæ quando & quomodo facienda? 150
Exempla superiorum summa reformatio, 205
Exemptio in regularibus restricta, 204. *In sæcularibus clericis penitius, ibid.*
Exemptio rara sit ab oneribus Reipub. 317
Exercitia militi danda, 359. *& quæ, ibid.*
ad Exercitum scribere Principum est, 318
Exercitus Dux prouideat ne pugnare cogatur loco inidoneo, tempore importuno, militibus non bene pransis, 353
Experientia scientiæ, prudentiæq; genitrix, 85
Experientia prudentiæ seminarium, 50
Exteri non nimis eleuandi, 427
Exterorum familiaritas suspecta, 431
Ezechiæ diuitiæ, 266

F.

Fabius deprecatus ne filius iterum Consul designaretur, 88
Fabius Maximus cunctando restituit rem, 442
Non ponebat rumores ante salutem, 296
Cùm pactum eius Senatus improbasset, fundum vendidit ac hosti pretium soluit, 383
Q. Fabius intra vallum milites continuit ab nocturno abhorrens certamine, 354
Facilitas in Iudice sit sine contemptus periculo, 65
Eius encomium & commoda, 65
Falsarum religionum, causa status, amatores semper puniti, 334
Falsitas absit à lite, 113
Familiaritas cum exteris aut exulibus suspecta, fol. 431.
Fastus intolerabilis cum crudelitate, 220
Fauor ædificiorum, 284
Fœdera finiendi belli summi ineunt, minores ea quæ ad ductum belli, 381
Fœdera ad Reipub. potentiam faciunt, 271
An successorem obligent? exemplis vtrimque disputatur, 387
Fœdera periura iniusta belli mediæ, 367
Fœdera quatenus ad singulos pertineant, 387
de Fœderibus, 381
Eorum magna vtilitas, 384
Eorum interpretatio qualis esse debeat, 298
Felicitas Reipub. boni superiores, 11
Ferdinandus Rex Cath. in causis dubiis contra fiscum pronunciandum præscribit, 28
Feriæ tollendæ aut minuendæ, 131
Festa Palatij minuenda, 131
Festina lentè, 442
Festis diebus an pugnare licitum, & quando non? 369
Feuda multis in locis nobilitant, 179
Milites Feudales, 179
Fidenates sese cremare maluerunt quàm dedere, 376
Fidei obseruantia eo maior sit quo quisque maior 256. *Seruanda in omnibus ab eo qui præest,* 304. *Violatæ pœnæ, ibid. Seruatæ præmia,* 257
Fidei rectæ sit Iudex, 10
Fides barbaris, etiam hæreticis seruanda, 366. *Hosti seruanda & pace & bello,* 363. *An seruanda si pax inita sit cum aliqua regni diminutione?* 365
Filiæ Principum non nisi de consensu nubunt, & quare? 216
Filij Regum an legibus soluti? 308
Filij reorum maiestatis puniuntur in bonis, 218
Filij vt hodie censentur emancipati? 174
Firmus Princeps probatur percussâ monetâ, ac purpuræ vsu, 313
Fiscalibus causis non fauendum, 304.
Fisci officio benigni imponendi, 304
Fiscus hodie dandis stipendiis vt olim cur non sufficit? 156
Flauij tribuni in Neronem libera vox, 227
Flauius Arminius à Romanis ob fortia facta coronâ donatus, 243
Florentini Regem Neapolitanum implorant contra Castrucium, 396
Fora iudicialia, ac rebus venalibus opportuna, 282
Forum iudiciarium remotum ab omni strepitu, 282
Fortis Iudex debet esse, 19
Fossa Mariana. Drusiana. Otthoniana, 278
à Rheno in Mosam duci cœpta impeditur, 279
Francisci I. captiuitate supremum ius Regium in Flandriam & Artheſiam remissum, 378
Fraus in fœdere absit, 386
Fridericus V. Palatinus quare in Britanniam non remissus, dum ditionibus suis expulsus fuit, 217
Fredericus in legibus Siculis iubet Iudices communibus probationibus esse contentos, 246
Frumenti pretia quomodo statuenda? 276
Furtum infantis apud furem adolescentis vt puniatur? 18
Fundamentum Maiestatis vltima prouocatio, 310

G.

Galba omnium consensu capax Imperij, nisi imperasset, 24
Eum nimia promissio perdidit, 244
Eius profusio, 268
Ei antiquus rigor noxius, 10
Eius constantia, 22
Gallica corona ad ministros Regum non semel delapsa est, 429
Galliæ Regi Carolo VIII. obiectum ab Hira illum cum pompa & tripudio perire velle, 412
Galli extra orbem suum imperia obtinere potuerunt, sed non retinere, quia impatientiores, fol. 25

Gandenſes deſperabûdi Comitem Ludouicum fugarunt. 36. Priuilegiu priuati. 234.
Gener ambitioſus periculoſus. 217.
Germanici laus. 66.
Germani omnia prædia vni è familia deferebant olim, & quare? 428. Eorum fidelitas. fol. 257.
Germanorum Regum auctoritas quæ olim? 422.
Gloriam omnem militarem, Craterus Regi detulit. 430.
Gothorum Regum auctoritas quæ olim? 422.
Gradus inter Nobiles. 180.
Gradus academici meritis demum dandi. 185.
Gradus vbique ſeruandi. 173.
Gratianus Ducem qui per iniuriam quidpiam extorſerat in quadruplum damnat. 253.
Gratianus Imp. non præceps in iudicando. 37.
Grauitas à Iudice ſemper ſeruanda. 141.
Græci oſtracismo vſi ſunt. 216.
Gregorij VII. conſtantia. 22.
Guldæ in Belgio. 231.
Gymnaſiorum cura Eccleſiaſticis commiſſa, & à quibus. 183.

H.

HAdrianus admonitiones admittebat. 443.
Hannomontenſis Senatus circa peſte laborantes cura. 299.
Hæres principatus certus ſit. 427.
Hæreſis valida quatenus oppugnanda bonâ fide cùm vires ſuppetunt citra maius periculum. fol. 235.
Hæreticus Iudex vt Præſes ab Imp. ſecedens. 11.
Hæreticus non poteſt eſſe Iudex. 5.
Hebræi angelos iudiciis præeſſe crediderunt. 74.
Hierarchicus ordo in quibus conſiſtat. 200.
Hierarchiæ ordinis obſeruatio manu tenenda. fol. 200.
Hiſpaniæ res maturo ac lento conſilio ſæpè peraguntur. 356.
Hiſpaniam qui populi varij inhabitarunt? 380.
Hiſpaniarum regna vnde coaluerunt. 428.
Hiſtoria prudentiam parat 50. Eius lectione prudentia acquiritur. 50.
Hiſtriones & comœdi coercendi. 187.
a cenſoribus examinandi. ibid.
Homicidia capitali pœnâ lex coercet, & quando? 211.
Hominum varia genera. 172.
Honor in quo conſiſtat. 104. Eius definitio. 104.
Poteſtati ineſt? 103.
Honoraria publica quæ licita? 184.
Horatius Curiatios vicit & quomodo. 370.
Horæ Canonicæ diligenter cantentur. 195.
A quibus inuentæ. ibid
Qui ad eas obligentur. ibid.
Hoſpitari vt debeat miles. 359.
Hoſti fugienti via aperienda. 356. Ei ſeruanda fides & pace & bello. 363.
Quando non ſeruanda ei fides. 364.
Potius in partem ditionis recipiendus quàm de tota periclitandum. 379.
Ad deſperationem non cogendus. 454.
Inuitandus ad arma ponenda promiſſa libertate. 354.
Hoſtibus à tergo relictis non temere procurrendum. 352.
Hunni Myſiam à Martiano & Leone obtinent. 380.
Hypocritæ Principis vindicta diuina. 14.

I.

IAcobus Britanniæ Rex Angliam, Scotiam, Hiberniam in vnum vinculum contraxit. fol. 428.
Igne Perſis Regibus & Romanorum Principibus prælati. 14.
Ignorantia litium cauſa. 112. 114.
Ignorantia veritatis malum Principum 69.
Ignorantiæ caſtigatio remedium aduerſus lites. fol. ..
Illitteratus non poteſt eſſe Iudex. 5.
Illuſtres ſine Principis conſenſu ne peregrinentur. 431.
Immunitates concedere ſolius eſt Principis. fol. 317.
Imperator an orbis dominus? 327.
Eius prærogatiuæ. 429.
Imperiti an Iudices eſſe poſſint? 51.
Ex Imperitia qui teneantur? ibid.
Imperiti arbitri electi ſi male iudicarint, iure non reformatur. 35.
Imperium quid? & à quo datum? 98.
Imperium affectantes quas notas ad ſe trahant? 311.
Improbitatis principium Magiſtratuum nundinatio. 115.
Impunitas delictorum magna litium ſeges. 128.
Impunitas altrix ſcelerum. 44.
In bonam fidem peccant, qui occulto hoſtem iuuant. 386.
Inauditus nemo damnandus. 139.
Inclementia Cæcinnæ Agrippinâ. 55.
Incommoda penuriæ. 272.
Incommoda promotionum per ſaltum gradum-

dumq; commoda. 57. Incommoda Magistratuum auro venalium. 89.
Inducere in bello ad peccandum an liceat ? fol. 367.
Iuduari extra prouinciam quomodo non officiat supremitati. 340.
Inducia & quacumque eò tendunt semper amplectenda. 381.
Inducia natura temporales, breues. 388.
Quæ à Rege, quæ à belli Ducibus danda. ibid.
Inducia à quo tempore obligent per inducias quæ licita? 391.
An habeant postliminium. ibid.
per Inducias finem omnia in pristinum statum recidunt. 389.
Infames non possunt esse Iudices. 345.
Non sunt Artifices, nec negotiatores. 248.
Infantiæ institutio in omnem ætatem prodest & obest. 182.
Inferiores superiores honorent. 127.
Infidelium auxilia an licita. 365.
Ingenia quæ optima. 91.
Qualia Consultationi adhibenda. 439.
Inimico reconciliato non facile fidendum. 303.
Iniuria grauis impedienda, resarcienda, vindicanda, iusta belli offensiui causa. 343.
Iniuriæ exterorum sæpè dissimulandæ. 258.
Iniustitia legalis, vniuersalis. 6.
Inopes à Decurionatu excusati. 248.
Inquisitio in Iudices in Hispania. 158.
Insidiæ ciuium sæpè dissimulandæ. 258.
Insidiæ & stratagemata licita. 370.
Insignia Principum & Magistratuum honoris causa inuenta. 105.
Institutio & educatio in regiis quàm potens, fol. 337.
Institutio iuuentutis. 182.
Instructio Iudicis officium ineuntis. 11.
Intemperantiæ incommoda. 42.
Interpretatio l. vn. C. vt quæ desunt Aduoc. fol. 140.
Intestatis collegis quatenus succeditur. 89.
Inuocatio Diuini Numinis securum in bello medium. 367.
Ioan. Oldenbarneueltius quare capite damnatus. 346.
Ioannes Papa XXIII. cum plus æquo laudaretur dixit scire se ludi, sed etiam falsam laudem illi placere. 444.
Ioannes Vgergerius Senensi Reip. inopia laboranti succurrit. 287.
Ioiadas puerum regem clam educauit donec Athaliæ pellendæ par esset. 232.
Iosaphat potentia. 265. Diuitiæ. 266.
Iosue vicit Amalechum Moysis oratione. 367.
Eius potentia. 265.
Iræ etiam à pugna absit, magis à iudicio. 38.
Iracundia absit à Iudice. 36.37.
Irasci ei qui præest non licet. 303.
Irenarchæ & ipsi compescantur, si malè versentur aut calumnientur. 208. Populi pacem curare debent. ibid. crimina nunciant, non impune si per calumniam. ibid.
Irenarchæ qui? eorum officium. 207.
Isdigerdes Persa 100. annorum inducias pepigit. 380.
Iudex Machabæus inchoando Imperio Duces, centuriones, tribunos constituit. 430. Eius cum Romanis fœdus. 384.
Iudæus cur sedens iudicat. 55. Iudæi mercatores non violestandi. 276. Iudæorum populus crimen contraxit cùm non restitit principibus Christum in mortem dantibus; 342. Eorum fœdus cum Spartiatis. 384.
Iudex à detractoribus auersus. 60.
An arbiter esse possit in causa ad tribunal eius spectante? 63.
Cur mediator. 29.
Muneribus abstinens. 29.
Ab auaritia alienus. 33.
Non iracundus. 36.37.
Auditis partibus decernat. 37. Accusatus acceptæ pecuniæ si non abiurat, pro confesso habetur. 34.
Concordiæ studiosus sit. 60.
Criminis reus de quo iudicat inidoneus. 8.
Diligens sit. 54. Et expeditus. ibid. Lites debet diminuere. 54.
Dives sit & quare. 79.
Extra fines suos excurrere non debet nisi voti causa. ibid. 108.
Æquus 18. Non lenis nimium. Non Iura scripta æquitatis obtentu subuertens. ibid.
Fortis. 19.
Sine ambitione promotus. 87.
Calumniantium potius debet misereri, quàm irasci. 20.
Constans 21. Obfirmatus in magnorum exemplis. ibid. Historiarum, studium Iudici vtile. 21.
Exempla maiorum Iudices intueantur qui constanter olim eo munere functi. 21.
Fortunam prosperam aduersamq; expertus. 24.
Semper idem causis non personis varius. 24.
Patiens. 25. Mansuetus. 25. Vacuus ab affectibus. 27.
In dicenda sententia quò spectet. 28.
Facili accessu sit. 292. Loci seruatorem non constituat. 297.
Imperitus litem facit suam & minas diuinas expectat. 53.

Iniquus, latro. 17.
In pœnis irrogandis legem ne excedat. 245.
Intercessorem potius quam arbitrum agat. 64.
Maledicentiam puniat. 124. *Sit nobilis.* 75.
Non rixosus & quare. 90.
Non nimis aulicus. 90.
Non tristis. 90.
Modestus. 91.
Propositi tenax. 91. *Promissi memor.* 91.
Non animo in pœnas prono. 38.
Prudens. 38.
Sobrius. 42.
Clemens. 43.
Benignus, seuerus. 46.
Peritus. 49.
Puras manus seruet. 292.
Ecclesiam reuereatur. 293.
Decorum seruet. 293.
Non se pluribus ingerat. 293.
Caueat studium contradictionis. ibid.
Pius Pater succenseat iniquitati, consulat humanitati. 49.
Non vtatur imperio vbi lege agi potest. 296.
Bonus erga bonos malis terribilis sit. ibid. *Non vtatur militari executione.* 297. *Iuris argutias vitet.* 298.
Ob ordinem Iuris non seruatum obligatur ad restitutionem. & quando? 151.
Pluribus simul officiis non imponatur. 109.
Per gradus promotus. 57.
Intra fines suos residere cogitur. 108. *Pulcher corpore.* 80 *Legitimus. Non sit infamis. Etsi ex eo ortus non arceatur.* 80.
Iudex ciuis an externus eligendus. 81. *Pupillis & pauperibus aduocatos det.* 291.
Adulatoribus sit inimicus. 71. *Sit verax & candidus.* 72. *Quando quærere debeat à partibus non explicita & supplere?* 140. *Qualis esse debeat.* 5. *Excellat moribus.* 6 *Iudex quis est tam diu quàm diu iustus.* 17. *Secretus sit.* 58. *Semper studiosus.* 54. *Senex.* 84. *Sententiæ subscribat.* 146. *Ipse pronuntiet, nisi sit illustris.* ibid.
Sit facilis. 65. *Suppleat interrogando & quærendo quæ in iudicio minus dicta sunt.* 140. *Veritatis amans.* 67. *Vestitu congruo vtens.* fol. 92.
Videat semper an sua sit Iurisdictio. 101.
Vt debeat euerrere vitia in lite coram se contingentia. 121.
Vere bonus non fictè sit. 9. *Publice ac priuatim vitiis abstinens.* 8.
Summè sit iustus. 10. *Fidei rectæ.* 10. *Timens Deum.* 11. *Religiosus erga Ecclesiam.* 12.
Iudices sancti. 2. *Dei Filij.* 3. *Qui esse prohibeantur.* 3. 5. *Natura prohibiti.* 4. *Lege, moribus* 5. *Exemplo præeant in vitiis litium vitandis.* 125. *Dantur ex consensu, & qui?* 27. *Passim varij apud Israelitas, Romanos, in Prouinciis.* fol. 1.
Iidem Sacerdotes apud Ægyptios. 2. *A quibus non appellatur in damnandis reis valde sint circumspecti.* fol. 210.
Superiores in inferiores inuigilent. 126.
Iudex Ecclesiasticus nec imperitus admittitur, nec eminenter peritus exigitur, 54
Iudices Ecclesiastici in dignitate sint. fol. 5. 52.
Non Iurisconsulti assessorem habeant. 52.
Iudicaturus Deum præ oculis habeat citra alium affectum. 155.
Iudicandum celeriter, non præcipitanter. fol. 139.
Iudicantem vrere non debet appellatio, si puris manibus sit, & pro sua religione iudicauerit, 149.
Iudici excedenti notoriè obsisti potest. 101.
Ei cura esse debet sacrarum ædium. 280.
Quæ ei cauenda. 42.
Ei ex officio quæ incumbunt. 151.
Causæ statum intelligat. 131.
An consultum vxores secum ducere. 253.
Cur Iudicibus ampla stipendia dentur. fol. 32.
Eis in prouincia negotiari non licuit. fol. 160.
Iudicis, officium ineuntis, institutio. 11.
Iudicis recusati officium. 29.
Eius summa gloria. 301.
Minoris dati à Principe acta valent. fol. 85.
Eius officium ante sententiam. 23.
Iudicum potestas ad quæ referatur? 290.
Iudicum vitiosorum pœna. 126.
Iudicum nomen omnem potestatem infra Principem complexum apud Romanos etiam iure nostro, 305.
Eorum cura in officiales, & animaduersio. fol. 253.
Eorum dignitas nullibi tanta quanta in Imperio Romano. 1.
Necessitas. 4.
Eorum iudiciorumq́, maiestas, 2.
Iudices pedanei ad leues causas. fol. 137. *& seq.*
Iudicia affectibus non obsequantur, 26. *Eorum necessitas,* 4.
Iudicia certiora ex legibus, 161.
Eorum ordo, 131. *& seqq.*
Sine Iudicijs ciuitas duci nequit, aut regnã. fol. 4.

Iulianus Apostata apparitores à præsidibus delubra adeuntibus amouet. 13
Rusticos coram se disceptantes pugnis quatit, fol. 38.
Iulius Cæsar desertorum ac seditiosorum punitor acerrimus 358.
Multitudinem legum resecare destinauit, fol. 163.
Post rem decoctam ambitioni publicas causas prætexuit, 222.
Iunio Torquato ab accusatoribus quæ obiecta? fol. 430.
Iuniores eminentis spei à Magistratu non reiiciendi, 82.
Iura sacrorum ad summum Imperium referuntur, 309.
Iura Maiestatis, 306.
Iura Maiestatis minoris note, 314.
de Iure suo decedere fructuosum aliquando, fol. 258.
Iuramentum fidelitatis supremæ potestati non officit, 327.
Iuramentum seruandum ab eo qui præest, nisi promissum vergat in animæ præiudicium, 304.
Iuramentum seruandi iuris, regnino alienandi, non minuit Maiestatem, 327.
Iuramentum calumniæ & malitiæ vitandæ remedium, 118.
Iuramentum militiæ in bello iniusto non obligat. 361
Iurandum summo Principi ab omnibus subditis non clericis, 176
Iureconsulti an nobiles, 187
Iureiurando aduocati compescantur ne improbis patrocinentur, 122
Iurisconsulti summos honores gesserunt, 306
Iurisdictiones rusticæ in criminalibus periculosæ. 115.
Iurisdictionum gradus tertiam appellationem vltimam non faciunt, 311
Iurisprudens non in cortice verborum sed in cute. 49.
Iurisprudentia vera quæ? 49.
Non ad opes conquirendas discenda, fol. 330.
Reipub. necessaria, 184.
Est ars æqui & boni, 6.
Iurisprudentiæ Doctores quales debeant esse? ibid.
Quæ docendi ratio? 331.
Iusiurandum per Iudicem præstandum. 107
Per milites præstitum, ibid. Romæ olim in causis singulis, ibid. Conceptis verbis ad S. Euangelia, ibid.
Ius necis in quibus non obtinet in bello, 373
Ius vitæ ac necis autocratiæ insigne nota, fol. 313.
Iustitia eiusq; hieroglyphica, 15. 16.
Iustitia distributiua ... commutatiua seruanda à Iudice & priuato, quomodo? 15.
Iustitia & pax sorores, 60.
Quomodo Iustitia constans, 29.
Cur cæca, 27.
Cur manibus orba, 29.
Iustitia moderata seueritate, 17.
Festina lentitudine. ibid.
Iustitia legalis vniuersalis, 6
Iustinianus immensa legum volumina in Pandectas contraxit & Codicem edidit. 163. *Veteres & expertos Iudices exigit.* 85
Iuuentus remouenda à corruptelis. 186.
Iuuentus patricia quomodo educanda? fol. 435
Iuuenes in Senatu consilio olim intererant. fol. 3.
Legationibus adiungebantur, ibid. Factis fortibus impendendi, 80

L.

Lacedæmonij initio imperium in victas ciuitates non sumpserunt, 378
Eorum exitium quod? 39.
Lacones defectu ærarij in discrimina summa lapsi, 411.
Eorum Respub. reprehensa. 427.
Latus introitus Brabantiæ Ducum, 236
Laicus non potest esse Iudex respectu clerici, 5
Largitionibus veniam sperat Nero, 9
Laurentes Tatij percussores Romulo dediderunt, 263
Legatio libera, non priuilegiata, 403
Legati ex fide publica inuiolabiles iure gentium, 261.
Vsque ad renuntiationem, etiam inter clues. 263.
An etiam delinquentes, ibid.
An apud omnes, an eos tantùm ad quos mittuntur sint inuiolabiles, 262.
Non pulsandi nō tantùm, sed nulla iniuria afficiendi, 262.
Qui propriè Legati, 403.
Eorum comites securitate legatorum fruuntur, 261.
Eos mittere & recipere ad maiestatem pertinet, 312.

Legatus falsus nullo beneficio sed supplicio dignus. 263
Legislatio summi Imperij tessera. 308
Legitimatio soliùs Principis est. 318
Leges, vide *Lex.*
Lenæ, meretrices eliminandæ. 189
Lenitas cum seueritate. 47
Leo X. vetuit Cardinalibus luxum etiam in funere. 298
Lex bona si executionem Magistratus curet. 238.
Lex Regia quare lata? 425
Leges ferre ad solũ supremum Principem spectat, 329. *An à successoribus cõfirmanda?* 168 *Executioni mandentur.* 162. *Leges annales legendorum Magistratuum.* 85. *Leges fundamentales ditionum Maiestatem non tollunt.* 326. *Fundamentales Regiæ quæ in Gallia?* 326. *Leges ferre inutile, si effectui non dentur.* 162. *Non facilè mutandæ.* 171.
Paucæ sint. nam numerus obseruationi obest. 161. 162. *Sint genti vtiles.* 329. *Quales esse debeant.* 164. *& seq. Quæ aduersus ambitum.* 88. *Sine Iudice esse nequeunt.* 4. *Leges sumptuarias promoueat Iudex* 297. *Vestiariæ an expediant.* 93. *Virum bonum exigentes Iudicem designant.* 6. *Legibus Romanis olim in imperio Romano vti tenebantur.* 163.
Legibus quàm Regum arbitrio regi satius est. 161. *Iis solutus est Princeps, an Augusta? an filij?* 308. *Legum multitudo signum Reipub. malè habentis.* 110. *Earum vinculum subditos ligat etiam in conscientia, quamuis adiecta pœna.* 328.
L. Veteris studium fuit Mosellam atque Ararim fossa connectere. 278
Libellorum famosorum auctores compescendi. 70
Libellus XII. Tabularum à pueris in scholis ediscebatur. 162
Liberæ ciuitates qualiter contrahant. 383
Liberorum & parentum officium. 173
Libertas vnitarum Prouinciarum per inducarum exspirationem euanuit, si quæ fuit. 390
Libertinæ cuiusdam in celando arcano pertinacia. 59.
Libertus ius aureorum annulorum non adeptus, vel natalibus non restitutus nec cogi nec admitti poterat ad Decurionatum. 248
Lites ex ebrietate natæ concordia, vt transigendæ. 120. *Lites pauperum, agricolarum, monachorum & clericorum accelerandæ.* 138. *Lites qui execrantur laudandi.* 111. *Qui habent non semper improbi.* 111. *Intra biennium terminandæ.* 122. *Restringi oportet vbi tolli non possunt.* 110. *Lites rusticorum breues esse voluit Iustinianus & quare?* 274
Litium mala vnde plerumque. 26. *Scaturigines.* 110. *Earum causa* Meum *ac* Tuum. 112. *Earum remedia.* 117. *Earum longitas tollenda.* 131
Litigantes ante sententiam rogandi, num quid dictum insuper velint. 25 *Ipsi causam dicant.* 131. *Inuitandi pœna & præmio ad concordiam.* 62.
Litigator frequens an vir bonus. 111
Litigaturi officium. 111
Litterati supra vulgares Nobiles. 180
Locrenses legem nouam suadere volentem, nonpersuadentem puniebant. 171
Longobardorum coloniæ. 271
Lotharij Imp. Iudicum cura. 126
Eius de Sago & toga iudicium. 180
Lucius Vectius & Tarquinius quare condemnati. 258.
Ludi prohibendi. 130. *Sumptuosi vetiti.* 187.
Ludouicus XI. iniustè Burgundiæ Ducatum inuasit ac detinet. 342. *Patricios à familia abegit, sartore prosciali, tonsore pro legato, medico pro cancellario vsus.* 412. *Veredariorum cursum restituit.* 264.
Ludouicus XII. in Iudices inquirit. 126.
L. Martius Populo Romano Hispanias restituit. 379.
Lupanaria tollenda. 130
Luxus coercendus. 230. *etiam in funere.* 297. *Romæ sapiùs punitus.* 288.
Lycurgus seniores Iudices constituit. 85. *Eius lex erat hostes fugientes non occidere.* 356
Lytrum pluribus deberi & pluries potest. 392. *Disciplina Romana non admisit. ibid.*

M.

Macedonia vno conflictu infra biduum dedita 281
Machetas à Philippo appellat. 55
Macenas Augustum monuit, vt solus sine plebe, populo ac Senatu, Magistratus crearet. 310. *Præfectum prætorio ex equitibus eligendum Augusto suasit.* 426
Magister non sit, qui non fuit discipulus. 57
Magistri census Romæ officium. 239
Magistratibus imponendi, qui pares sunt, non suprà. 426
Magistratibus, quæ olim vestes attributæ. 93
Magistratu deposito, Consules quinquennium in vrbe manere iussi ab Augusto. 426. *Magistratu defuncti morari debebant ad 50. dies in prouincia.* 157. 158
Magistratus accusatio breui terminanda. 158.
Magistratus Ægyptiorum in leges iurabant. 23.
Annuè innouandi. 427. *Belgici quales.* 53.
Bredani cura in ædificiis. 286. *Magistratus ciuilis vniuersam iurisdictionem demandare non potest.* 109. *Contemptus seditionis causa.* 222.

222. Ad eius curam pertinet iuuentutis institutio. 183. Curet pauperes ac miserabiles. 291. De contumelia iniuriaq; tenetur. 37. Magistratibus gestis nobilitas acquiritur. 75. Magistratus honor non munus. 5. Inuicem se honorent. 250. Prouinciam euntes instruebantur necessariis. 156. Lenas meretrices eliminet. 189. Magistratus minor peritus sit. 51. Magistratus nec assumi nec deponi potest iniussu Principis. 336. Explorandi & assumendi dignissimi. ibid. 338. Formandi institutione, magnorum comitatu, legatorum, Iudicum in Prouincias missorum. 337. Olim varij. 289. Quales eligendi. 447. Perpetuus an magis conueniat? 96. Magistratus sacri, inuiolabiles. 101. Semper in publico fulgeant. 104. Sint faciles & comes. 65. Speciales ad quietem dati. 207. Strenuè officio suo incumbant in reformationem & qui? 192. Magistratuum auro venalium incommoda. 89. Creatio. 309. Dignitas non minuenda. 250. Facinora eorum Principi imputantur. 227. Magni Magistratus officij tempore non accusabantur. 156. Magistratuum nundinatio omnis improbitatis principium. 115.

Magnates in Conciliis quare locum habent? 251. Inconditi atque ineruditi. 51.

Magnitudo Romana barbaris an iusta causa fuerit imperium vastandi? 345. Magnitudo vbique crimen intendit. 213

Maiestas Iudicum iudiciorumq;. 2. Maiestatis rei non lugentur. 210. Non sepeliuntur. 211. Filij in bonis puniuntur. 211. Maiestatem ladit qui alio appellat. 310.

Mala à libidine quæ in Rep. 186

Maledicentiam Iudex puniat. 124.

Maledicentium Principibus pœna. 225. à Maioribus ad minores honores, vel extra patriam quis cogendus non est. 248.

Mammelucis solis in armis esse licuit in Ægypto. 231.

Mandata Principum. 314

Manlius fatius esse iudicabat patrem forti filio quàm patriam disciplina militari carere. fol. 357.

Mansfeldij æstus. 349. Prælium Flericanum. ibid.

Marabodius in aduersa fortuna sui memor. 293.

Marchianellus quàm malè simulatam virtutem & religionem admittit propter mundanam pacem. 166. Eius pernicioſa doctrina refutata. fol. 40.

Marcianus ob diligentiam laudatus. 54.

M. Antoninus Philos. Imp. numquam fisco fauit, in causis compendij iudicans. 28.

Maria soror Moysis aduersus eum insurgens lepra percussa est. 324.

Mariæ Scotiæ infame supplicium. 433.

Maritus quando adulteram occidit impunè iure ciuili? 189

Marius laudatus. 435.

Mars Gradiuus vnde? 57

C. Martellus Summam Imperij ad se traxit in Gallia quomodo? 429

Matrimonia non ritè ineuntur sine patria potestate. 173. Matrimoniis factus fauor castitatem promouet. 191. Iis ciuium numerus augendus. 192. Matrimonium contrahentibus in Hispania data priuilegia. 191. Raptoris cum rapta an pœnam abroget? 211.

Maximilianus I. I. ebrioſos ab Imperij officiis excluſit. 120.

Medicæus Alexandro occiſo Senatum Florentinum coegit vt perpetuum eum Ducem crearet. 413.

Medici an nobiles? 178. An ab ægris quid poſſint accipere? 32. Eorum neceſsitas & ſtipendium. 299. Habendi præſertim tempore contagionis ære publico. ibid.

Medorum regum edicta immutabilia. 171.

Mendacium abſit à lite. 113. In iudicio an ſit mortale? 114.

Mendax Iudex dignitati ſuæ iniurius. 74.

Mendicantes validi non permittendi. 238. Explorandi omnes. ibid. Operibus applicandi. 239.

Mendicatibus Ordinibus ædificia qualia licita? 288

Mendicitas otioſa ſacris Canonibus odioſa. 239.

Mentientis in iudicio pœna. 121.

Mercator an vilis? 250. Mercatores infimi qui? 250. Ad decurionatum admittebantur. 248. Non ſunt infames. ibid. Bene habendi. 278.

Mercatura an noceat nobilitati? 79. 181.

Merces minimis tributis grauare Reipub. quantum conferat? 276. Mercium pretia quomodo ſtatuenda? 276.

Mercimonia & artificia augenda. 229. Eorum abundantia Reip. curanda. 268.

Meretrices coniugatæ non emendatæ maximè puniendæ. 191. Meretrices eliminandæ. 189. Neapoli carrucis vehi prohibentur. 190. Si eliminari nequeant ob gentis genium coercendæ inter aliquas anguſtias. 190.

Merum Imperium diſertè dandum. 100.

Meſsium incenſores grauiter puniuntur in Africa. 244.

Metallorum fodinæ inter regalia cenſentur. 316.

Metus vicinæ potentiæ valde creſcentis an iuſta belli cauſa? 344. An ad bellum ſociale ea ſufficiat. ibid.

Meum ac tuum litium cauſa. 112.

Miles hoſpitari vt debeat. 359. Iurabat à furtis abſtinere olim. 358. Qualis legendus. 356. Vt iuſtè bellet, bellum iuſtum ſit, aut inculpatè credatur. 360. Neminem concutiat, calumnietur, contentus ſit ſtipendiis ſuis. 360. Externo ſi militet notoria ſit belli iuſtitia. 361.

Mili-

Milites Romani an nobiles. 179. *An illis liceat stipendiis non solutis necessaria extorquere.* 362. *Commeatus illis parcè dandus.* 358. *Militum numerus semper alendus in magnis imperiis.* fol. 270.
Militaria delicta quæ? 362
Militia armata quando nobilitet. 179. *Militiæ gloria ad solum Principem referenda.* 430.
Milo consumpto patrimonio seditiosus. 222
Minæ seditiones causant. 220.
Ministri cum delectu assumendi. 252. *Fideles sint & secreti.* 254.
Ministri Iudicis sint secreti. 58.
Misericordia intempestiua dolo proxima. 18. *Victo debetur, & magis nondum victo.* 375.
Missorum numerus exhaurit ærarium. 452.
Mithridates in aduersis constans. 293.
Mixtum imperium quibus olim competerat. 98. *Mixto in statu intendendum ne quid supra alterum increscat.* 437.
Modestiæ laus. 91.
Modi opes parandi. 266.
Moyses tabernaculum ingrediebatur antequam iudicium proferret. 37. *Scientiis Ægyptiorum & Chaldæorum eruditus.* 50. *Idumæo neutralitatem promisit.* 395. *Ad ipsius preces Iosue vicit Amalechum.* 367.
Monachorum reformatio summa, ad primum institutum reuocatio est. 204. *Eorum varietas Ecclesiam illustrat.* 204
Monachus fugitiuus pactus cum Priore regressus à Prouinciali non puniendus. 382.
De Monarchia Alexandri malum omen. 428.
Monasterium liberi non ritè ingrediuntur sine patriæ potestate. 173.
Monetam cudere & imagine sua signare solius est Principis. 313. *Monetæ ius ad supremum principē spectat.* 417 *Hodie communicatur nimis inferioribus.* 314.
Monetariorum excessus. 420.
S. Monica morosum maritū quomodo vicerit. 174.
Monita miscellanea. 289. 446.
Monita recidiua de seruando ordine iudiciario præsertim in litibus criminalibus. 151.
Moralis Philosophia. 51. *Iurisperito necessaria.* fol. 51.
Mores mali cum peregrinis mercibus ne inuehantur. 283. *Moribus semper deferendum.* 78. *Moribus Iudex excellat.* 6.
Morbis & litibus dandi optimi medici & medicinæ. 111.
Mulctari quis potest ter pecuniæ, sed recidiuus grauius puniri. 246.
Mulctæ publicis operibus, aut fisco applicentur. 246.
Mulier habitu virili an vti possit. 73. *In publicum non trahenda.* 297.
Munera illicita etsi non iniquè iudicetur, & quare? 30. *Munera personalia pretio non redimenda.* 267. *qui his abusi ibid. Munerum vis.* 29.
Musæ & Minerua cur fingantur virgines. 186.
Musica instrumenta cantui Ecclesiæ primitiuæ non adhibebantur. 194.
Mutianus Vitellij filium occidi iubet. 217.
Muri ciuitatis & arcium turres curandæ. 281.

N.

Natiuitas inter æquales virtute momentum facit. 78.
Naturalizatio solius est Principis. 318.
Neapoli cautio datur de stando iuri in Syndicatu. 157.
Necessitas ex lex in multis. 218. *Necessitas Iudiciorum ac Iudicum vnde?* 4. *Ex necessitate ablatum priuato ex publico compensandum.* 219 *Necessitatem pugnæ nec sibi nec hosti imponere debet Dux exercitus.* 353.
Negligens Ecclesiæ tuitionem excommunicatur. 13.
Negligentia nouerca eruditionis. 56. *Negligentiæ Iudicum litium causa.* 114.
Negotiatio Iudici prohibita. 30.
Negotiari Iudicibus in prouincia inhibitum. fol. 160.
Nero Ambracium cum sinu Corinthiaco iungere voluit. 278. *Largitionibus veniam sperat.* 9. *Plautum in Asiam dimittit.* 216 *Salaria pro patrocinio solui permisit.* 123. *Illum nimia promissio perdidit.* 244. *Ex eius nece gaudium publicum.* 228. *Eius vitia.* 412.
Neutrales ad quid obligentur. 395. *De Neutralitate.* 394.
Nicolaus Francus ob maledicos in Pium V. versus in laqueum actus. 294.
Nicolaus Rentius priuatus nugator, Tribunus optimus. 10.
Nobiles alij marte, alij arte. 180. *Nobiles virtute polleant, crimine careant.* 181. *Agriculturam exercere possunt. ibid. Nobilibus familiis pauperibus è publico succurrendum.* 435. *Nobilium egestas causa seditionis.* 222.
Nobilitas descendit, non ascendit aut transuersim porrigitur. 178. *An ad spurios? ibid. Codicillis concessa an porrigatur extra territorium concedentis?* 178. 179. *Quid de Codicillis Rom. Imperatoris? ibid. Congruit Iudici ad venerationem.* 75. *Vnde illa. ibid. Non sola promouenda.* 77. *Nunquam sola sufficit.* 78. *Regnorum fulcrum.* 270. *Ex ea equitatus. ibidem. Semper & ab omnibus obseruata.* 177. *Vetus quomodo colenda.* 229.
Nobilitatio solius est Principis. 318.
Nobilitatus à Principe an recipiendus vt talis in Ecclesiasticis? 179.

Nocturna prælia vitet exercitus Dux. 354
Nominati cogendi etiam spoliatione bonorum ad officium, 247. *quando non teneantur*, *ibid.* *Nominatus per iniuriam excusatur*, 248 *Non se Regem Cæsar*, *sed Cæsarem esse dixit.* 421
Normanni Galliam inundarunt cum periculo Gallorum interitus. 380
Noscat seipsum qui præest. 446
Notarij quadantenus Iudices partium consentientium, 100. *Eorum fides*, 255. *Eorum officium an nobilitati noceat.* 181
Notæ supremitatis, 306. & *seqq.*
Nouitas in Repub periculosa, 78. *Nulla facile in Repub. admittenda*, 423.
Nouitati omni occasio auferenda occultisq; consiliis. 424
Numa Romæ varia artificum collegia instituit. 182
Nundinarum priuilegium Regium est. 320
Nundinatio Magistratuum omnis improbitatis principium, 115
Nuptiæ magnarum ad maiora viam sternunt, 217

O.

Occisi in officio remuneratio. 156
Odia mutua in Repub. tollenda. 229
Oeconomia Regum, *Rerumpub. sit liberalis non prodiga*, *magnifica.* 267
Oculus hieroglyphicum Iustitiæ. 16
Officia Ecclesiastica ritè peragantur, 194. *Officia noua multa Constantinus instituit*, & *quare?* 427. *Plura vnus non occupet*, 251. *vt hodie obeunda?* 103
Officium consultantis, 444. *Defensorum*, 101. *Duorumuirorum*, 102. *Officium honor cur dicitur*, 104. *Officium Iudicis ante sententiam*, 25. *Iudicis recusati*, 29 *Iudicis vt seditionum causæ tollantur*, 219. *Liberorum & parentum*, 173. *Litigaturi*, 111. *Officium Magistratus manet ad successoris aduentum*, 97. *non deserendum nisi successor aduenerit in metropolim. Officium Præfecti vigilum*, 102. *Officium primum iustitiæ.* 12.
Oldenbarneueltius damnatus sub ratione exercitus comparati iniussu Ordinum. 346
Onia virtutes. 6
Opes parandi modi. 266
Optimates & populus contraria via gradiuntur, 437. *Optimatum arca*, 433
Oratio Ecclesiæ aduersus lites. 118
Orator vt Iudex vir bonus. 6
Ordinatio styli criminalis. 152
Ordines Brabantiæ monachum fugitiuum & à Rege Galliæ repetitum suo priuilegio tuentur, 388. *Ordines an quid possint statuere*, 234. *Ordines turbare non licet*, 177. *Ordinibus prouinciarum clerici adhibiti.* 83
Ordines mendicantes vnde dicti? 240
Ordo Iudiciorum, 131. & *seq. Ordo iuris in iudicio seruandus.* 151
Origo criminum spes redemptionis. 33
Origine nobilitas acquiritur. 45
Orphanotrophium. 291
Ostraciſmus cùm res publica & quies requirit vsurpandus. 216. *Cura mortem nisi in sceleribus luce clarioribus. ibid. Quando vtilis.* 220
Ottho Imperium quomodo suscepit, 425. *Inops ad Imperium peruenit*, 426. *Illi suasum ne bellum cum Vitellio traheret.* 353 *Inopia illum ad Imperium impulit*, 79. *Othoniana cladis causa*, 353.

P.

DE Pace, 395
è Pace nihil violandum, 381. *Pacis fœdera*, 384. *Eius infractoribus nulla pœna satis digna*, 598
Pacificatorum officium. 130
Pactum ne damna resarciantur valet & plerumque contrahitur, 376. *Pactorum bellicorum interpretatio lata.* 378
Palma hieroglyphicum iustitiæ, 16. *Semper virens*, 22. *Ponderibus resistit. ibid.*
Panes ciuiles, *palatini*, 262. *Gradiles*, 273
Pannonia Hungariæ coniuncta. 428
Papa an orbis dominus. 327
Papinianus mori maluit quàm fratricidium falso iure defendere. 114. *Præfecti prætorij munere functus.* 306
Papirij laus. 59
Parangaria quid. 264
Parenesis ad Iudicem, *Magistratum*, *Senatorem.* 455
Parentum & liberorum officium. 173
Parlamenti Parisiensis in legum latione auctoritas, 329 *Parlamenti Mechliniensis*, *Parisiensis*, 23. *Parlamentum Mechliniense*, 340. *Parlamentum Parisiense.* 339
Parochi, *eorum delectus.* 201
Parochialibus Ecclesiis faueat Iudex. 293
Parricidium quâ puniatur. 212
Parsimonia maximum vectigal. 268
Partes per se litem contestentur. 137.
Pastoratus non vniendi aliis beneficiis non curatis. 202 *Monasteriis vniti non minuendi*, *ibid. Nimis lati diuidendi*, *ibid. Vniti soluendi. ibid. Eorum dotatio.* 201.
Patientia aduersus lites remedium, 117. *Patientia Scipionis*, 25. *Patientiâ Romani omnem regionem obtinuerunt*, *Patientiæ virtus*, 118 *in-*

Patria potestas, 172. Sine ea non ritè matrimonia ineuntur quamuis validè, ibid. Nec monasticus ingressus quamuis validè, ibid.
Patricij neque nimia neque nimis diuturna potestate attollendi. 426
Patriarcharum gradus in ordine hierarchico. 200
Paucitas legum quibus, cur, curæ fuerit, 162
Pauli Æmilij laus, 348
D. Paulus non reijcit iudicia à dignitate præditis, 3. Eius 1. ad Corinthios 6. locus explicatus. 3
Pauperes qui & quomodo in iudicijs iurandi 112
Paupertas periculosa, 79. litium causa, 112. Non nocet nobilitati. 181
Pax finis belli, illa intendi, hoc tolerari debet, 341 381. Pax Madritensis malè disputata à Gallis. 365
Peccat in Maiestatem qui in monetam. 314
Peccati inductio in bello an licita. 367
in Peculatu non datur absolutio. 317
Pecunia in Repub. malum necessarium quomodo imperanda, 410. Eam imperare solius est Principis, 313. Pecunias spargere priuato inhibitum. 430
Pedaneis cur liceat aliquid accipere. 32
Pensio inuenta ob dispendium. 110
Penuriæ incommoda. 272
Peregrinatio, 185. 301. & seq. Ad historiam ducit & noscendum populorum statum, 303. Quo fine peregrinandum, ibid. Ad quos potissimum populos. ibid.
Perennius capitu pœna affectus quod nummos publicos suæ imagine signasset. 313
Pericles Atheniensium Dux liberos eorum, qui in prælio occubuissent ad pubertatem è publico alicurauit. 243
Pertinax Imp. detractores vrbe pellit. 70
Petrus Medices in fœderibus summum locum tenere bonam semper fidem voluit, 386
Pescennij Nigri memorabile dictum, 29
Petulantia linguæ à Concilio Carthag. graui pœna coercita. 294
Pharao abusus operum præstatione. 267
Philippus Augustus in Iudices inuigilat. 126
Philippus Macedo Romanorum castra laudat. 355
Philippus Pulcher in Gallia officia fecit perpetua, 97. Cauit ne quis in loco originis officio Senescalli, Præpositi, Iudicis fungeretur. 82
Philosophia vera Iudici necessaria. 6. 7.
Philistini cauent ne Hebræi arma fabricent. 231
Pia embola vnde? 264
Pilatus à Nerone putatur capite punitus. 433
Pyrrhus Lanista discipulis iram ponere iubet. 38. Pyrrhus Rex primus omnium castra metari docuit. 355
Pisoni inuidiam quæ peperint? 430
Pius IV expectationem omnium de se superauit. 10
Plato quales delatores admiserit, 129. Reos sapientibus tradi voluit vt eorum arte ad rectiora flecterentur, 45. Eius iudicandi ritus. 132.
Plenitudo potestatis vt sit iustitiæ. 339
Plebem non lege sed indirectè à Rep. excludi, 434. Illi armis abstinendum, 231
Pœna in criminalibus non probantium tergiuersantium, desistentium, calumniantium accusatorum. 214. Pœna Iudicis negligentis. 129. Mentientis in iudicio. 122. Pœna omnis ad mensuram qualitatum delicti. 213. Pœnam ebrietas vt non excusat. 120
Pœnarum necessitas à malitia hominum, 244. Pœnæ adulterarum grauiores quàm virorum ex circumstantijs & quare? 211. Apud Belgas quæ vsitatæ. 215. Asperandæ sunt ex causis. 244. Pœna & præmia ne desint præsertim in bello, 449. Pœna in fornicarios, 189. In adulteros rectè latæ. 189. Fidei violatæ. 256. Pœnæ Iudicum vitiosorum. 126. Corruptorum, 34: & seqq. Legatorum violatorum. 262. Maledicentium Principibus. 225. Ordinariæ mitigandæ. 245 Pœnæ proditorum. 59. 225. Tumultuantium, 225. Quomodo infligendæ, 215 Pœnarum finis, 43. Pœnis & præmijs stat Respublica. 242
Pœnitere debent in pane & aqua qui annonæ pretium excedunt, 278
Pompeius reprehensus fuit quòd censor fuerit grauior remediis quam delicta erant, 210. Eius prælia, 396. Eius castra Senatus appellata & quare? 338
Pomposiano quæ crimini imputata? 431
Ponderis ac mensuræ cura habenda, 277
Pontifex Romanus primus in ordine hierarchico, 200
Populus exarmandus in periculo seditionis ne duresc at, 224. Romanus Populus solus morte multabat. 313. Populi reformatio ex exempla cleri institutione iuuentutis, 205. Delectu optimorũ Magistratuum eorumq; bona administratione, ibid. Syndicatione, 206. Ex populo qui publica tractant ne limites transiliant, 231. Populo multa permittenda dum vis imperij obtineatur, 424
Porsena Tarquinios Roma iure electos pronunciauit. 263
Portus bene curandi, 278. Quomodo curandi. 283.
Porus Alexandro: Noueram vires meas, nondum expertus tuas, 396
Posthumius Samnitibus deditus. 365
Postliminium an ex pace? 392
Potentia Austriaca aut Hispana an sufficiens belli causa? 344. Potentia Dauid, Iosaphat, 265. Principibus necessaria, 265. Ad potentiam facit muratarum ac populosarum vrbium firmitudo, 271. Potentiæ vicinæ valde excrescentis metus an iusta belli causa, 344. an ad bellum sociale

ea sufficiat? ibid. Potentia domestica quid? 265.
Potestas iudicis vnde cœpta. 97. Vnde dicta? quotuplex. 98. Potestas patria. 173. Potestas Mariti vnde? 174. Potestas dominorum & seruorũ. 175. Potestas regia ad salutem publicam. 324. Potestatum diuina & humanæ subordinatio. 22.
Præbendæ qualiter incompatibiles. 203
Præcedentiæ regula. 105.
Præceptores apti eligendi pro iuuentute 183. Honoribus & lautis stipendiis muitandi. 183
Præda. de ea Duces statuant. 382.
Præfecti Ægypti felicem embolam curabant. fol. 272.
Præfecti initio sine tempore præficiebantur manebantq; nisi ob delictum mouerentur. 97.
Præfecti prætorio cur I. C. 426
Præfecti vigilum, 207. Eorum officium. 102.
Præfecti vrbi officium. 207.
Præfectus annonæ Romæ quibus ius dixit. 277.
Prælati cur hodie à foro recesserint. 84. Mores suorum diligenter inspiciant, ipsi negligentes culpæ communicant. 193
Prælatorum cum Cathedralibus deliberatio. 199. Eorum frequens visitatio ad reformationem vtilis. 197.
Præmia non auri pretia sunt, sed honorum notæ. 242. Quomodo distribuenda. 243. Sint proportionata. 242.
Præpositus horreorum nõbilis. 273.
Præses pro qua summa adibatur. 101. Omnia munia obit. 290.
Præsides & Proconsules extra prouinciam vt priuati, an insignia gerant? quæ possint facere? 101.
Præsides in prætorio habitare tenentur. 285. Quæ officia conferant. 94. Vrbes lustrare tenebantur. 285.
Præsul sine crimine non peccato exigitur. 10.
Prætoria & tribunal. 106. à Præsidibus habitanda. 285.
Preces monachorum magis iuuant Rempub. quàm grauet mendicitas. 204. Preces publicæ pro Principe supremo 331
Pretia frumenti sic statuenda, vt laboris præmia rustici habeant. 276.
Primogenitura auget nobilitatem, 180.
Princeps bello adsit. 357. Mare non secus ac continentem in potestate habeat. ibid. Disciplinam seruet. ibid. Princeps bonus Sacerdotes honorat, tuetur. 13. Corporis custodes habeat. 432. Expendat an festinare an trahere bellum expediat. 350. Gratus sit. 294. Liberalis. ibid. Titulis populum non irritet. ibid. Odia seponat. 295. Maturo & solerte consilio vtatur. 296. Hostem operiri, an aggredi in hostico expediat expendat. 350. Partiri exercitum, an integrum obiicere. 351. Num plures simul hostes habere? ibid. Iuri tertij non potest aut vult derogare. 287. In omnem necessitatem thesaurum habeat. 411. Leges reuereatur. 308. Legibus solutus est. 308. An augusta? an filij? ibid. Nomen famamq; paret. 348. Suas & hostiles vires expendat neq; incautè securus contemnat. 349 Peregrinans agnoscit Magistratus suos. 302. Vrbem & Imperij sedem non omittat. 432. Principes quas cautiones maximè vsurpent. 435. Principes boni voto expetendi, qualescunque tolerandi. 237. Principes exemplo subsidioq; ædificaturos imitent. 287. Gentis suæ & singulorum genium noscant. 425. In Iudices inuigilent. 126. Principes ligantur quatenus in Rempub. contractum à prædecessoribus. 387. Quæ ad religionem pertinent commendata habere debent. 336. Tales apud se habeant qui præsentem Reipublicæ statum ament. 427. Si partibus suis desint non iustè gerunt bellum. quæ illæ? 347. & seqq. Principis hypocritæ vindicta diuina. 41.
Principi & Magistratui non mentiendum. 75.
Principum Christianorũ cura circa religionem. 333. Eorum exempla Ecclesiam ministrosq; honorantium. 13. Eorum filiæ non nisi de consensu nubunt. 216.
Principatus vis resoluitur cuncta ad Senatum vocando. 429. Principatus non diuidendi. 428. Potius diuisi iungendi. ibid.
Priuati an fidem publicam violari faciant. 391. Nihil possunt statuere. 234.
Priuato quæ illicita. 429. & seq.
Priuilegia Nobilibus concessa seruanda. 180. Non tangenda. 302. Franciæ & Angliæ Reges seruare ea iurant. ibid. Significant supremitatem. 384. Priuilegio abutens priuandus. 168.
Priuilegiorum confirmatio à successoribus petitur in Gallia. 168.
Priuilegium personale cum persona extinguitur. 169. Gratuitò concessum reuocari potest, & quando? ibid.
Procedendi stylus vulgaris. 134.
Processus stylus corrigendus si quid desit. 131. Processuum vitia. 117.
Proconsules extra Prouinciam vt priuati, an insignia gerant? quæ possint facere. 101.
Procuratores malignantes in iudicio coercendi. 122. Procuratorum officium an nobilitati noceat. 181. Eorum vitia. 114.
Prodigalitas paupertatem parit. 412.
Prodigi debitores durius habendi. 127.
Proditorum pœna. 225.
Profusio improbanda. 268
Promissi non implendi excusatio quando iusta. 304.
Promotores Ecclesiasticarum curiarũ crimina denunciant, non impunè si per calumniam. 208

Promotus à Principe sciente nõ potest impugnari. 96
Prouincia malis hominibus purganda. 206
Prouocatio vltima ad Principem. 310
Prudentes consiliis adhibendi. 442
Prudentia quid? 39. *Iudici necessaria & quæ?* 38 *Eius functiones* 39. *Ad praxim pertinet.* 39. *Vera non est nisi in viro bono.* 39. *Omnia virtutum genera complectitur.* 39. *Oeconomica, Politica, Nomothetica, Iudiciaria, militaris quæ?* 40
Ptochotrophium. 291
Pugna ad Neoportum infelix quare? 353
Punctа officij quæ? 141
Puniendum in causa religionis cautè. 44
Punitio recto ordine fiat. 128. *acceleretur, & quare?* 129.
Purgationes Canonicæ vix, vulgares numquam vsurpentur. 246

Q.

Q Valis esse debeat Iudex. 5
Quare Catalina ausus sit coniurare? 432
Quare cædes Cæsaris improbanda? 423
Quæstiones ad veritatem habendam. 215. *Quæstiones pro amicis.* 24 27. *Quæstiones regiæ circa iustitiam iudicandæ vt aliæ.* 345.
Quarta bonorum Ecclesiasticorum in curam sacrarum ædium olim destinabatur. 280
Quies publica curanda. 206. *A vindicta criminum iuuanda.* 210.
Q. Claudius trib. pleb. legem promulgauit ne Senator ampliorem nauem haberet quàm 300. *amphorarum.* 250

R.

R Atio Imperiorum, ne noceri possit, nil nimis excelsum sit. 215
Rebus sacris seculares ne se immisceant. 193
Recidiuus grauius puniendus. 246
Reformatio Magistratui incumbit. 192. *Reformatio cleri.* 202. *Reformatio monachorum.* 204 *Reformatio promptissima ex cleri delectu.* 197
Regalia. 314. *& seq.*
Reges constituti iustitiæ causa. 2. *Exercuerunt iudicia. ibid. Gladij rationem dabunt pro Ecclesia aut Religione exerciti aut contra.* 345. *Eorum iura.* 320. *Iurant iura regni non minuere.* 307
Regibus Persis ignes prælati. 14. *Regum Ægypti diuitiæ.* 266.
Regiæ quæstiones circa iustitiam iudicandæ vt aliæ. 345
Regiminis prima ratio nosce genium suæ gentis. 172
Regnati qui fuerunt iurant neminem regnare passuros. 437
Regna sine iudiciis sunt latrocinia. 4. *Regnum alienum non inuadendum etsi bella sit occasio.* 342
Regula in xeniis, esculentis, poculētis accipiendis. 32.
Rei criminis non possunt esse Iudices. 3. *Rei illustres in iudicio sedent.* 157. *Rei requirendi, exhibendi, custodiendi, transmittendi.* 214. *Exhibiti quomodo habendi.* 214. *Vbique puniendi.* 206. *Reorum nummi aut annuli iure non cedunt officiariis.* 209.
Reipub. annona commenda. 277. *Reipub. beatitas in quo consistat.* 300. *Reipub. felicitas boni superiores.* 11. *Eius forma non mutatur sine periculo.* 423. *Reipub. salus iusta belli causa.* 341 *Eius status sæpè ad sua principia reuocandus.* 423. *Cuique suæ noscendus.* 424. *Reipub status vix alicubi simplex.* 421. *Respub. alijs in locis constitutæ ad morem vrbis Romæ.* 290
Relatio ex ambiguo iure Principi fiebat olim. 136. *Non facienda vbi potest se Iudex extricare. ibid. Alicubi mores exigunt. ibid. Canones admittunt. ibid. Relationes lubenter audiendæ.* 240 *Sed dignæ principatu, seu cuiusque gradu. minores ad minores reiiciat Princeps.* 241. *fiant frequenter. ibid. & subordinatè. ibid.*
Relaxationes animi an & quæ laudandæ? 301
Religio quo sensu spectet ad supremum Principem, de eæ sciscere? 331
Religio vera in Iudice. 12. *Retinenda.* 223. *Fundamentum Reipub. ibid.*
Religionis Christianæ tabulæ. 334. *Religionis nouatio seditioni aasam præbet.* 222. *Eius apud omnes gentes cura.* 333. *Eius status præsens per Europam quomodo curandus?* 221. *Religiones diuersæ in vna Rep. perniciosæ.* 335.
Remedia in causa religionis pro genio gentis applicanda. 223. *Remedia litium.* 117. *Remedia morbis ne sint grauiora.* 209. *Remedia seditionum.* 223. *& seqq.*
Repræsaliæ. 400
Res diuinæ sanctè fiant, & à piis sacerdotibus. 193
Restrictiones mentales à iudicijs absint. 74
Rex pauper periculosum animal. 412
Vide, Reges.
Rhodij Romanorum clementiam laudant. 45
Ritè electus Iudex. 94
Ritus iudicandi Platonis. 132. *Ritus Romanorum iudiciorum à nostris longè diuersi.* 56
Robertus III. Scotorum Rex in Iudices inquirit. 126
Roboam iuniorum consilium secutus seditioni causam dedit. 225. *& seq.*
Romani datæ fidei obseruantissimi. 257. *Exercitum semper vallo confidebant.* 271. *Socios iuuando orbem terrarum sibi subegerunt. ibid. Improbarunt in hostem veneno grassari.* 372. *Operum præstatione abusi.* 267. *Græcis numquam nisi latinè responsa dederunt.* 435. *Omnem regionem obtinuerunt patientiâ.* 25. *Priuilegijs donarunt qui proli gignendæ incumberent.* 191. *Quotannis in facta Augustorum iurabant etiam sub Tiberio in verba Seiani.* 176 *Rei militari disciplinas adiungebant.* 52. *Tributo-*

butorum ex actionibus graues & eorum inutilibus expensis fuerunt. 268.
Romanis agricolarum nomen glorioſum. 274. Iis maximè agricultura cura fuit. 269 Illorum clementia 245. Æraria. 411. Captiuos rigidè tractabant. 392.
Romæ agrum malè colere cenſorium probrum fuit. 274. Romæ leges docebantur. 184.
Romulus centum ſeniores elegit, quos Senatores nominauit. 85. Trecentos Celeres habuit & pace & bello corporis cuſtodes. 432. Dedendos cenſuit, qui Laurentium legatos violauerant. 263. Romanis vt libitum imperitauit. 325.
Ruinæ Imperiorum cauſæ, indicia. 450.
Rumores aduerſi ſupprimendi vel eleuandi. 259.
Ruſticæ iuriſdictiones in criminalibus periculoſæ. 115
Ruſtici alijs rebus non auocentur, ad nullum obſequium, ad nulla onera. 276

S.

Sacerdotes Iſraelitarum Iudices. 2.
Sacerdotium non nocet Nobilitati. 181
Saguntini ſeſe interimere potiùs, quàm conditiones iniquas acceptare maluerunt. 376
Salaria ex meritis danda. 156. Pro patrociniis ſoluenda. 123. Quomodo taxanda. ibid.
Salica lex non ſpectat ad Burgundiam. 342.
Saluianus I.C. edictum perpetuum compoſuit. 163
Salomonis diuitiæ. 266
Salus publica ei qui præeſt curanda. 299.
Salus Reipub iuſta belli cauſa. 341.
Salutis cauſa rei familiaris commoda negligenda ſunt. 218
Saluus conductus nunc in capita datur, vt hero data, famulo non proficiat. 393
Samulis lex Regia non derogauit ſupremitati. 320
Sapientia ſæculi. 72
Saraceni in Hiſpaniam quare euocati? 186
Scelerati non poſſunt eſſe Iudices. 3
Schola um Præfectura ordini ſacerdotali attributa. 183
Scipio Africanus fratrem Conſulem contra Antiochum proficiſcentem voluntaria legatione comitatus eſt. 338. A Floro laudatus. 359. A militibus Hiſpanis Rex ſalutatus nomen Imperatoris ſibi maximum eſſe reſpondit. 294. Cum Aſdrubale conflicturus teſſeram veſperi dedit, vt ante lucem viri equiq; pranſi eſſent. 353. Eius patientia. 25.
Scopus huius operis. 1.
Scribonianus quare in exilium actus? 431
Scribere ad Senatum aut exercitum priuato nefas fuit apud Romanos. 429
Secretarium locus iudicij. 125. Secretarij vnde? 49
Secreti cuſtodia. 58. & ſeq.
Securitas in Repub. à iudicijs. 4. Securitas noſtra & ſociorum, iuſta belli cauſa. 341
Seditiones, Seditionumq; cauſæ. 219. & ſeqq.
Seditionum Duces vix ſunt, quin libertatem clament, quam mox ipſi opprimant. 238. Seditionum cauſæ tempeſtiuæ nunquam præbendæ, ſed amouendæ. 226. Seditionum remedia. 223. & ſeqq.
Seditioſi ſtatim occidantur, etiam à non competente Iudice, cum periculum in mora. 218. Inter Seditioſos diſcordiæ ſeminandæ. 224.
Seianus nuptias Liuiæ ambiit. 217. In eius liberos animaduerſum. ibid.
Senatori nauem non amplius quàm 300. amphorarum habere licebat. 250. Senatori vires Reip. noſcendæ, ſociorum & hoſtium. 416. Senatoribus interdictum vectigalia aut prædia etiam ciuitatis conducere. 249.
Senatus auctoritas an obſit libertati an ſummæ reis? 422. Senatus poſt mortem Romuli electionem noui Regis ad populum detulit, populus ad iudicium Senatus remiſit. 258.
Senectutis commendatio. 84. Auctoritas. 86. Dignitas. 85
Senes conſilijs adhibendi. 86. Quales conſultationibus adhibendi. 439.
Senio debita. 86
Senenſes à Florentino attriti. 396
Sententia certa ſit & clara, conformis libello. 146. Conceptis verbis ſcribatur. ibid. Sententiæ Iudex ſubſcribat. 146. Quomodo dicenda & quo ordine. 144. In ſecreto lata nulla. 282. In dicenda ſententia remouendum quidquid officit libertati & veritati. 145. Laconicè dicenda. ibid. Sententiæ per ſordes latæ irritæ ſunt, quando? 35. Sententia non præcipitanda aut mox exequenda. 37.
Septimius Seuerus adulteros morte multat. 44
Sermo ſeruitutis. 73
Serui quomodo à dominis corripiendi. 212. Serui vnde? 392. Si obedierint in non liquidò iniuſtis, excuſantur. 175
Seruitutes hodie ceſſant inter Chriſtianos. 175
Seruius Tullus ſanctor legum fuit queis etiam Reges obtemperarent. 325
Seuerus in Iudices inuigilat. 126. Malum eſſe Principem dicebat qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios nec Reipub. vtiles alleret. 267.
Seuerus Pertinacis interfectores capite damnauit. 433. Se legatum temere amplexantem cadi iubet. 104.
Sauitia bellum iniuſtum facit. 373.
Sexti Pompeij laus ob fidem ſeruatam. 363.
Silentij numen apud Perſas cultum. 125.
Silentiariorum collegium. 125.
Silentium Conſtantinopoli locus conſilij. 125. Silentium in loco iudicij ſeruandum. 124.
Sylla aliquando monuit cauerent Romani malecinctum iuuenem. 396. Dictatorem in annos 53. crea-

creari se curat. 423 Sylla inops, vnde illi audacia. 427
Silua Ducis vallo cincta. 355. Capta. ibid.
Simulare in bello genus stratagematis. 370. & seq. Quando licitum. 73.
Simulatio abest à lite. 113. Qua alteri nocetur vetita. 74.
Sitonia quid? 277.
Sobrius. 42.
Societas ad iusta bella tantùm obligat. 385. Societas Cæsaris cum Crasso & Pompeio Reip. Romanæ pernicies. 436. Societas coniugum. 174. Societas Iesu litteras reduxit. 184.
Socius iustè damnatis aliorumvè Principum rebellibus, an in iusto bello liceat auxilia mittere cum periculo euertendæ Religionis? 345.
Socrates assentatores amicis similes aiebat, vt lupi canibus. 444. Mori maluit quàm mendacio se excusare. 114. Nisi iratus fuisset, seruum mulctasset. 37.
Sollicitudo maxima circa assessorem, scribam, &c. adhibenda à Iudice. 254
Solonis lex in ciuili discordia. 232.
Spectacula quæ bonis moribus obsint ex Rep. tollenda. 187
Spinola vallo Bredam cingit maximo. 355.
Spirensis Senatus decretum: à dissidiis vtrimque & discordiis abstineto. 441.
Sportulæ secundùm consuetudinem soluendæ. 89. In collegiis Canonicorum solui prohibitæ nisi ad pias causas. 84. A primatu hodie accipiuntur. 155.
Spurius an patris nobilitatem habeat. 178.
S. Stanislai constantia. 21.
Statera dolosa in Iudice quæ? 29.
Stationarij qui? eorum officium. 207.
Statuta Ecclesiæ exequenda à Principe, non decidenda. 332. Statuta recognoscenda, probanda aut reiicienda. 164.
Statutorum vnde multitudo? 163. Statutum reprobatum quod summè doctos aut eminentes exigit. 9.
Status Imperij qualiter contrahant. 383 Status Reip. vnde considerandus? 421. Vix vllibi simplex. ibid.
Stipendia ampla Iudicibus cur dentur. 32. Stipendia rectè à fisco danda. 155. Stipendiis non solutis liceatnè militi necessaria extorquere. 362.
Stratagemata assidua Ducibus, & vtilissima si cauta. 370. Licita. 371.
Stratani Flandria exulare coacti quare? 276.
Stylus vulgaris procedendi. 134.
Subditi ius legationis an habent. 312. Eorum vitia corrigenda. 229.
Subesse Deo & Papæ in spiritualibus non minuit supremitatem. 333.
Subordinatio potestatum diuina & humana. 22.
Subtilitas non semper contraria æquitati. 18.
Successio collegarum intestatorum. 89.
Suetonij Paulini prudentia in bello. 353.
Suionum Regum potestas. 422.
Superbia & auaritia seditionum causæ. 220
Superiores qualiter à cantu liberentur. 194. Eorum exempla summa reformatio. 205.
Suprema potestas an ob culpas amittatur. 235. Clarescit per inferiorum pluralitatem & dignitatem. 338
Supremitas nulla concessione communicatur aut alienatur. 307. Vltimum resortum Gallis dicitur. 310. Supremitati quo modo non officiat iudicari extra prouinciam. 340. Supremitatis exercitium prudenter diserti regulis dirigitur vt in Brabantia. 325. Eius vera nota. 306.
Supremus quis? 326. Supremus omnino qui alium non agnoscit. 307. Supremi Principis est, leges ferre, feriandas curare. 329.
Sumptuariæ leges Reip. vtiles. 268.
Sumptus belli an exigendi à victis. 376. In pactum non veniunt damnorum nomine. 378.
Synodi frequentes maximè ad reformationem faciunt. 198. Synodi & Conuentus Ecclesiastici sine Principum venia licitæ. 200.
Sylla, vide suprà post Silentium.

T.

Taciturnitas an pro mandato sit. 383. Taciturnitas consiliorum necessaria. 442.
Telepho inter crimina obiecta, quod Senatui & Augusto aggressus esset, quasi debita sibi fato dominatione. 431.
Telonia capere solius est Principis. 313.
Temere appellantes castigandi mulctâ. 126.
Themistocles Xerxem fugere permisit. 356.
Tempestati aliquando cedendum. 224.
Templa Virtutis & Honoris iuncta. 94.
Terga non nudanda in bello. 353.
Tergiuersantes in iudicio coercendi. 122.
Termini qui & qualiter præfigendi. 136. 147.
Testes per se Iudex audiat, & quare? 142. Euocandi ad eum etiam ex alia prouincia. ibid.
Testimonia occulta non propalanda. 209.
Thraces soli agriculturæ osores. 269.
Theatra quomodo curanda. 283.
Theodosij in iudicando temperantia. 37.
Theologus Iudex assessori necessario astrictus. 5.
Thesauri inuenti cui competant. 316.
S. Thomæ Cantuariensis constantia. 21.
Thomas Morus mori maluit quàm Regio diuortio iniustè assentiri. 114. Eius in iudicando sinceritas. 28.
Thuscis cæso Consule Romano fugiendi facta copia. 356.
Tiberij liberalitas. 426. Eius morte lætatus populus. 228
Eius de Prouinciarum Iudicibus sententia. 10. Agrippinæ maritum petenti negat, & quare? 216. Callidi & noui iuris repertor. 298. Consulum renunciationem vsurpauit. 310. Delatoribus nimium credulus. 129. De supæstuo luxu conqueritur. 278. Gloriari solitus plura se consilio quàm viribus perfecisse. 368. Ob bellicam Germani gloriam augebatur. 431. Impatienter tulit vota pro Nerone & Druso à Pontificibus suscepta. ibid. Vt Imperium susceperit? 425. Primæ Romæ confirmationem priuilegiorum mandauit. 428. Relationes minores Senatui commisit. 241.
Tiberius Gracchus Scipiones absoluit. 295.
Timor Domini Iudici necessarius. 11. Filialis quis? 12.
Titulus Dei gratia vnde? 327.
Titus alieno abstinuit. 214. Eius laus. 65.

Titus Arius Cæsarem in iudicio domestico scripto sententiam proferre voluit. 144. *Non permittenda vbi sufficientia non sunt indicia.* 154.
Tortuoa quæ vetita? 130.
Traianus in Iudices inuigilat. 26. *Eius vox magnifica.* 235
Tranquillus animus iudici necessarius. 38.
Tributa à victis an exigenda? 376. *A quibus indicenda? & quomodo.* 266. *Quæ inimstæ?* 267. *Tributa faciliora & vectigalia ex mercimoniorũ cura.* 230. *Non facilè imponenda.* 227. *Non ritè indicta, durè exacta seditiones causant.* 220. *Quomodo exigenda.* 426. *Tributorum cura ad Præsides spectabat.* 415. *Tributorum exactiones.* 410. *In ædibus sacris fiebant.* 410. *Eorum moderatio reddit subditos obsequentes.* 226.
Tubero doctissimus affectatione nimia laborauit. 67.
Tumultus Belgicos ob inhibita comitia Grotius excitatos asserit. 233.
Tumultuantium pœna. 225.
Turca inter Christianorũ Principũ dissidia imperium suũ protulit. 271. *Turcæ sine iudiciorũ forma iudicãt.* 140. *Nõ anxiè in delicta occulta inquirũt.* 245
Tusculani Camillum benignè excipiunt. 259.
Tyrannicidarum error damnatus. 234.

V.

Valentinianus in iudicando non præceps. 37.
Vasallus feudi Domino iuramentũ præstat. 176.
Vectigalia capere solius est Principis. 313. *Vectigalia faciliora ex mercimoniorum cura.* 230. *Cum regibus nata.* 412. *Quomodo petenda.* 414.
Veientes à Romulo centum annorum indutias impetrarunt. 389.
Venationes ferarum iure permissæ, aliæ vetitæ. 316.
Veneno in hostem grassari barbarũ. 372. *Veneti Magistratus laus ob secreti custodiam.* 59. *Victi à Mediolanensi Duce intra triduum vires reparant.* 396. *Eorum lex militaris nequis inuitus munus obire teneatur qui maiore cum dignitate militauit.* 338. *Eorum liberalitas in liberos defunctorum bene meritorum de repub.* 244.
Verax & candidus sit Iudex. 72.
Verbosa scripta non taxanda. 124.
Vercingetorix Gallis suadet vt sua frumenta & ædificia incenderent. 218.
Veritas amanda, non opinio. 891. *Veritatis amans sit Iudex.* 67. *Veritas celari quandoque potest.* 73. *Omnibus anteponenda.* 145. *Dicenda etiam cum periculo cum salus publica requirit.* 146. *Veritas summa summum bonum.* 68. *Iudicum virtus propria.* 68.
Vespasianus ciuitatibus legatos ternos mittere licere edixit. 312. *Decreuit illicitum esse maledicere Senatori.* 294. *Italiam petiturus Parthos & Medos Legatos mittit.* 353. *In melius mutatus.* 10. *Præceptoribus centena sex tertia constituit.* 183.
Vestes auratæ vetitæ. 93. *Quæ olim Magistratibus attributæ.* 93.
Vestiariæ leges an expediant: apud quos fuerint. 93.
Vestitus conueniens habendus. 92. 93.
Vico magistri. 207.
Viæ sternendæ, curandæ, reparandæ. 280. *Quomodo curandæ.* 280.
Victi Iure victorum vsi. 379.
Vigilantia Magistratui incumbit. 223.
Viles ad Magistratum non assumendi. 250.
Vilius vendere nemo cogendus, quàm præstare possit, ne quidem officio astrictus. 277.
Vindicta cupidorum, furum, raptorum, &c. remedium aduersus lites. 119 *Vindicta criminum.* 210. *in reis, liberis, bonis.* ibid. *Vindicta malitiæ litigantium remedium aduersus lites.* 118.
Violatoribus Legatorum sacris interdicitur. 264.
Vir an dominetur vxori. 274. *Vir bonus vniuersim virtute præditus.* 6. *Eius virtutes enumerantur.* 7. *& seqq. Viro modica correctio competit.* 175.
Virtus ad nobilitatem politicam inducendam publicâ auctoritate & codicillis eget. 178. *Ad honores via.* 94. *Virtus patientiæ.* 118. *Semper prævalet & præferẽda.* 77. *Virtute nobilitas acquiritur.* 75. *Virtutes quibus Iudex instructus, & vir bonus esse debeat.* 7. *& seqq.*
Visitatio frequens, promptissima reformationis via. 197 *Eius scopus* 198. *Visitatio liminum Apostolicorum Episcopis mandata* 241.
Visitantis officium. 198.
Vitellianæ cladis causæ. 353.
Vitellius. 50. *Eos qui præmia pro cæde Galbæ oblatis libellis petierant occidi iussit.* 251. *Vires aduersus Vespasianum dispergens militem trucidandum obtulit.* 351. *Eius cladis causa.* 353. *Eius mors.* 128 *Vitia aduersus iudiciarij processus.* 121. *Vitia fori coercenda.* 26. *Vitia processuum.* 117. *Procuratorum.* 114. *Notariorum.* ibid.
Vitium incisores grauiter puniuntur in Mysia. 244.
Vladislaus Pannoniæ Rex fidẽ Turcio datam fregit. 256. *Regno ac vita à Christo mulctatus.* 257.
Vlpianus magister Scriniorum. 306. *Præfectus annonæ.* 273. *Consiliis ab Alexandro adhibitus.* 440.
Vnicuique è Repub. relinquendum quod competit. 424.
Voti causa excurrere Iudex extra fines suos potest. 108.
Vsura apud Germanos olim ignota. 116.
Vsurarij litium causæ. 128.
Vsus seruandus in constituendo Iudice. 82.
Vultur hieroglyphicum iustitiæ. 16.
Vxor virum colere tenetur. 174. *Vxores gaudent maritorum honore.* 192.
Waldemarus Sueciæ Rex fratri regni tutelam commisit & excluditur. 342.
Wandali à Geberico Rege profligati Pannoniam à Constantino obtinent. 379. 380.

X.


Xeniorum modus non excedatur à Iudice. 30.
Xenodochium. 292.

Z.

Zaberganus Hunnorum Dux Mysiam à Martiano & Leone obtinuit. 379.
Zeleuchus Thuriis paucas & simplices leges dedit. 162.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
1532a